
Ex-libris-F.F.-Præd-de-Woodchester:
VERITAS

Schenkl, Maurus

MAURI SCHENKL,

SERENISSIMI ELECTORIS PALATINO-BAVARICI etc. CONSILIARII ECCLESIASTICI, IN ELECTORALI LYCEO AMBERGENSI JURIS ECCLESIASTICI AC HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORIS P. O., SEMINARII ELECTORALIS INSPECTORIS,

ETHICA CHRISTIANA.

TOMUS TERTIUS,

I .ICAM CHRISTIANAM PARTICULAREM

ET

ASCESIN CHRISTIANAM

CONTINENS.

EDITIO QUINTA

AUCTIOR ET EMENDATIOR.

VIENNAE,

APUD FRANC. WIMMER;

ET AUGUSTAE VINDELICORUM,

APUD CHRISTOPH. KRANZFELDER.

1830.

CONSPECTUS
ETHICAE CHRISTIANAE PARTICULARIS.

SECTIO I.
DE OFFICIIS CERTORUM STATUUM.

CAPUT I.
De status delectu et officiis statuum rite explendis generatim.

§. 587) Nexu ordineque dicendorum designato 588) ***generales*** de ***statu deligendo regulae*** afferuntur; 589) fidelitas in explendis status cujusvis officiis commendatur. His generatim monitis agit

CAPUT II.
De societate conjugali mutuisque conjugum officiis.

§. 590) Matrimonii notione, fine et dignitate expositis 591) subjecti ad statum conjugalem apti dotes, et ***matrimonii impedimenta*** indicantur; hisque 592) regulae in statu conjugali ineundo servandae subjunguntur; subinde 593) proposito officiorum status conjugalis fundamento, 594) ***officia conjugum*** mutua; atque 595) tam mariti, 596) quam uxoris officia specialia explicantur; demum 597) praecipuae infaustorum connubiorum causae recitantur.

CAPUT III.
De societate parentali et mutuis parentum liberorumque officiis.

§. 598) Indicato horum officiorum fundamento et ordine 599) ***officia parentum*** tum erga proles nascentes natasque, tum 600) erga proles in puerili aetate tam quoad physicam, quam 601) quoad educationem intellectualem moralemque, demum 602) officia erga liberos jam adolescentiores describuntur; iisque 603) motiva et rationes horum officiorum; atque 604) ***liberorum erga parentes officia*** 605) unacum ipsorum motivis adjunguntur.

CAPUT IV.

De societate herili mutuisque heros inter et famulos officiis.

§. 606) Assignata basi normaque 607) officia ***patrum matrumque familias erga famulitium*** 608) unacum rationibus ad ea obligantibus moventibusque, et vicissim 609) officia ***famulorum*** tum versus heros et ***familiam***, tum 610) reliqua recensentur.

CAPUT V.

De societate civili et obligationibus diversorum ejusdem membrorum statuumque.

ARTICULUS I.

De obligationibus imperantium et subditorum generatim.

§. 611) Civitatis notione, fine et mediis; item 612) principiis religionis christianae de potestate publica proposita 613) ***officia imperantium*** tum immanentia ad securitatem partim internam publicam 614) privatamque, partim 615) ad externam pertinentia; deinde 616) officia circa munia publica, poenas, collectas; tandem 617) officia eorum transeuntia tum erga ecclesiam, tum 618) erga societates politicas exteras recensentur. His 619) ***officia civium*** et subditorum generalia tam erga imperantem, quam 620) versus patriam, civitatem civesque subjunguntur.

ARTICULUS II.

De obligationibus magnatum, ministrorum, magistratuum subordinatorum, personarum judicialium.

§. 621) Recensentur ***officia magnatum***, ***dynastarum***, ***nobilium***; 622) ***ministrorum***, ***consiliariorum***, ***referentium***; 623) officia ***judicum***, magistratuum subordinatorum, et personarum in judicio occurrentium: 624) ***advocatorum***, ***procuratorum***, 625) ***notariorum***, ***secretariorum***, ***tabellionum***; denique 626) ***actoris***, ***rei***, ***testium***.

ARTICULUS III.

De obligationibus militum et militiae ducum.

§. 627) Civium obligatio ad militandum; et 628) officia tam ***militum***, 629) quam ***praepositorum militiaeque ducum*** declarantur.

ARTICULUS IV.

Obligationes reliquorum in civitate membrorum praecipuorum.

§. 630) Speciali mentione digna habentur officia 631) ***magistrorum docentiumque***; 632) ***paedagogorum***: item 633) officia ***discentium studentiumque***, deinde 634) officia ***medicorum***, ***chirurgorum***, 635) ***pharmacopolarum***; rursus 636) officia ***mercatorum***, ***negotiatorum***, ***cauponum***; demum 637) officia ***opificum***; 638) ***operatorum*** et 639) ***ruricolarum***. Recensitis iis, quae status civilis membra ligant, officiis jam agit

CAPUT VI.

De statu ecclesiastico et obligationibus praecipuorum ejus membrorum.

ARTICULUS I.

De vocatione et requisitis ad statum clericalem.

§. 640) Constituto ordine exponuntur 641) ***status clericalis*** dignitas, 642) requisita, et 643) vocatio ad eundem summe necessaria, quae 644) diligenter exploranda et fortiter sequenda est: eum tamen statum 645) praeparatio diligens praeeat necesse est.

ARTICULUS II.

De clericorum obligationibus generatim.

§. 646) Honestas ***clericis*** praecepta imperat non solum, 647) ut fugiant peccata vitiaque quaevis, maxime vero infamantia; item 648) illicia eorum et mali speciem habentia; et 649) quaevis statum clericalem dedecentia officiumque ejus impedientia: sed etiam 650) ut eminenti virtuti studeant; officia status sui perfecte expleant; 651) optimo aliis exemplo praeluceant; 652) decentiam singularemque modestiam sectentur.

ARTICULUS III.

De quorundam clericorum obligationibus speciatim.

§. 653) Praefixo dicendorum ordine exponuntur officia 654) ***tonsuristarum minoristarumque***; 655) ***subdiaconorum***; 656) ***diaconorum***; 657) ***presbyterorum***: explicantur hoc loco 658) clericalis ***horas canonicas*** recitandi obligatio; 659) earum origo, partes, numerus; 660) subjectum; item et 661) objectum; 662) modus hanc obligationem explendi; 663) adjuncta ordinis, temporis, loci; demum 664) causae ab iis recitandis excusantes assignantur.

ARTICULUS IV.

De officiis beneficiatorum.

§. 665) ***Beneficiatorum*** officia tum 666) in beneficio adeundo dimittendove, tum 667) quoad munia sacra inprimis, tum 668) quoad bona quoque ecclesiastica heic, eoquod alibi latius exposita sint, brevissime indicantur.

ARTICULUS V.

De officiis regularium.

§. 669) ***Regulares*** obligantur, ut 670) suo in ordine stabiles permaneant; 671) superioribus suis obedientiam praestent; 672) castitatem paupertatemque religiosam servent; 673) ad perfectionem evangelicam contendant.

ARTICULUS VI.

De laicorum erga clericos pastoresque officiis.

§. 674) Expositis clericorum officiis appendicis in modum subjungenda 675) ***officia laicorum erga clericos*** quoscunque, 676) inprimis erga ***animarum pastores.***

SECTIO II.

DE SPECIALIBUS CERTAE AETATIS, CONJUNCTIONIS, CONDITIONIS HOMINUM OFFICIIS.

CAPUT I.

De singularibus aetatis juvenilis senilisque et aliorum erga eam officiis.

§. 677) Fixo dicendorum ordine et 678) indicata aetatis ***puerilis juvenilisque*** indole, ejus aetatis 679) officia singularia; et 680) aliorum erga eandem officia explicantur; simili ratione 681) ***aetatis senilis*** indoles describitur, et 682) senum erga se aliosque officia specialia; item 683) aliorum erga senes officia declarantur.

CAPUT II.

De officiis singularis necessitudinis vinculo junctorum specialibus.

§. 684) Vincula necessitudinis variae varia inferunt officia; de quibus hoc loco 685) *regulas* quasdam tum *generales*, tum 686) magis *speciales* recensere sufficit.

CAPUT III.

De specialibus eruditorum inter se et versus alios, horumque erga illos officiis.

§. 687) Praemissis generalibus de eruditione principiis 688) *eruditorum* specialia officia 689) et quaedam vitia ab iisdem caute declinanda; deinde 690) aliorum *erga eruditos officia* indicantur.

CONSPECTUS ASCESEOS CHRISTIANAE.

PRAENOSCENDA

ASCESEOS NOTIO, DIVISIO, SCOPUS.

§. 691) *Asceseos* christianae tam notio, quam et 692) divisio partesque, denique 693) finis et summa utilitas declarantur. His praemissis agit

SECTIO I.

DE IMPEDIMENTIS VIRTUTIS ET PERFECTIONIS CHRISTIANAE.

CAPUT I.

Impedimenta moralitatis, virtutis et perfectionis christianae interna immediataque.

§. 694. Impedimenta haec varii generis sunt, notanda maxime, quae adversantur 695) culturae rationis moralis; 696) culturae in-

tellectus et judicii practici; demum 697) culturae sensionis moralis et facultatis appetendi.

CAPUT II.

Impedimenta virtutis et perfectionis christianae externa et mediata.

§. 698) Varia de his Variorum est sententia; 699) diversae eorum classes assignantur: nobis sequens ordo placuit: nempe pertractat

ARTICULUS I.

Impedimenta virtutis christianae ratione mundi statusque puerilis juvenilisque.

§. 700) Impedimenta moralitatis perquam noxia ex neglecta perversave *juventutis educatione* proveniunt, cujus proin 701) causae praecipuae; 702) naevi et vitia insigniora; 703) effectus pessimi, et 704) remedia his opponenda referuntur.

ARTICULUS II.

Impedimenta moralitatis virtutisque christianae ex parte mundi et status litterati.

§. 705) Impedimentorum horum alia sunt 706) ex parte *eruditionis*, nempe 707) eruditionis spuriae dominatus; 708) genuinae eruditionis neglectus despectusve; aut 709) ejusdem abusus: alia 710) ex parte *eruditorum*; nimirum quorundam publica improbitas; 711) religionem impugnandi licentia, et 712) doli mali hac in re adhiberi soliti, 713) contra quos quaedam cautiones remediaque indicantur; alia 714) ex parte *librorum* scriptorumque, scilicet 715) inutilium noxiorumque numerus, indoles, lectio; contra 716) salutarium inopia, indoles, neglectus, aut 717) lectio non rite instituta.

ARTICULUS III.

Moralitatis virtutisque christianae impedimenta ratione mundi et status religiosi.

§. 718) Impedimenta hujus generis distinguere licet alia 719) ratione *potestatis ecclesiasticae* haud recte exercitae; alia 720) respectu *ministrorum ecclesiae*, qualia sunt: minus dignorum ordinatio promotioque; 721) clericorum minus aequa sustentatio tractatioque; item 722) quorundam mala vita et exempla: item alia 723) ratione *institutionis religiosae et moralis*; quae deficit 724) vel quoad argumenta et principia, 725) vel quoad modum ordinemque, vel denique 726) quoad tempus et adjuncta: alia rursus 727)

ratione ***publici religionis exercitii***, quatenus id 728) fini suo aut non congruit, aut officit etiam et adversatur. Uti autem in ecclesia, ita in civitate statuque civili publico privatoque plura moralitati minitantur impedimenta.

ARTICULUS IV.

Impedimenta moralitatis virtutisque christianae ex parte mundi statusque politici maxime publici.

§. 729) Impedimenta virtuti christianae imminent ex abusu vitiisque politici regiminis, vel 730) quoad exercitium potestatis legislatoriae, rectoriae, executoriae; vel 731) quoad ***officialium publicorum*** constitutionem, sustentationem tractationemque; vel 732) quoad ***publicam disciplinam politicam***; vel denique 733) quoad exercitium ***potestatis politico-ecclesiasticae.***

ARTICULUS V.

Impedimenta moralitatis ac perfectionis christianae ex parte status et mundi nobilis politiorisque.

§. 734) Ad hujus generis impedimenta referuntur 735) ***inordinata moris politioris*** aestimatio et cupiditas; inprimis 736) ***sermo mundi politioris*** moralitati ac virtuti exitiosus, et 737) ***mala*** mundi politioris ***exempla.***

ARTICULUS VI.

Impedimenta moralitatis et virtutis christianae ex parte mundi civici et popularis.

§. 738) Specialia item quaedam virtuti obstacula occurrunt in vita tum ***urbana***, 739) tum ***rurali:*** item 740) in ***singularibus*** quibusdam ***statibus.***

SECTIO II.

DE CHRISTIANAE VIRTUTIS PERFECTIONISQUE SUBSIDIIS.

§. 741) Indicatis dicendorum ratione et ordine agit

CAPUT I.

De N. L. sacramentis ceu christianae virtutis subsidiis.

ARTICULUS I.

De N. L. sacramentis generatim.

§. 742) *Sacramentorum* N. L. scopus, notio, numerus et essentialia breviter declarantur; et 743) quanti aestimari, qua ratione suscipi debeant, generatim exponitur. His praemissis agit

ARTICULUS II.

De sacramento baptismi et confirmationis.

§. 744) *Baptismi* notio, scopus et effectus; item 745) necessitas et dispositiones ad eum digne recipiendum explicantur; simulque 746) ejus ad virtutem christianam promovendam efficacia commonstratur. Eadem ratione 747) *confirmationis* notio et effectus; 748) et dispositiones ad eam recipiendam necessariae recensentur.

ARTICULUS III.

De sacramento eucharistiae et s. communione.

§. 749) *S. eucharistiae* institutio, scopus et effectus; item 750) necessariae ad eam digne recipiendam dispositiones, et 751) illius recipiendi obligatio declarantur.

ARTICULUS IV.

De sacramento poenitentiae et unctionis extremae.

§. 752) *Poenitentia*, qua virtus, generatim cuivis lapso summe necessaria; ad quam promovendam 753) *sacramentum poenitentiae* institutum a Christo est, cujus notio et partes, nempe 754) contritio cum melioris vitae proposito; item 755) confessio et 756) satisfactio explicantur: simulque 757) cautiones circa vitanda quaedam hac in re praejudicia observandae suggeruntur. Poe-

nitentiae veluti supplementum est 758) ***extremae unctionis*** sacramentum, cujus effectus, necessitas, digne recipiendi modus paucis verbis indicantur.

ARTICULUS V.

De sacramento ordinis et matrimonii.

§. 759) Sacramentis reliquis recensitis ea etiam, quae ceu specialis status subsidia a Christo instituta sunt, declarantur, nempe 760) ***sacramentum ordinis***, officii et status clericalis subsidium, cujus notio effectusque et dispositiones ad illud necessariae explicantur; deinde 761) ***sacramentum matrimonii*** insigne status et officii conjugalis praesidium, si modo tum remota, tum proxima ad id digne recipiendum praeparatio praecesserit.

CAPUT II.

De reliquis virtutis christianaeque perfectionis subsidiis communibus.

§. 762) Id genus subsidia varia diverso ordine a variis recensentur. Nobis sequens placuit.

ARTICULUS I.

Praecipua perfectionis christianae adminicula.

§. 763) Haec inter inprimis memoranda indefessum ***facultates animae excolendi studium***, quo pertinent 764) ***salutis cognitionis et fidei verae*** consectatio; 765) personarum rerumque ***justa aestimatio***; 766) ***conscientiae rectae teneraeque*** cura singularis; 767) ***fervor et*** veluti ***enthusiasmus*** quidam religiosus; 768) constans ***abnegationis christianae*** studium et ***cardinalium virtutum*** exercitium; 769) praecipua virtutum ***subsidiarium*** cura, 770) ***status exterioris*** recta ad virtutem coordinatio. Accedunt, de quo agit,

ARTICULUS II.

Adminicula virtutis et veluti instrumenta perfectionis christianae alia.

§. 771. Inprimis salutarium veritatum ***meditatio***; 772) ***cultus divini communis*** frequentatio, ac ***verbi Dei auditio***; 773) ***s. scripturae et horum librorum sectio***; 774) cum probis ***societas***, consultatio, conversatio; 775) ***Deum, Christum sanctosque imitandi*** studium; 776) ***Dei praesentis pia recordatio***; 777) ***religiosa novissimorum memoria***; 778) ***vigilantia christiana***, et sagax ***minimorum cura***; 779) ***actionum*** negotiorumque recta ***coordinatio***; denique 780) ***examen*** status moralis et sanctioris ***propositi renovatio***.

CAPUT III.

De adjumentis christianae perfectionis specialibus et extraordinariis, seu consiliis evangelicis.

§. 781) ***Consilia evangelica*** ad promovendam perfectionem perquam utilia sunt 782) castitatis perpetuae, 783) evangelicae paupertatis, et 784) obedientiae specialis observatio; quae etiam extra vitam regularem suo modo obtineri potest.

SECTIO III.

APHORISMI ASCETICI MORALES PRUDENTIALESQUE.

CAPUT I.

De his aphorismis generatim.

§. 785) *Aphorismorum* notio divisioque, et 786) finis atque utilitas indicatur, dicendorumque 787) ordo praestituitur.

CAPUT II.

Aphorismi generales specialesque.

ARTICULUS I.

Aphorismi ascetici generales.

§. 788) Nexus et 789) ordo officiorum generatim; 790) ordo officiorum tum erga Deum, tum 791) erga se ipsum et alios exponitur.

ARTICULUS II.

Aphorismi morales ad propriam perfectionem pertinentes.

§. 792) De cultura facultatis agnoscendi; 793) facultatis sensionum et appetendi: 794) de recta corporis et status exterioris cura.

ARTICULUS III.

Aphorismi et regulae morales prudentiales.

§. 795) Primo regulae prudentiales generales; tum 796) regulae speciales ad paranda *vera gaudia*; 797) ad *plura mala praecavenda*; item 798) ad *adversa* aequo animo toleranda recitantur.

ARTICULUS IV.

Aphorismi ad promovendam aliorum moralitatem inprimis pertinentes.

§. 799) Explicantur requisita necessaria; item 800) modus et ordo id praestandi, ut hic obtineri queat finis.

SECTIO I.

DE OFFICIIS CERTORUM STATUUM.

CAPUT I.

DE STATUS DELECTU ET OFFICIIS STATUUM RITE EXPLENDIS GENERATIM.

§. 587.

Nexus et ordo dicendorum.

Postquam officia, quae christianis omnibus *communia* sunt, hucusque in ethica communi exposuimus, superest, 1) ut de officiis, quae certis *statibus*, seu christianis, quatenus in *certo statu* societateve vivunt, vel societatis muneribus perfunguntur, aut in certa aetate vitaeque conditione existunt, *peculiaria* sunt, breviter agamus (§. 22.). Qua in re 2) de simplicioribus ad compositas, quae ex illis ortum duxere, societates progressuri, I) praemissis quibusdam principiis regulisque generalibus, primum II) de societate *conjugali*, quae inter conjuges: tum III) de *societate parentali*, quae parentes inter et proles: deinde IV) de *herili* et oeconomica, quae inter heros et famulitium intercedit, pertractabimus: subinde V) de *civili societate*: et denique VI) de *ecclesiastica* dicturi sumus; atque *sociorum mutua jura officiaque*, quatenus ad ethicam christianam spectare videbuntur; item quorundam *publica* aliaque speciali mentione digna *munia* gerentium officia strictim explicaturi sumus.

*) Juvat hoc loco ex alibi 1) dictis quasdam de *societate statuque* notiones et principia breviter indicare. I) *Societas* 1) potest considerari vel quatenus constituitur, vel quatenus constituta jam est: priori sensu accepta a) est *conjunctio moralis*, qua homines perfecta ad certum finem honestum perdurantemque communiter consectandum obligatione obstringuntur; altero sensu b) est *status*, in quo homines ea obligatione reapse devincti jam sunt. 2) Societas autem pro eo, ac haec obligatio vel ex lege superioris, vel ex libero hominum consensu pactove oritur, dicitur aut a) *necessaria et legalis*, aut b) *voluntaria pactitiave*. Item 3) societas alia dicitur a) *simplex*, quae ex personis physicis constat; alia b) *composita*, quae ex personis moralibus, seu minoribus ex societatibus coalescit. In quavis societate 4) *socii qua tales* ad finem societatis contendere junctis viribus vi legis pactive *obligantur*. Quocirca 5) in qualibet societate itidem quaedam *obligationes* et *jura quaedam*, seu officia juraque *socialia* existunt. II) *Status moralis specialis*, de quo heic sermo, 1) per jura quibusdam competentia et obligationes eorum determinatur, recteque *jurium et obligationum*, quae in subjecto quodam ut existentia sumuntur, *complexus* definitur: et 2) jurium obligationumque socialium complexus *statum socialem* constituit; 3) ad *statum* quemcunque recte nec accedit nec admittitur, qui *dotibus* ad exequendas status illius obligationes, aut *voluntate* illas exequendi destitutus est, aut destitutus merito creditur. Haec curatius exposita videantur locis citatis.

§. 588.

De deligendo vitae statu regulae generales.

Quum singulorum, imo et reipublicae tum sacrae tum profanae intersit quam plurimum, quem vitae statum conditionemque singuli am-

---

1) Cf. instit. jur. eccl. tom. I. §. 1—4. et tom. II. §. 404.

plectantur; item quum ex status delectione aut *bene* aut *male* facta vel maxima bona vel mala, saepe insanabilia, oriantur: generatim hae notandae regulae: etsi a) status quivis honorabilis; tamen b) non nisi prudenti cum deliberatione optimoque ex fine; c) is, ad quem quisque maxime aptus est; d) per media honesta; e) debita *praeparatione* praemissa; et f) *constanti* animo deligendus. Nimirum

I) *Quivis status*, a) etsi humillimus videatur vilisque, modo honestus in se humanoque generi sit utilis, vère est *honorabilis;* isque b) omnibus ejusdem officia rite explentibus *meritum* justamque aestimationem conciliat [2]); item quivis status c) sua et *commoda* et *onera* a provido Deo adnexa habet. *) Quum tamen status aut conditio quaelibet haud aeque cuivis congruat: hinc

II) *Status certus*, quatenus in arbitrio est, a singulis est *deligendus;* qua in re haec servanda videtur *generalis regula:* »Is status a quovis ante ce»teros assumendus, in quo spectatis omnibus ve»rosimillime sperare potest, se omnia tum com»munia tum specialia officia optime expleturum, »summumque et suum et universi bonum esse pro»moturum.« Proinde *status certus* a) non nisi maturo examine praemisso; b) exploratis rite suis animi corporisque qualitatibus et affectionibus; c) perpensis item exterioribus adjunctis; d) investigatis expensisque status deligendi officiis, commodis, oneribus, periculis, atque ejusdem ad virtutem promovendam habitudine; e) fusis ad Deum fervidis precibus, et adhibitis prudentum consiliis, is ante alios optimo ex fine est deligendus, qui habita tum spiritualis maxime tum

2) I. Cor. XII. 4—31. Col. III. 11. Gal. III. 26—28.

etiam corporeae salutis ratione huic subjecto inprimis consentaneus et ad ultimum finem, summumque et suum et universi bonum promovendum cum majori propria- aliorumque etiam vera utilitate ab ipso expletum iri jure sperari potest. **)

III) *Statum* autem, ad cujus officia explenda aut voluntas, aut facultates, vires qualitatesque desunt, assumere peccatum est eo majus, quo majora inde mala moralia physicaque oritura esse praevideri debuere potuereque.

IV) *Statum, conditionem, munus* per *media illicita* viasque viro honesto indignas, aut per digniorum exclusionem sibi arripientes iniqua agunt et vane sibi de divina vocatione blandiuntur.

V) Ut autem status officia eo perfectius expleri valeant, vulgo necesse est, ut ad futuram vitae conditionem mature quivis omnibus, quibus potest, *modis se praeparet.* Quum vero status futuri certa cognitio semper haberi nequeat, saepe quis eas sibi comparare obligatur qualitates, queis ad plures status, quorum aliquem verosimilius debeat amplecti, aptus fiat.

VI) Nulli certae conditioni occupationumque generi se addicentes, aut semper in ancipiti haerentes, aut ab alio ad aliud status occupationisque genus temere transilientes, aut obvia carptim negotia arripientes vulgo parum utiles parumque boni sunt. Id quod scripturae etiam auctoritate 3) comprobatur.

*) 1) Diversitas statuum ad sanctissimum, quo divina providentia genus humanum regit, consilium quam maxime pertinet; 2) interest ergo, ut huic Dei

3) I. Thess. IV. 11. II. Thess. III. 10 — 13.

consilio homines tam in deligendo, quam in prosequendo statu se prorsus accommodent; quum vero pauci sibi ipsis satis sapiant: 3) *deliberatio* cum docto proboque viro hac in re omnibus commendanda est, praesertim, quod ex mala imprudentive status delectione ingentia mala oriantur; ceterum 4) non modo ii graviter peccant et non emendati salute excidunt, qui status sui officia negligunt, sed ii etiam in proximo salutis periculo videntur versari, qui vitam nil utile agendo, in nugis et meris oblectamentis transigunt.

**) Quum animi ad certum statum *propensio* vel ab eo *aversio* status officia expletu aut faciliora aut difficiliora reddere soleat, utriusque in deligendo vitae genere habenda ratio est. Neque tamen aut propensio aut aversio, saepe haud rationabilis, pro una decernendi regula est habenda. Quodsi vero animus post seriam quoque considerationem a quodam statu prorsus abhorreat, is certe assumi, nedum cuiquam obtrudi recte potest, utpote cujus officia perfecte a tali expletum iri sperari vix potest. Ceterum de *deliberatione circa electionem status* inprimis a studiosis juvenibus rite instituenda vide *theolog. prakt. Monatschrift in Linz, Jahrg.* 1802. *B. II. pag.* 333—352.

§. 589.

Fidelitas in explendis status sui officiis.

Quisquis in certo vitae statu conditioneque vel per propriam electionem vel per aliorum voluntatem positus jam est, omnia status sui officia quam exactissime sibi implenda esse sciat. Quare viribus omnibus adnitatur, ut officia status a) *rite cognoscat*; b) summi *aestimet*; c) ea curate *explendi propositum* habeat; d) illa *perfecte*, e) *ordinate*, ac f) *perseveranter* expleat. Nempe quilibet studeat, 1) ut omnia et singula status sui officia, quam potest, clarissime distinctissimeque cognita habeat; illaque saepius articulatimque

cum animo suo perpendat et vivam eorum memoriam retineat; 2) ut illa magni aestimet sibique *amabilia* et grata reddere satagat; 3) ut omnia *curate perfecteque* explendi *propositum firmissimum* habeat, idemque saepius et quotidie repetat roboretque, et num id rite exequatur, diligenter saepiusque recogitet, atque, si se defecisse compererit, mature cauteque emendet; 4) ut omnia, quamvis ardua, status sui officia ex Dei officiique reverentia, ex pura Deo placendi intentione atque ardente in eum amore quam perfectissime explere eaque aliis omnibus, quae minus urgent, officiis praeferre, idque fortiter, constanter, atque gaudenter etiam facere conetur; 5) etsi quivis se, vires facultatesque suas maxime ad omnes muneris et status sui numeros negotiaque curate explenda impendere debeat: cavendum tamen, ne nimio sese virium impendio aut negotiorum mole conficiat, nedum saluti ac perfectioni morali officiat, sed huic omnia status officia rite subordinare satagat; demum 6) quivis in sua conditione statuque, si sibi aut certe aliis prodesse valeat, vulgo permaneat [4]), nec eum nisi ob certam majoremque utilitatem deserat aut immutet.

*) 1) Negotia status sui deserere, dum vires adhuc suppetunt, aut solius otii, quietis et commoditatis gratia se negotiis ad bonum publicum utilibus subducere, saepius magnopere culpandum esse nemo negarit. Item 2) qui publicis sumtibus vivit, et status sui officia, quae ipsus exequi deberet possetque, utcunque per alios suppleri curat, vix ab injustitiae labe alienus censeri potest.

**) Ceterum 1) in ferendis status sui oneribus superandisque difficultatibus quivis ex fiducia in Dei

4) I. Cor. VII. 20.

providentia, ex pura Dei placendi intentione, ex spe vitae futurae solatia sumat (§. praec.); 2) ad status sui, utut humilis, officia quaecunque fideliter excellenterque explenda quemvis stimulet certa persuasio, quod hominis dignitas non ex splendore operis, sed ex animi et bonae voluntatis puritate contentioneque pendeat; 3) demum *spiritus* quidam *socialis*, vi cujus, *privato* omisso, bonum *societatis* inprimis quaeratur, perpetuo retinendus fovendusque.

CAPUT II.

DE SOCIETATE CONJUGALI, MUTUISQUE CONJUGUM OFFICIIS.

§. 590.

Matrimonii a) *notio*; b) *finis*; c) *dignitas*.

De officiis status conjugalis dicturis 1) notio ejus finisque et dignitas; tum 2) subjectum; et 3) recta electio; subinde 4) fundamentum officiorum ejusdem; demum 5) officia conjugum tum a) utrique communia; tum b) cuique peculiaria strictim exponenda videntur. Igitur *matrimonium* 1) veluti *status permanens* sumtum est societas perpetua marem inter et faeminam, qui nullo impedimento ligantur, procreandae recteque educandae prolis gratia; item ad vitandam vetitam libidinem, mutuumque vitae adjutorium inita. Ex quo jam 2) *matrimonii finis* intelligitur a) *primarius,* nempe prolis procreatio rectaque educatio; b) *secundarius* tum evitatio vetitae libidinis, quem finem Paulus [5]) innuit; tum mutuum adjutorium [6]).

5) I. Cor. VII. 2. 9.
6) Gen. II. 18. Eccl. IV. 9.

Inde item 3) colligitur etiam *matrimonii dignitas, utilitas* et *necessitas*. Nam praeterquam quod a) conjunctio haec conjugalis ad sacramenti dignitatem 7) a Christo fuerit elevata: b) matrimonium novos et optimos humano generi surculos, reipublicae cives, ecclesiae filios, coelo incolas procreat et educat; item c) hujus vitae necessitates et incommoda mitigat; d) felicitatem conjugum et ea mediante publicam quietem salutemque sustentat, et ex bene moratis prolibus mille conjugibus gaudia parat; inprimis e) vetitae libidini froenum injicit, atque ita moralitatis praecipuum impedimentum tollit. Ceterum 4) etsi *sua etiam onera* societas conjugalis habeat et pericula: sua tamen et *vitae caelibi* non desunt, nisi forte hanc quis ceu moralis perfectionis subsidium elegerit, aut usurpare certe conetur. (§. 358.).

*) Matrimonii non eadem apud omnes est *notio*: pluribus haec placet, quod matrimonium sit perpetua legitimaque (nempe essentialibus saltem legis moralis conditionibus congruens) duarum personarum ad sexus communionem (Geschlechtsgemeinschaft) conjunctio. Ceterum 1) varias etiam matrimonii *divisiones*; item requisita ad id valide liciteque ineundum alibi 8) jam recensui. 2) Nec *onera* et pericula matrimonii dissimulanda, qualia e. g. sunt a) onus *ob indissolubile vinculum*, quo uni personae, saepe genio, moribus, studiis ab altera prorsus discrepanti variisque vitiis infectae, perpetuo quis alligatur; b) *onus prolium*, in quarum procreatione, educatione et sustentatione multae molestiae sunt exatlandae, praesertim ubi insignia taedia ex incultis earum moribus, ingrato animo, ex morbis, periculis, praematura morte non raro imminent; c) periculum moralitati timendum, ex nimia animi ad-

7) Ephes. V. 25—32. Trident. sess. XXIV. c. un. de matrimonio.

8) Instit. jur. eccl. p. II. §. 606—612.

haesione carnisque tribulatione 9), curarum domesticarum mole. Verum 3) haud ideo probandus, sed potius reprobandus est *hagestolziatus*, ut ajunt, quo quis ad matrimonii fines explendos prorsus idoneus solius tamen commoditatis, aut certe non virtutis gratia, officia matrimonii declinat, onera refugit. Quod eo minus excusandum est, si id vitae genus ad vitia variosque naevos ansam praebeat, aut malo aliis exemplo, aut reipublicae detrimento sit. Quare 4) quandoque matrimonii ineundi praeceptum ad statum conjugalem aptos urget, si id forte exigat bonum reipublicae commune, aut spirituale etiam privati, e. g. dum matrimonium principis medium servandae pacis, aut pro certis adjunctis vetitae libidinis vitandae remedium necessarium esse videtur. *Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. I. Cor. VII.* 9. *cf. ejusd. v.* 2.

**) Omne aliud, quo mas et faemina de facultatis genitricis usu inter se paciscuntur, praeter *matrimoniale*, e. g. pactum de concubinatu, pactum fornicationis, imo de connubio ad tempus ineundo, ipsi hominis dignitati personali, item fidei amorique conjugali, qui in perpetuo tantum matrimonio subsistere potest, repugnare, proin turpe esse illicitumque atque etiam invalidum, ex jure naturali 10), heic pro certo ponimus (cf. § 180. sq.).

***) Quum 1) finis matrimonii primarius non tam multiplicatio hominum, quam eorum recta educatio sit (§. 180.), haecque prae illa tum proli, tum reipublicae utrique, tum summo universi bono magis consulat: ad eam tam in matrimonio ineundo, quam deinceps ante omnia respiciendum erit. 2) Proin ii, qui quidem ad procreandam, non tamen ad rite educandam prolem facultatibus praediti sunt, ab ineundo matrimonio abstinere debent et per publicam potestatem jure arceantur.

9) I. Cor. VII. 28. 32. seqq.
10) Cf. *Kant* metaph. Anfangsgr. d. Rechtsl. §. 22—27.

§. 591.

Subjectum ad statum conjugalem aptum.

Ex dictis nullo negotio colligere licet, 1) quodnam ad statum conjugalem aptum sit *subjectum;* 2) quaeque conjugum praecipuae sint *dotes;* 3) quae *impedimenta* matrimonio *licite valideque* contrahendo obstent, ac proin *subjectum* ad nuptias *inhabile* reddant. Nimirum

1) *Subjectum* conjugio ineundo *idoneum* sit oportet a) ad genus propagandum per vires physicas, per aetatem aptum; aut saltem b) ad secundarios matrimonii fines obtinendos (§. praec.) idoneum, nec ullo ineundi matrimonii impedimento ligatum; c) ea rationis et judicii maturitate ornatum, ut status conjugalis officia et agnoscere et rite exequi valeat; d) iis item animi, corporis, fortunae facultatibus praeditum, ut officiis matrimonii explendis par sit; e) ea animi probitate et bono proposito ornatum, ut officia status conjugalis ab ipso explenda esse, probabilis spes adsit. Unde 2) *dotes conjugis* aliae sunt A) *primariae* et quasi essentiales: a) *sanitas* et vires corporis sufficientes; b) *virtus* et probitas, ut ad officia status explenda par et promta credatur; c) *prudentia* ad officia status conjugalis exequenda saltem sufficiens. B) *Secundariae* et accidentales a) formae decentia et dignitas; b) morum comitas et elegantia; c) opulentia; d) generis honestas aut nobilitas *). 3) *Impedimenta*, quo minus matrimonium *licite valideve* contrahi queat, obstant, proindeque sunt a) aut *prohibentia,* quae *illicitum* **), c) aut *dirimentia,* quae *invalidum* matrimonium reddunt ***).

*) 1) Ex his aliquae non nunquam primariis respectu quorundam accenseri poterunt. 2) Qui dotibus ad

explenda status conjugalis officia necessariis caret, eum amplecti recte nequit (§. 587. n.). Ceterum 3) de *impedimentis* matrimonii curatius in jure ecclesiastico 11) jam egimus. Unde, ne eadem repetamus, suppositis inde notionibus principiisque ipsa impedimenta solum hoc loco strictim attingimus.

**) Sunt autem impedimenta, *matrimonium contrahendum prohibentia* ex hodierna ecclesiae disciplina quatuor: 1) *ecclesiae vetitum*, seu prohibitio Rectorum ecclesiae, ne matrimonium inter certas personas ineatur: 2) *feriae*, id est, tempus sacratum ab adventu Domini ad diem epiphaniae, et a die cinerum ad dominicam in albis inclusive, inter quod tempus solennes, imo communiter quascunque nuptias citra episcopi veniam contrahere non licet; 3) *sponsalia* antehac valide cum alio contracta, nec juste dissoluta, quae proinde novum sponsum sponsamve quaerere, aut cum hac contrahere matrimonium prohibent; 4) *votum simplex castitatis, non nubendi, ordines* suscipiendi, *religionem* profitendi, quod stante matrimonio exsolvi haud potest.

***) *Impedimentorum dirimentium* quatuor numerantur classes: nimirum

I. Ex *defectu consensus* liberi et a vi injusta metuque gravi immunis dirimunt nuptias 1) *error* a) tum *circa ipsam personam*, cum qua quis velit contrahere; tum b) *circa* ejus *qualitatem* talis, qui *redundet in personam*, seu errorem personae includat 12), proin consensum in praesentem personam actu excludat. 2) *Conditio* duplici sensu, nempe a) *status vere servilis* ab altero contrahentium *libero* ignoratus; b) *conditio substantiae* bonoque *matrimonii*, id est, fidei conjugali, prolis generationi, aut perennitati matrimonii contraria, matrimoniali contractui adposita. 3) *Vis metusve* gravis a causa libera ad extorquendum in nuptias consensum injuste incussus: ni posthac liberrimo assensu purgetur matrimoniumque convalescat. 4) *Raptus*, seu violenta abductio faeminae invitae matrimonii cum

---

11) Instit. jur. eccl. p. II. §. 613—638.
12) Vid. ibid. §. 628.

ea contrahendi causa, quamdiu illa in raptoris potestate remanet.

II. Ex *defectu libertatis* matrimonium invalidum reddunt 1) *votum solenne*, seu per validam in religioso ordine ab ecclesia probato factam professionem solennisatum; 2) *ordo sacer*, saltem subdiaconatus aut libere susceptus aut libere deinceps exercitus; 3) *ligamen*, seu vinculum *prioris* matrimonii sive *consummati* sive *rati* solum, nisi *hoc* fors per alterius professionem religiosam, *illud* per mortem conjugis fuerit solutum.

III. Ob *defectum habilitatis*, seu ob inhabilitatem vel a natura ortam vel a lege inductam irritum efficiunt matrimonium 1) *impotentia* ad copulam carnalem *antecedens*, *perpetua*, atque a) *absoluta* quidem respectu omnium; b) *respectiva* ratione illius solum personae, cum qua compleri copula nequit. 2) *Aetas immatura* in *masculo* quatuordecim, in *faemina* duodecim annis minor, ni pubertati sint proximi. 3) *Crimen* triplex ad homines ab eo absterrendos matrimonium inter ejus *complices* reddit irritum, nempe a) vel *adulterium solum*, ex utraque quidem parte formale seu cognitum, quod vivente eodem legitime conjuge conjunctum fuerit vel cum attentato consummatoque matrimonio, utique invalido, vel cum promissione futuri matrimonii ab altera parte quodammodo acceptata, nec *ante* adulterium serio revocata; b) vel *caedes sola* conjugis, *duorum* contrahere volentium *consensu* perpetrata procuratave eo fine, ut nuptias inter se contrahere valeant; vel c) *adulterium et conjugicidium simul*, si caedes ab alterutro adulterorum, etsi altero ignorante, sit parata procuratave eo fine, ut cum adulterante inire matrimonium valeat. 4) *Cognatio* inter personas *naturaliter*, *spiritualiter*, *legaliter* cognatas; nimirum a) *cognatio naturalis* seu consanguinitas tum ad servandam *parentelae reverentiam*, tum ad diversas *familias* arctiore sanguinis, amoris amicitiaeque vinculo *jungendas*, tum inprimis ad *praecavenda*, quae ex familiari perpetuaque cohabitatione et consuetudine consanguineorum, si eos inter nuptiae con-

sistere possent, secutura essent, *luxuriae peccata*, matrimonium dirimit *in quovis lineae rectae gradu*; et in linea collaterali usque ad *quartum gradum* inclusive; b) *cognatio spiritualis* ex baptismi et confirmationis sacramento orta ex analoga ferme ratione matrimonium dirimit inter *susceptores*, *susceptum*, hujusque *parentes*; inter *baptizantem*, *baptizatum*, hujusque *parentes*; et c) *cognatio legalis*, verosimilius ex perfecta solum adoptione consurgens, inter *adoptantem*, *adoptatum*, hujusque *descendentes*; inter *adoptantem adoptatique uxorem*; inter *adoptatum adoptantisque liberos*, quamdiu in eadem patria potestate sunt constituti. 5) *Affinitas* dirimit matrimonium inter virum et consanguineos faeminae, quacum ille carnalem copulam perfectam habuit, et vicissim inter faeminam carnaliter cognitam et cognoscentis consanguineos, et quidem a) per copulam *illicitam* orta usque ad *secundum*; b) *ex copula licita* seu conjugali proveniens usque *ad quartum gradum* inclusive inter affines dirimit. 6) *Publica honestas* seu quaedam quasi affinitas ex sponsalibus validis, aut matrimonio solum rato, licet invalido (dummodo non invalidum sit ex defectu consensus aut ob praecedens publicae honestatis impedimentum), proveniens inter sponsum et sponsae consanguineos, et vicissim, nuptias dirimit: et quidem a) *ex sponsalibus validis* absolutisque aut post purificatam conditionem firmis orta usque *ad primum*; b) ex matrimonio autem proveniens usque *ad quartum gradum* inclusive inter sponsum et sponsae consanguineos, et vicissim, irritum reddit matrimonium.

IV. Ex *defectu solennitatis* dirimit matrimonium 1) *clandestinitas*, si nempe clam, id est, sine parochi proprii et duorum testium praesentia matrimonii contractus fuerit celebratus in loco, in quo lex Tridentini concilii fuerat promulgata; 2) *defectus alius formae substantialis*, forte per particulares leges praescriptae, e. g. consensus parentum, tutorum, sicubi ad validitatem pertineat. Ceterum haec articulatius exposita videantur in meis *institutionibus juris eccl.* §. 626—638.

§. 592.

Regulae in statu conjugali ineundo servandae.

Quum ex status conjugalis electione prudenti tum conjugum tum prolium tum reipublicae etiam salus magnopere pendeat: interest plurimum, ut is status multa cum cautione prudentiaque ineatur, quam in rem servire poterunt *hae regulae generales:* nempe status conjugalis tum quoad se, tum quoad certam personam ut rite ineatur, is status a) non *praemature* b), nec nisi *cognita* ejus indole; c) prudenti cum *deliberatione* suscipiatur; et d) certa persona non nisi rite cognitis ejus dotibus praecipuis; e) haud fastidiosius tamen; nec f) *immodicis cum exspectationibus* eligatur. Scilicet 1) de eligenda certa, quacum matrimonium inire quis velit, persona non ante vulgo agitanda consilia, nedum futuri matrimonii sponsiones faciendae, nec etiam amatoriis quibuscunque tractatibus locus ullus dandus, nisi eo demum tempore, quo *paulo post* matrimonium reapse iniri recte potest *). Eo autem in rerum articulo 2) dignitas matrimonii, gravissima ejus officia oneraque (§. 584.) sollicite, articulatim, saepiusque cum animo ponderanda sunt. Quibus rite perpensis 3) ad ipsam electionem animus applicandus: a) *praemisso* de vocatione ad hunc statum maturo *examine* [13]; inprimis b) *invocata saepius Dei ope*, ut conjugem largiatur bonam, quae donum Dei insigne est [14]), et a mala protegat, qua pejus homini vix quidpiam contingere queat [15]); c) *exploratis* rite conjugis seligen-

13) Cf. I. Cor. VII. 24.
14) Proverb. XIX. 14. Eccl. XXVI. 1—3.
15) Eccl. XXV. 23—27. 30. XXVI. 10. seq. Proverb. XIX. 13. XXI. 19.

dae *dotibus* tum physicis tum moralibus; d) *adhibito* prudentum *consilio*, inprimis accedente parentum, aut, qui eorum loco sunt, consensu; e) ex *honestissimo fine* [16]) electio fiat. 4) In persona sibi in conjugem deligenda equidem a) ad *primarium* hujus status finem maxime attendat; b) et ad dotes bonae conjugis *primarias* potius, inprimis autem ad solidam virtutem, prudentiam, easque dotes, propter quas perpetuo aestimari et amari mereatur, quam ad *accidentales* fugacesque ac cito evanituras aut minoris pretii qualitates respiciat; nec c) unquam solo affectu se duci sinat, sed rationi et prudentum consiliis locum concedat; neque tamen d) cum persona, a qua animus prorsus abhorret, et cui nullo modo bene affectus esse potest; item nec facile cum ea, quae status, aetatis, conditionis, indolis admodum *disparis* est, quorumcunque accidentalium commodorum aut suasionum causa, perpetuam societatem jungat. Ceterum 5) in persona eligenda a) haudquaquam quis *meras perfectiones*, vel solito majores, aut exigat, aut quaerat speretve; b) sed ejus etiam imperfectiones scire et exploratas habere satagat, ne forte, dum quis delicatior est, honesti conjugii ineundi occasiones perdat; aut, dum deinceps perfectiones, quas sibi imprudens finxerat, conjugi deesse, aut imperfectiones, quas improvidus non attenderat, inesse eidem compererit, paulo post afficiatur fastidio taedioque, quod deinceps ingentium non raro malorum seges esse solet **). Quare 6) nullus *nimis excelsos* et a romanensibus libris fingi solitos vel de conjugalis status felicitate jucunditateque, vel de conjugis perfectionibus *conceptus* sibi efformet, sed potius

---

16) Tobiae VI. 17. VIII. 9.

quivis ut in quovis alio, ita et in hoc statu plura sibi supportanda onera et quasdam molestias sibi devorandas esse pro certo habeat, atque idcirco ad eas fortiter ferendas, et ad status hujus officia, iis molestiis insuper habitis, exacte implenda animum rite praeparatum adferre satagat.

*) 1) Quanta mala ex *praematuro* et ex imprudenti de futuro matrimonio cogitandi tractandique pruritu consequantur, quaeque non in conjuges tantum, sed in familias, liberos, rempublicam ipsam, atque inprimis in moralitatem redundent, certa tristisque experientia satis demonstrat. 2) Aetas juvenilis caste, innocenter et honestissime acta optima ad fausta connubia est praeparatio.

**) 1) Conjugiis pie sapienterque ineundis; item explendis status hujus officiis, atque conjugum felicitati librorum romanensium quorundam, qui falsas et modum omnem excedentes hac de re ideas ingenerare solent, lectionem haud parum officere indubium est. 2) In ineundo matrimonio inprimis justitiae ac sinceritatis leges stricte servandae, ut sponsi nullatenus fraude, promissionibus fictis, aut aliis modis se decipiant; expedit potius ea omnia, quae scire alterius interest, antea manifestare.

§. 593.

Fundamentum officiorum status conjugalis.

Societatis cujusvis jura officiaque; item ejus indoles *ex fine* ejusdem et *pacto sociali* determinantur. Idem equidem in statu conjugali locum quoque habet: attamen tum *finis* ejusdem, tum *indoles* quoad rei substantiam jam lege naturali positivaque divina, imo humana jam ita sunt determinata, ut a contrahentium arbitrio haud pendeant. Quocirca status conjugalis alio, quam qui per has leges determinatus est, modo iniri ne valide quidem potest. Jam vero 1) quum per

eas leges a) *finis* tum primarius, tum secundarius sit determinatus (§. 584.); item b) non nisi *duas inter personas* marem et faeminam; et quidem c) *in perpetuum* duratura societas permittatur; patet, societatem conjugalem duntaxat his legibus convenientem posse iniri, et ex iisdem jura officiaque conjugum esse dimetienda. Item 2) quum contractus matrimonialis a Christo ad *sacramenti dignitatem* sit evectus, eique rite celebrato adnexa sit gratia sacramentalis conjugibus rite dispositis conferenda ad se pie amandos, liberosque sancte educandos et cetera status hujus officia recte explenda: is quidem contractus secundum ecclesiae leges pie, religiose reverenterque atque ita est celebrandus, ut adnexa gratia reapse participetur et ad eum, ad quem promissa est, finem recte usurpetur: de qua re inferius redibit sermo. Porro 3) in pacto conjugali his legibus consentaneo vir mulierque sibi spondent, inprimis a) jus privatum mutuum in corpora ad actus generationi prolium de se aptos; b) perpetuam fidem conjugalem; c) mutuum adjutorium in educanda prole; d) individuum vitae commercium, singularem constantemque amorem mutuumque subsidium. Atque hoc respectu inter conjuges omnimoda *aequalitas* intercedit. 4) Huic tamen aequalitati ac finibus matrimonii non modo non obstat, sed iis promovendis etiam servit, ut *maritus* respectu conjugis veluti *caput* et in societate conjugali *director* considerari possit debeatque 17). Item 5) ut conjux uterque certa in finibus matrimonii consectandis officia tanquam sibi ma-

17) I. Cor. XI. 3. 7.—12. Ephes. V. 23. sq. I. Timoth. II. 11. sq. Petri. III. 1. V. 6.

gis propria exequi debeat. Quapropter 6) officia conjugum considerari queunt tum a) utrique *communia,* tum b) *marito ceu capiti,* tum c) *uxori tanquam subordinatae* peculiaria. 7) Praeter haec officia inter conjuges mutua iisdem alia versus proles incumbunt, de quibus postea dicturi sumus.

§. 594.

1) *Officia conjugum mutua.*

Officia autem conjugum mutua, quae magnam partem cum officiis amicitiae jam supra (§. 536. n. 2.) expositis congruunt, atque a) mutua aestimatione, b) singulari amore, constanti animorum consensione, et candida intimorum mentis et animi sensorum communicatione; c) fidelitate; d) mansuetudine patientiaque continentur, inprimis censentur sequentia, nempe ut

1) Mutuo, sincero, tenero et speciali, eoque sancto et rationali honore amoreque se prosequantur, per omnia sibi condolescant congaudeantque; 2) sese invicem ad virtutem perfectionemque christianam juvent et verbis exemplisque exstimulent; 3) infirmitates imperfectionesque tum physicas, tum morales benigne patienterque tolerent; 4) quidquid amorem *tenerum* ac fiduciam mutuam fovere possit, sedulo adhibeant, contra quidquid eandem imminuere, concordiam intimam debilitare, dissidia excitare queat, omni sollicitudine praecaveant; 5) exorta fors *dissidia* in ortu suo quam celerrime suffocent, et amorem mutuum quibusvis remediis licitis restaurare ac fovere satagant; zelotypiam summe refugiant; 6) omni *officiositatis* genere et mutuae aestimationis significationibus sese praevenire ac vincere studeant; atque ea maxime, quae aliis ho-

minibus quibusque exhibenda esse diximus (§. 514—519.), officia socialia multo sollicitius conjuges sibi praestent; 7) rei domesticae curam inter se partiantur ac communi studio sustineant, atque in his aliisque negotiis et quibusvis corporis animique indigentiis mutuo se juvent ac sustentent; nec maritus de bonis uxoris invitae, nec haec de bonis mariti, vel quorum hic usumfructum aut administrationem habet, invito rationabiliter marito disponat *); 8) *debitum conjugale*, nisi gravis justaque excusatio subsit, fideliter, honestissime tamen, et remoto omnis scandali periculo sibi reddant [18]); thori sanctam fidem servent, omnem illiciti erga alios affectus vel umbram devitent, et fidem conjugalem non corpore solum, sed et animo immaculatam custodiant **); ceterum 9) in usu juris conjugalis immoderationem, indecentiam inhonestatemque caute declinent [19]); 10) perpetuo sibi *cohabitent*, nec unquam, etiam ob graviores molestias, se deserant; sed usque ad ultimum vitae halitum sibi mutuo adsistant, et praesertim aegrotanti fors conjugi quoad salutem tum corporalem tum spiritualem omnem sollicitudinem curamque alter adhibeat; demum pars superstes defunctae justa persolvat (§. 579.) ***).

*) 1) *Bona conjugum* varii sunt generis: a) dos (das Heyrathgut); b) contrados (die Widerlage); c) vidualitium (Wittwensitz); d) morgengaba (Morgengabe); e) arrha sponsalitia et sponsalitia largitas (Mahlschatz); f) acquaestus (die Errungenschaft; g) *paraphernalia* aut praeterdotalia, praeter dotem allata; h) *receptitia*, quae ex his uxor

18) I. Cor. VII. 3. I. Thess. IV. 4. sq. Hebr. III. 4.
19) I. Thess. IV. 4. sq. I. Cor. VII. 29. 31.

suae propriae dispositioni reservavit 20). Porro 2) *dotis* tum dominium tum usumfructum maritus durante matrimonio habet. 3) *Contradotem* et usumfructum *vidualitii* mortuo demum marito uxor nanciscitur. 4) *Morgengaba* et *sponsalitia largitas* accipientis propria sunt. 5) *Acquaestus* utrique communis est. 6) *In dubio* de dominio bonorum praesumtio pro viro manet; et, ubi non constat, an bonum dotale, paraphernale aut receptitium sit, pro paraphernali habetur. 7) *In paraphernalia* autem jure patrio administratio et ususfructus; neutrum autem *in receptitia* marito competit. 8) Igitur conjuges haec jura *laedentes* peccant, et ad restitutionem etiam tenentur.

**) 1) *Matrimonii juribus uti* a) ob finem primarium, ad prolem gignendam, bonum prorsus est; b) ob solam voluptatem, peccatum veniale censetur; c) solum ob finem secundarium, e. g. libidinis vitandae gratia, moraliter imperfectum 21) videtur, si quidem immoderatio absit; d) immoderatio vero quaedam, quae nec fini primario, nec ordini naturae, nec aliis officiis, e. g. curae sanitatis, graviter repugnat, peccatum veniale vulgo non excedere creditur; e) matrimonio autem *contra finem primarium* et *ordinem naturalem uti*, e. g. impediendo prolis generationem, Onani crimen committendo, semper graviter illicitum habendum. 2) *Petere conjugale debitum*, nisi forte quandoque ex charitate ad praepedienda mala, ad avertenda animae pericula suspicionesque, ad amorem integrandum fieri debeat, conjux non tenetur; petenti autem *reddere* vulgo pars quaevis stricte obligatur, nisi adsit gravis causa excusans. *Causae* autem a reddendo debito *excusantes* censentur, e. g a) notabile sanitatis detrimentum; b) periculum prolis, e. g. si copula foetui in utero existenti periculosa praevideatur; c) incompetens locus aut modus; d) demen-

---

20) Cf. cod. bav. civ. p. I. c. 6. §. 12—28. et institut. meas jur. eccl. p. II. §. 654. n. 2.

21) I. Cor. VII. 2—6. cf. *Schwarzhueber* pract. Religionshandbuch. p. IV. §. 159.

tia furiosa compartis, ex qua periculum proli nasciturae timeatur; e) *adulterium* ab altera parte commissum, per quod haec jure suo excidit. Attamen, nisi conjux ab adultera parte per divortium legitimum separare se velit, poenitenti se reconciliare et debitum reddere saepius charitas jubet. At 4) causae a reddendo debito sufficienter excusantes non sunt e. g. molestiae, quas faeminae gravidae patiuntur, difficultas partus, aut periculum, quod ex partu imminet: nam ad haec, quae non raro eveniunt, subeunda se obligasse conjuges censentur. — 5) Superveniente *certa notitia de nullitate matrimonii* conjuges nec reddere debitum, nedum petere possunt. 6) *Dubio* de matrimonii nullitate exorto, si altera pars, quae petit, nil dubitat, reddere debitum pars dubia tenetur, ne se *juris violandi* periculo exponat. Quodsi 7) uterque jam *cum dubio* matrimonium iniisset, neutra pars petere reddereve poterit. 8) Ob adulterium unius cum conjugis in primo et secundo gradu consanguineis commissum peccans jam petere debitum conjugale ob impedimentum affinitatis nequit; petenti tamen parti innocenti, ne haec alterius ob peccatum jure suo privetur, reddere debitum potest debetque.

***) 1) *Divortium* etiam legitimum, nisi ex causis gravissimis atque vel ex summa solum necessitate, non cogitent, nedum ambiant conjuges, utpote quod citra majora incommoda, citra animae pericula, imo citra existimationis dispendium fieri vix potest. 2) Quid circa divortia justum sit, in institutionibus juris eccl. §. 663 — 667. jam exposui. 3) De malitia *adulterii*, quod a) justitiae, b) sacramenti dignitati, c) bono reipublicae, familiarum saluti pacique insigniter repugnat; d) et legitimorum filiorum aut conjugis bonis gravia saepe damna infert; atque e) plurimorum aliorum malorum causa et occasio existit, antehac (§. 181. n. 3.) jam diximus.

§. 595.

2) *Officia mariti specialia.*

Maritus tanquam caput mulieris tutorque ac curator familiae praeterea obligatur, 1) ut praecipua prudentia ac morum probitate suam auctoritatem ac potestatem sustentet; 2) ut suam auctoritatem equidem ex imbecillitate uxori haud cedat [22]); eam tamen nullatenus imperiose nedum duriter exserat [23]); sed potius 3) conjugem ceu sociam sibi cetera aequalem sincere sancteque diligat [24]), amice, benigne tractet, ejus votis ac quibusvis haud imprudentibus petitis concedat, consiliis ejusdem se comiter accommodet; imprudentibus tamen uxoris desideriis haud indulgeat, sed saniora doceat, eique persuadere adnitatur *); 4) ut tanquam fortior prudentiorque, qualem utique virum esse decet, conjugis infirmitatibus, imperfectionibusque compati [25]), et quasi infirmiori honorem impertiri studeat; 5) ut uxorem et rem familiarem prudenter dirigat, illam tueatur, eique de omnibus rebus necessariis provideat, ac bona tum sibi *propria* tum *communia* provide administret**) §. praec.); 6) imo non modo dum superstes est, sed etiam pro futuro uxori congruam sustentationem prospicere satagat.

*) *Maritus* 1) naevis aut desideriis uxoris, et quibus rei familiari, paci, concordiae, prolium saluti noxia consectaria promanare debent, statim initio constanter prudenterque se opponat. Nam per indulgentiam malum deinceps aut curatu difficillimum

22) I. Timoth. II. 12. Eccl. IX. 2.
23) Col. III. 19.
24) Ephes. V. 25—28.
25) I. Petr. III. 7.

aut impossibile effici experientia docet. 2) Nunquam diffidentiam de fide conjugis imprudenter prodat, sed potius in ipsius pudicitia et fidelitate magnam a se fiduciam reponi ostendat. Quo facto magis, quam per zelotypiam aut coërcitiones immodicas fidem animumque uxoris sibi devinciet.

§. 596.

3) *Officia uxoris propria.*

Uxor autem, praeter officia utrique conjugi communia, obstringitur, ut 1) marito quamdam *reverentiam*, ac in iis, quae ad rem familiarem pertinent, imo in rebus quibusvis justis obedientiam praestet [26]); ut 2) marito suo per omnia placere, ejus curas et sollicitudines sublevare quovis modo conetur; item mariti naevos mansuetudine, patientia, precibus ac aliis suavibus remediis emendare ac vincere adnitatur *); 3) ut negotiis, quae ad solos viros pertinent, se haud immisceat ingeneretve; sed maxime eorum, quae faeminas decent, curam sedulam gerat, remque domesticam curet [27]); ceterum 4) de *bonis* tum communibus, tum iis, quorum administratio ad maritum pertinet (§. 589. n. 1.) non nisi cum praescitu expresso prudenterve praesumto ejus assensu; proin nunquam contra jus rationalemque ejus voluntatem aut contra familiae bonum disponere, nec ea ad eleemosynas aut alias causas pias, nedum ad vanitatem fovendam impendere audeat; unde 5) modestiam, decentiam, munditiem inprimis colat; ab omni luxu, ab immodica vestitus vanitate, ab inutilibus, statum

---

26) Gen. III. 16. Ephes. V. 22—33. Col. III. 18. Tit. II. 5. I. Petr. III. 5. sq.

27) Tit. II. 4. sqq. Proverb. XXXI. 10—28.

dedecentibus, sumtuosis recreationibus abstineat; 6) operibus charitatis ac misericordiae cumprimis studeat [28]); atque 7) si viro suo superstes vixerit, aut vitam vidua christiana dignam degat **), aut *in domino* ad alias nuptias transeat.

*) *Uxor* 1) id sibi persuasissimum habeat, a) per mansuetudinem, patientiam, amicas adhortationes, precesque; b) per teneri amoris officiositatisque significationes; c) per taciturnitatem opportunam et cedendi facilitatem; item d) per vultus orisque continuam hilaritatem suavitatemque; demumque e) per sollicitam omnium eorum, quae infidelitatis affectusve versus alios illiciti vel speciem prae se ferre possent, evitationem multo certius feliciusque, quam aliis quibuscunque remediis, viri naevos se emendaturam superaturamque esse. 2) Contra ex opposita agendi ratione plurimum mali, vix unquam boni quidpiam eventurum esse pro certo habendum est. Dein 3) experientia ipsa et scripturae etiam auctoritas docet, imperiosam, rixosam, iracundam, morosam, aut levem infidelemve uxorem esse ingentium malorum seminarium, familiae pestem, mariti et liberorum flagellum acerbissimum 29).

**) *Viduata* viro 1) equidem beatior erit, si sic permanserit 30), siquidem eo statu ad virtutem liberius et perfectius exercendam utatur; 2) sin: praestat viduas, juniores maxime, nubere, filios procreare, matres familias esse 31). 3) Quae autem viduae permanent, non solum non sint otiosae, verbosae, curiosae, loquentes, quae non oportet, nec in deliciis vivant 32), sed domum suam regant, prolibus suis rite educandis et suo tempore collo-

---

28) Proverb. XXXI. 20.
29) Eccl. XXVI. 1—3. 16—26. XXVI. 22—30. XXVI 5—11. cf. *Ferd. Wanker* christl. Sittenl. II. Th. §. 255. n.
30) I. Cor. VII. 8. 40.
31) I Timoth. V. 14.
32) Ibid. 6. 13.

candis operam sollicitiorem impendant; etiam gravioribus curis adversitatibusque pressae et humana ope destitutae majori fiducia in Domino sperent, eique soli placere quaerant, obsecrationibus et orationibus nocte ac die instent, per omnia irreprehensibiles sint, in operibus bonis, in filiorum proba educatione, in operibus misericordiae se exerceant et omne opus bonum subsequantur 33). Atque 4) hae demum, quae hujusmodi sunt, vere *viduae*, et honore dignae censentur. Cf. *Bened. Stattler* christl. Sittenlehre für den Haus- und Familienstand. 2. B. §. 771—776.

§. 597.

Infaustorum connubiorum causae.

Inter plures infaustorum connubiorum causas, quas scire et declinare utique maxime interest, praecipuae censentur: 1) status conjugalis aut conjugis contra datas regulas (§. 586.) imprudenter facta electio; 2) falsae aut nimium excelsae de status conjugalis jucunditate, de conjugis perfectionibus ideae, aut praeconceptae opiniones (§. 586. n. 6); 3) vitia officiis status conjugalis inprimis inimica, e. g. luxuria, prodigalitas, luxus, ebrietas, pertinacia, rixandi libido, fallacia et diffidentia; item zelotypia et conversandi cum aliis libertas licentiave *); 4) defectus solidae probitatis, earumque dotium, quae conjugibus maxime inesse deberent (§. 585.), inprimis naevi iisdem contrarii, atque nimia etiam inter conjuges familiaritas agendique ruditas; 5) indolis, genii, imo conditionis quoque et aetatis nimia inter conjuges disparitas; 6) susurrationes malevolorum hominum, qui discordias inter conjuges seminant.

---

33) I. Timoth. V. 4—10.

*) 1) In his causis tum praevertendis, tum amovendis maxima adhibenda sollicitudo est. 2) In eam rem serviet sinceritas praecipua, et tenera quaedam amicitia inter conjuges, vi cujus arcana sua amice sibi pandant, atque illa etiam, quae sibi in altera displicent, comparti candide aperiant, et idem ab altera parte fieri non solum aeque patiantur, sed et desiderent, atque monita justaque conjugis desideria explere modis omnibus satagant. 3) Quum autem nemo naevorum sit expers, conjuges inprimis, qui non possunt non varios in comparte naevos experiri, id sanctissimum habeant, quod quosvis alios monet apostolus: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* 34); *patientia vobis necessaria est*, nec eo quidem in casu deserenda, dum adhibitis quibusvis remediis fructus haud respondeat. Ceterum 4) motiva patientiae varia alibi (§. 391.) jam indicavimus 35).

CAPUT III.

DE SOCIETATE PARENTALI ET MUTUIS PARENTUM LIBERORUMQUE OFFICIIS.

§. 598.

Officiorum horum fundamentum et ordo.

De *societatis parentalis* seu mutuis parentum et liberorum officiis dicturi primo 1) officiorum eorundem *fundamentum;* dein 2) *officia* ipsa parentum *erga liberos* a) *nascentes;* b) *pueros,* c) *adolescentiores;* tum 3) *liberorum erga parentes* officia paucis exponemus. Porro quod ad *fundamentum* officio-

34) Galat. VI. 2.
35) Cf. *Schwarzhueber* prakt. kath. Religionshandb. p. IV. §. 164.

rum illorum attinet, jam ipsa naturalis parentes inter et natos conjunctio nexusque horum mutua jura officiaque satis determinat. Ceterum 1) tum a) matrimonii primarius finis (§. 584.); tum b) naturalis tenerque parentum erga natos amor; tum c) liberorum impotentia indigentiaque; item d) jus humanitatis; et e) bonum universi; demumque f) ipsa reipublicae et ecclesiae salus mutua inter parentes prolesque officia imperant: atque 2) ex his quidem rationibus *parentes*, ut qui existentiae liberorum causa fuerunt, ad eos, quos edidere, liberos sustentandos, atque ita physice moraliterque educandos obligantur, ut ii societatis humanae, reipublicae ecclesiaeque bona membra esse, atque *ad finem suum* pertingere valeant. 3) Quocirca parentes *jus realiter personale in natos* habent: a) pro quo eos in sua potestate retinent; b) suaeque obedientiae, quatenus haec ad educationis finem opus est, subjectos habent; usque dum c) eosdem ad corporis animique maturitatem pervenientes emanciparint. 4) Atque inde etiam liberorum necessaria erga parentes subjectio, qua sine bonae educationis finis obtineri nunquam potest; item reliqua eorum versus parentes officia quodammodo intelliguntur; quae quidem partim post emancipationem cessant, partim perdurant. Porro 5) haec officia explicaturi primum *de parentum erga proles officiis* agemus *): tum 6) *mutua erga parentes* officia strictim expostituri sumus.

*) 1) Officia parentum multiplicia plures veluti in classes dividi possunt, quo referuntur a) cura salutis et perfectionis corporeae prolium; b) cultura facultatum animae; c) cultura prolium moralis et religiosa; d) cultura civilis, ut reipublicae utilia membra evadant; e) recta collocatio liberorum in conditio-

ne statuque iis congruente. 2) Nos rem omnem ad pauciora capita praeceptaque contrahemus, et reliqua ab iis, qui de educatione ex professo agunt, petenda suademus. Demum 3) generatim notandum, parentes ea omnia, quaecunque aliis praestare tenemur, amoris officia utique suis liberis eo strictius impendere debere, quo intimius cum liberis, qui eorum sanguis et caro sunt, connectantur. (§. 140.)

§. 599.

Officia parentum 1) erga proles futuras, nondum natas, aut nascentes;

Officia parentum versus liberos jam quodammodo eorum generationem praecedunt, aut certe ab eorum conceptu capiunt initium et usque ad educationis finem inprimis perdurant. Jam vero quod ad officia erga *proles futuras, conceptas nascentesque* attinet, haec notanda: 1) Parentes omnia ea sollicite caveant, quae impediunt, quo minus sanos optimosque natos gignere educareque valeant: quo inprimis ea, quae corpus enervant sanitatemque corrumpunt, aut ad natos infirmos bardosque gignendos conferunt, vitia gulae praesertim, crapulae, luxuriae, iracundiae, aliaque referuntur. 2) Prole concepta *mater* inprimis omnia illa caute declinet, quae vitae salutique prolis noxia esse possunt, e. g. vehementiores irae, tristitiae, timoris affectiones, cibos potusque insalubres, vehementiores corporis commotiones. 3) *Pater* item non modo proli conjugique noxia pro virili avertat, sed etiam quaecunque matri foetuïque salutaria procuret. 4) Partu instante parens uterque prolis nasciturae saluti tum corporali tum spirituali sollicite prospiciat; nec solum ea, quae ad edendam felici partu prolem eamque per salutare lavacrum quant-

ocius regenerandam pertinent, sed et quae matris prolisque sanitati servandae consulant, subsidia cautionesque adhibeat vel procuret.

*) Hinc 1) de baptismo a) foetus immaturi; item b) de baptismo *necessitatis*, ut vocant, seu de baptismo infantis in mortis periculo constituti, aut nondum in lucem prorsus editi, aut jam editi rite conferendo tum obstetrices tum parentes bene sint instructi et maxime solliciti. 2) De aliis ad curam recens nati infantis pertinentibus ii, qui de his speciatim agunt, consulendi sunt libri 36). 3) Heic generalia quaedam delibabimus.

§. 600.

2) *Erga proles in puerili aetate inprimis* a) *quoad educationem physicam;*

De officio erga proles quoad *educationem physicam* generatim sequentia notasse sufficiat: 1) Quum corpus infantis fragile admodum sit, maxima in vitandis corporis valetudinisque periculis cautio adhibeatur: proin 2) cuncta, quae vitae, sanitati, integritati roborique corporis infantis nocere queunt, sollicite removeantur: contra 3) quae ad vitam, sanitatem firmitatemque corporis infantilis conferre poterunt, subsidia diligenter non ad praejudiciorum, sed ad regularum a peritis praescriptarum amussim adhibeantur. 4) Educatio nec mollior sit, nec ultra vires, aetatem, aut assuetudinem etiam infantis rigidior; nec varia etiam, sed sibi constans:

---

36) E. g. *D. Ch. Hufeland* guter Rath an Mütter über die wichtigsten Punkte der physischen Erziehung der Kinder in den ersten Jahren. Berlin 1799. *Benedict. Stattler* christl. Sittenlehre für den christl. Haus- oder Familienstand. 1. B. §. 156—178. *Aug. Herm. Niemeyer* Grundsätze der Erziehung. 1. Th. 2. Abh. §. 20. sqq.

attamen gradatim quasi, atque aetati viribusque convenienter instituatur. 5) Ut materno infantes lacte nutriantur, ni quid obstet, maxime decet [37]) proficuumque est; sin: certe non nisi honestis, probis, beneque valentibus faeminis nutriendae credantur *). 6) Victus, aër, lectus, motus saluti infantis maxime saluber procurandus, immodicus, inordinatus, insaluber victus, aërque praesertim impurus diuque inclusus cavendus (§. 346). 7) Cura infantum maxime parentibus incumbit: unde, quantum a parentibus ipsis geri potest, nequaquam in alios, atque, siquidem opus fuerit, in eos solum transferenda partim est, a quibus id negotii optime gerendum fore sperari merito possit. 8) Ut primum per aetatem licet, variis modis assuefaciendae suaviterque inducendae sunt proles, ut ab iis, quae sanitati corporisque vigori nocitura sciunt, etsi voluptati servitura sint, per se ipsos abhorreant et non nisi salutaria ex parentum consilio admittant. Demum 9) non solum ea, quae ad sanitatem corporis infantilis servire queunt (§. 346. sq.), sed et quae ad corporis perfectionem, agilitatem, dexteritatem, elegantiam modestiamque conferre possint (§. 351—354.), subsidia respectu prolium adhibenda ita sunt, ut prima semper *moralitatis*, quae supremus omnis *educationis finis* est, ratio habeatur [38]).

*) Ceterum 1) mater suo lacte infantem, quod maxime decet, nutriens ab affectuum vehementia, a cibi potusque insalubris sumtione, et ab iis, quae

37) Cf. *Schwarzhueber* prakt. kathol. Religionshandb. p. IV. §. 166. et *Caroli Starck* sermo academ. quartus, quo matres hortatur, ut ipsae suas proles lactent, habitus in audit. publ. Mogunt. A. 1801.

38) Cf. *Aug. Hermann Niemeyer* l. c. §. 27. sqq.

proli nocere possint, sibi sollicite temperare debet. 2) Quodsi aut sanitatis propriae aut alius gravis rationis causa lactare ipsa infantem non possit, vehementer caveat, ne corporis animique, praesertim luxuriae, vitiis infectae nutrici id officii credat: quo facto non raro evenit, ut non solum prolium sanitas, sed, quod visum multis, etiam anima vitietur corrumpaturque. Porro cavendum, 3) ne proles tenerae a matre aut nutrice in eodem, sine repagulo, lecto retentae suffocationis periculo, quod jam monuimus (§. 559. n. 3.), exponantur, Cf. *Stattler* l. c. §. 168.

§. 601.

3) *Officia erga easdem b) quoad educationem intellectualem, aestheticam et moralem.*

De hoc *educationis intellectualis, aestheticae ac moralis* officio modoque nostra aetate prostant, quos consulere oportet, libri quam plurimi 39). Nobis quaedam generatim delibare sufficiat: 1) Ut parentes educationis intellectualis moralisque officio rite perfungi valeant, necesse est, a) ut ipsi principiis sanis moralibusque optime sint instructi, vereque moraliter boni et probi esse studeant; b) ut rationalem tenerumque erga liberos amorem habeant, ab immodico autem imprudentique, qui vitiis prolium indulgeat, affectu sibi sollicite caveant; c) ut sincerum erga proles amorem constanter quidem prodant: simul tamen d) auctoritatem suam prudenter servent tueanturque; e) utque adeo non tantum prolium erga se amorem, fiduciam, sinceritatem, sed etiam reverentiam et obedientiam excitent foveantque; quare f) liberis nec immodice blandiantur indul-

39) Cf., a quo plurimi alii laudantur, *Aug. Herm. Niemeyer* Grundsätze der Erziehung. Halle 1799. I. B. II. Th. §. 40. seqq.

geantve, nec ineptius cum iis jocentur, nec nimia duritia erga eosdem unquam utantur, eosve ad iracundiam aut ad indignationem provocent, eorumve animos dejiciant [40]; nedum despotice eosdem tractent; sed g) potius in omni sua erga illos agendi ratione, circa iram tamen aut inordinatum affectum, sibi constent, atque saepius etiam de sua agendi ratione ac de praeceptorum suorum prohibitionumque aequitate utilitateque eos edoceant rationesque suggerant; ceterum h) supremum omnis educationis finem, nempe moralem educandorum bonitatem, semper ob oculos habeant, eique reliqua rite subordinent; educationem autem corporalem, intellectualem moralemque et religiosam a) ita conjungant, ut nulla negligatur, nec altera alteri impedimento, sed adjumento sit; b) igitur eas educationis species *successivo* et *justo*, quem natura resque ipsa et subjecti vires monstrant, *ordine* prosequantur; c) nec praecocem aut praematuram perfectionem urgendo tenerae aetatis vires constantiamve fraugant, atque eo ipso veram perfectionem et soliditatem praepediant, aut impossibilem reddant. Quocirca 2) proles a) ante omnia, ut primum id licet, *sensibus recte* uti et rite, ordinate articulateque *loqui* doceantur, atque primum quidem *facultas intelligendi sensualis*, phantasia, memoria, tum *intellectus* atque *sensionum facultas*; subinde *judicandi facultas* ratioque sensim modo ad *appetendi facultatem* emendandam perficiendamque, seu ad moralem subjecti perfectionem promovendam maxime accommodato, rectoque ordine excolantur; b) *sciendi aviditas* in iisdem non modo non supprimatur, sed prudenter etiam ex-

40) Ephes VI. 4. I. Timoth. III. 4. Col. III. 21.

citetur foveaturque: iis autem, quibus capiendis pares pro aetate sunt, notitiis sensim imbuantur; nec unquam *falsis ideis* conceptibusque ludificentur, nedum perterreantur; c) mature sensimque *attentioni* et *reflexioni* assuefiant, ut res a sese rite discernere atque de variis earum usibus utilitateque judicare paullatim discant. Quod 3) ad *moralem educationem* attinet, *generatim* parentes curare debent, ut a) omne a liberis *corruptionis moralis* periculum removeatur; b) ut mali moralis vel *initia* in iis supprimantur; c) ut iidem ad bonum *assuefiant;* atque d) bonum ex *puro motivo* perfecte exercendum facilius traducantur. Quare 4) a prima jam aetate proles *ad morum honestatem*, probitatem teneramque *pietatem* formentur [41]); nimirum inprimis a) non solum ab omni seductionis ac scandali capiendi periculo arceantur, sed etiam ab iis omnibus, quae periculosos affectus excitare, vel vitiorum semina in iisdem jacere valeant, procul removeantur abstrahanturque; item b) siqui fors in iis se prodant perditae philautiae, pertinaciae, invidiae, vindictaeque igniculi, statim in ortu suo constanter supprimantur [42]) *); generatim c) inordinatus *ad sensualia* affectus et immodicus eorum, quae sensibus ingrata accidunt, horror in iisdem minuatur; d) simul tempestive veris honesti inhonestique notionibus imbuantur, atque excitata excultaque in iis honesti aestimatione sensioneque morali ad legales saltem actiones ita assuefiant, ut e) paullatim non ex sensualibus solum, sed

41) Tobiae I. 10.
42) Eccl. V. 25. XVI. 1. seq. XXX. 2. Ephes. VI. 4. II, Timoth. 15.

ex rationalibus, demumque ex stricte moralibus motivis agere occipiant, et in actibus plerisque ex officii Deique reverentia imperare sibi ipsis discant **). Nempe 5) institutio ad *honestatem et religionem* ita conjungatur, ut altera alteram sustentet et promoveat. Unde proles mature moralibus religiosisque notitiis modo ad captum accommodatissimo sensim instruantur; et primum quidem ad officia juventuti propria, inprimis ad obedientiam reverentiamque parentibus et superioribus propter Deum curate exhibendam, item ad humanitatis, misericordiae et charitatis officia aliis impendenda, atque ad virtutis christianaeque pietatis exercitationes ita dextre traducantur, ut non modo nil inde molestiae ac taedii capiant, sed iisdem potius delectentur, eas ament, summaque earum reverentia teneantur. 6) Qua quidem in re curandum probe, ut in hac morali religiosaque institutione proles a *mechanismo*, ab *hypocrysis* periculo, et a *taedio religionis* procul removeantur; quocirca cautio summa adhibenda, a) ne meri soni verbaque memoriae prolium imprimantur, quin aliquam saltem ejus, quod proferunt, ideam animo conceptam habeant; b) ne praecepta moralia, veluti arbitraria Dei mandata, queis nostram obedientiam exerceat, sed veluti in ipsa rationali nostra natura fundata, ac per se necessaria iis proponantur; c) ne plura, quam capere quodammodo valent, e memoria deblaterare cogantur; praesertim autem d) ne per molestam vexationem, aut crudam agendi rationem religiosa institutio exercitatioque iisdem exosa reddatur, atque ita futurae irreligiositatis, quod experientia docet, semina jaciantur 43).

---

43) Cf. *Ferd. Wanker* christl. Sittenl. p. II. §. 259.

Quapropter videndum, ut primae *de Deo*, de optimo patre, bonorum omnium auctore, boni, honesti remuneratore liberalissimo impressiones et ideae cum jucundis sensionibus jungantur, et de Deo cogitare, loqui, audire, eidem obedire juventuti jucundum sit; ut cogitatio de Deo pueris familiaris evadat, et in actus perpetuo influat. 7) Ceterum non verbo solum, sed inprimis parentum *exemplo* ad solidam virtutem teneramque pietatem proles instituantur incitenturque. 8) Demum primi liberorum institutores *parentes* sint oportet; qui semper educationis negotium maxime cordi habeant, in eo perfecte consentiant, mutuoque se juvent. Quodsi praeterea alii adhibeantur, parentes non solum aptissimos optimosque seligant, sed etiam, ut hi officio suo rite excellenterque perfungantur, curent et invigilent. Quare eos liberaliter habeant, eorum diligentiam largiter remunerentur, auctoritatem tueantur, studia juvent sustententque.

*) Scandali, ac *seductionis pericula* juvenili aetati creant non raro 1) incauta puerorum puellarumque conversatio; 2) liberorum in eodem secum aut cum domesticis lecto cubatio; 3) domesticorum incultorum aliorumque mala exempla, incauta incastaque colloquia; 4) societates jocique adultorum liberiores; 5) publica tripudia a pueris spectata; 6) dicta exemplaque aliorum irreligiosa etc.

**) Juvat heic recitare verba in rem praesentem notatu dignissima: »Mit Maximen des Nutzens und der »Ehre zieht man wohl brauchbare, thätige Bürger, »aber nicht *gute Menschen*, die still, ungesehen, »unbemerkt, nur Gott und sich zum Zeugen schön, »edel und gross handeln. Der Vortheil der schön»sten Tugend, der stillen Tugend lässt sich nicht »arithmethisch darthun 44);« et alterius: »Soll

44) *F. M. Vierthaler* Entwurf der Schulerziehungs-

»Erziehung des jungen Bürgers Einfluss auf die Sit-»ten des Volkes haben, so darf sie nicht *von fal-»schen Grundsätzen* ausgehen, nicht *einseitig* seyn, »und muss durch *häusliche* Tugend unterstützet wer-»den. Befolgt man bey derselben den Grundsatz »*der Glückseligkeit*, so wird sie eine *weichliche* »Erziehung, a) die den Körper schwächt; b) den »Geist verkrüpelt und den Menschen unfähig macht, »die Pflichten der Tugend zu erfüllen, schwere »anhaltende Verrichtungen auf sich zu nehmen. »Tugend muss *erkämpft* werden, sie fordert Ta-»pferkeit des Geistes, Muth und Stärke des Kör-»pers, Hoheit des Geistes . . die man vom Weich-»linge nie erhalten kann u. s. w. . . Die Erzie-»hung wird *einseitig*, wenn sie sich allein oder »doch hauptsächlich mit der Bildung des Körpers »und des Kopfes beschäftiget, und die Bildung des »Herzens ganz oder doch grösstentheils vernach-»lässiget. Soll die Erziehung ihren Absichten ent-»sprechen, so darf sie sich nicht damit begnügen, »die Jugend schön denken und richtig sprechen »zu lehren: sie muss sie auch anweisen, sittlich gut »zu wollen und rechtschaffen zu handeln u. s. w. »45).«

§. 602.

4) Officia parentum erga liberos jam adolescentiores.

Parentum erga *liberos paulo adultiores* officia praeter mox dicta inprimis notanda sunt: 1) parentum erga liberos adolescentiores agendi ratio multo jam sit liberalior, atque, ut ita dicam, *amicior*. Neque igitur a) minis, nec duris increpationibus, nedum aliis eam aetatem irritantibus

---

kunde. §. 151. Cf. *Jonath. Schuderoff* Briefe über die moral. Erziehung 4. 5. B. pag. 42. sq. 68. sq.

45) *Berg* und *Zirkel* Predigten über die Pflichten der höhern und aufgeklärten Stände. Würzburg p. 108. Cf. *Aug. Herm. Niemeyer* Grundsätze der Erziehung. I. Th. III. Cap. §§. 82. — 130.

modis in eos citra necessitatem agant 46); imo b) non tam per timorem reverentialem, quam per rationis principia; ac suasorum potius amicorumque, quam praeceptorum more eos dirigere satagant; c) neque tamen per nimiam indulgentiam juvenili aetati froena remittant: sed constanter iisdem invigilent, et in ordine ac disciplina eos servare non desistant 47). Deinde 2) id omni sua agendi ratione curent, ut liberi ipsos tenere ament, sincere aestiment revereanturque, atque praecipuam erga ipsos fiduciam habeant, vi cujus sua consilia actaque parentibus pandere non abhorreant, horumque consiliis per omnia dirigi cupiant. Ceterum 3) parentes in iis disciplinis, artibus ac notitiis liberos perfecte erudiri curent, quae eorum genio, ingenio, aetati, sexui, futurae conditioni, atque votis etiam et propensionibus rationi non adversis maxime congruant *). Inprimis vero 4) ad servandum certum in omnibus suis negotiis ordinem, ad laboris et industriae amorem, ad res suas bene administrandas, ad pecuniam prudenter impendendam, ad praecipuam erga Deum pietatem, ad promtam erga omnes officiositatem comitatemque, verbo: ad solidam christianam virtutem eosdem modis omnibus excitare permovereque adlaborent, id persuasissimum habentes, se sibi ipsis et liberis et humano generi melius consulturos esse, si vere *probos*, quam si politissimos aut opulentissimos liberos habeant aut relinquant.

---

46) Ephes. VI. 4. Col. III. 21.

47) Eccl. XXX. 1. Proverb. XIII. 24. XXII. 15. XXIII. 13. XXIX. 15. De correctione liberorum plura praecipit *Schwarzhueber* prakt. kath. Religionshandb. P. IV. §. 70.

Attamen 5) simul liberorum suorum felicitati ac fortunis prospiciant: proin ea prudentia rem familiarem administrent, ut proles suas mature pro ratione conditionis indolisque bene honesteque *collocare*, eosque non consilio solum, sed opibus etiam et subsidiis juvare queant: invitos tamen ad certam vitae conditionem, aut ad connubia cum certa, a qua abhorrent, persona non cogant; honesta autem, quae ipsi sibi optarint, eorum matrimonia adeo non praepediant, ut potius promoveant. 6) Liberorum etiam *emancipatorum* curam non abjiciant, sed eos consiliis subsidiisque juvare, atque adhortationibus prudenter modesteque emendare non omittant [48]); neque tamen imprudenter domesticis eorum aut familiae negotiis se immisceant.

*) *Filiarum educatio* praecipuo quodam modo matri incumbit: haec igitur, juvante et assistente per omnia patre, a) easdem amico suavique modo ad solidam pietatem, ad orationis sacraeque lectionis studium, ad frequentanda religionis exercitia verbis et exemplis stimulet; b) haec ad modestiam singularem, ad pudicitiam, ac misericordiae ac christianae charitatis exercitationem, ad laboris et industriae atque munditiei amorem eas adhortetur et promoveat; c) haec easdem a prima jam aetate ad occupationes sexui conditionique suae convenientes et ad rei familiaris curam instituat et inducat; contra d) easdem a cultus superflui vanitate, a chorearum spectaculorumque insano amore, a librorum pravorum amatoriorumque lectione, a turpibus cantilenis, colloquiis aut conventibus quomodocunque periculosis retrahat, a consortio virorum, imo et puellarum inutili aut periculoso arceat; verbo: e) ita eas instituat atque formet, ut moraliter bonae sint, ut optimae conjuges, et matres familias tales evadant, quales decribit sapiens Proverb. XXXI,

48) Tobiae X. 13.

10—31.); quem in finem ea inprimis, quae rectam filiarum educationem aevo nostro impediunt corrumpuntve, sollicite removeantur. »In unserm »Zeitalter«, inquit vir cultus, »sind unstreitig *Le»sesucht*, besonders in Romanen, Schauspielen, Ge»dichten, *Hang zum Luxus*, *zur Zerstreuung* und »*zum Vornehmthun*, Haupthindernisse der Vered»lung des weiblichen Geschlechtes.« *C. Frid. Städlin* Grundrisse der Tugend- und Religionslehre §. 176. ad fin. pag. 485.

**) Iisdem ferme, aut horum plerisque certe officiis obstringuntur itidem illi, qui parentum vice funguntur, e. g. tutores, curatores, vitrici, patrini, magistri. 2) Officia haec demonstrant urgentque rationes gravissimae.

§. 603.

5) *Motiva et rationes praedictorum officiorum.*

Rationes, per quas parentes ad officia usque huc exposita obligantur et ad eadem sancte exequenda promoveantur, supra (§. 539.) jam indicavimus. Ceterum parentibus haec erga proles officia imperant itidem 1) *naturalis in natos propensio*, a provido Deo ob bonum universi parentum animis infixa; *proin* 2) *Dei creatoris reverentia*, cujus consiliis finibusque per rectam prolium educationem parentes obsequuntur, per ejus neglectum reluctantur; 3) *bonum reipublicae sacrae ac profanae, imo bonum universi*, quod per eorundem officiorum rectam executionem insigniter promovetur aut contra gravissime laeditur; 4) *prolium summa indigentia et bonum*, quod maxime a parentum educatione 49) et bene ordinato in ipsas amore pendet; 5) *bonum parentum*, quorum *moralitas*

49) Cf. Proverb. XXII, 6.

ac *felicitas* perfectae horum in natos officiorum executioni magnam partem 50) innititur *).

*) »Filius sapiens laetificat patrem, filius vero stultus »est moestitia matris suae 51). Melior est enim »unus timens Deum, quam mille filii impii. Et »utile est mori sine filiis, quam relinquere filios »impios: ab uno sensato inhabitabitur patria, et a »tribus impiorum deseretur 52). Quare erudi filium »tuum et refrigerabit te, et dabit delicias animae »tuae 53).« Alios fructus ex bona educatione parentibus provenientes enumerat. *Schwarzhueber* prakt. kath. Religionshandb. p. IV. §. 171.

§. 604.

Officia liberorum erga parentes.

Liberorum erga parentes officia praecipua censentur 1) *singularis aestimatio* et *reverentia* erga parentes etiam naevis ac defectibus laborantes aut senio decrepitos 54); 2) *praecipuus* vereque filialis ac sanctus *amor* 55); 3) *perfecta subjectio* et promta *obedientia* 56) in omnibus, quae ad rem domesticam moresque et disciplinam spectant *); in iis autem, quae ad statum eligendum pertinent, saltem reverens *consilii* eorum *consensusque petitio*, et, ni graves rationes obstent, iisdem obsequendi promtitudo; 4) *sincera efficaxque gratitudo* verbis operibusque constanter exhibenda 57); atque

50) Ephes. VI. 4. I. Timoth. V. 8. Proverb. X. 1. XIX. 13. XXIX. 17. Eccl. XVI. 1.
51) Proverb. X. 1.
52) Eccl. XVI. 3—5. cf. XXII. 3. XLI. 10.
53) Proverb. XXIX. 17.
54) Ephes. VI. 2. Tobiae IV. 3. Gen. IX. 21. sqq. Proverb. XX. 20. XXIII. 22. Eccl. III. 9.
55) Matth. X. 37. XIX. 19. Ephes. VI. 2.
56) Col. III. 20. Ephes. VI. 1. I. Timoth. III. 4. Proverb. I. 8. IV. 1—4.
57) Joan. XIX. 26. I. Timoth. V. 4—8.

hinc 5) *subsidium ac adjutorium* in quavis indigentia, infirmitate, necessitate promte liberaliterque parentibus impendendum [58]; 6) *confidentia* et *candor animi* erga parentes; 7) *acquiescentia* in factis per eosdem ordinationibus dispositionibusque; 8) *pietas* erga aegrotos et mortuos a christiano quovis exercenda (§. 584. sq.), speciali tamen ac singulari studio erga *parentes* demonstranda.

*) 1) *Parentum in liberos potestas* partim a) *naturalis* est parentum utrique communis; partim b) *civilis*, patri maxime competens et propterea *potestas patria* dici solita. 2) Haec in liberos, imo usquedum hi emancipentur et proprii juris fiant, etiam in eorum descendentes perdurat, et se maxime etiam exserit circa liberorum sub patria potestate constitutorum bona, quae *peculium* vocantur. Porro 3) *peculium* filiorum familias est vel a) *profectitium*, quod proles a patre vel intuitu patris nanciscuntur; vel b) *castrense*, quod filii ob officia militaria percipiunt; vel c) *quasi castrense*, quod ex muniorum officiorumve non mechanicorum gestione, ex scientiarum artiumque liberalium professione, ex beneficio ecclesiastico sibi acquirunt; item d) *adventitium*, quod prolibus alia via, nec intuitu patris, e. g. per donationem, legatum, laborem accessit; idque jure bavarico rursus est *regulare*, in quo patri ususfructus competit; sin: *irregulare*. Ceterum *in dubio* peculium jure eodem potius *profectitium* habetur [59]. Jam vero 4) bonorum a) *castrensium*, vel *quasi castrensium*, item patrio jure *adventitiorum irregularium* dominium perfectum tenent filiifamilias; attamen, quoad hi minores sunt, pater administrationem habet; b) *adventitiorum* autem regularium proprietatem tenent filiifamilias, *usumfructum* contra, usquedum filii emancipentur, pater habet; quod idem quoad *bona ma-*

58) Eccl. III, 14—18.
59) Cf. cod. civ. bav. p. I. c. V. §. 3—5.

terna obtinet: imo in Bavaria patres nobiles (die siegelmässigen) maternorum bonorum usumfructum post solutam quoque patriam potestatem retinent; qui tamen liberos dotare iisque paterne prospicere obligantur; c) *profectitiorum* vero bonorum sola *administratio*, quousque pater sinit, penes filiosfamilias est; dominium plenum pater tenet. Atque hinc, 5) quid filiifamilias circa *peculium* possint nequeantve disponere, quid parentibus hac in re debeant, satis intelligitur.

**) 1) *Emancipati* etiam liberi haec, si solum subjectionem et obedientiam circa domus gubernationem excipias, officia parentibus debent. 2) Officia expositis fere analoga debentur etiam iis, qui parentum vice sunt, e. g. avis, avunculis, patruis, tutoribus. . . 3) Gravem igitur culpam admittunt liberi, si contra parentum, aut, qui eorum vice funguntur, mandata a) recusant, artibus aut scientiis dare operam et ad futurum statum se praeparare; qui b) disciplinae domesticae se accommodare; aut c) justis parentum prohibitionibus, e. g. ne noctu evagentur, ne periculosas societates frequentent, obsequi negligunt.

§. 605.

Motiva et rationes horum officiorum.

Ad haec erga parentes officia rite perfecteque explenda liberos stricte *obligant* fortiterque *moveant* 1) *intima ac summa* natorum cum parentibus *conjunctio;* natorum summa indigentia et a parentibus dependentia; 2) *naturalis* natorum versus parentes *propensio,* quam ratio non probat solum, sed ut foveatur, imperat; 3) *amor et benevolentia parentum* erga proles, quae ad mutuum amorem, et gratitudinem provocat [60]; 4) *bonum prolium* tum morale tum physicum, quod per officiorum illorum executionem maxime pro-

60) Tobiae IV. 3.

movetur [61]); et contra 5) *bonum universi*, quod itidem ex illorum officiorum observatione magnopere pendet; 6) *praecepta religionis christianae*, queis ea officia gravissime imperantur [62]), praevaricationes autem eorum veluti detestanda crimina damnantur [63]); 7) *exemplum Christi*, qui suis parentibus exacte *subditus* erat; et in cruce moriens matri amanter prospexit [64]).

CAPUT IV.

DE SOCIETATE HERILI, MUTUISQUE HEROS INTER FAMULOSQUE OFFICIIS.

---

§. 606.

Officia status herilis seu herorum famulorumque mutua ita exponemus, ut 1) eorum *fundamentum*; dein *officia* ipsa 2) *herorum erga famulos*, et 3) horum *erga heros*; demum appendicis loco 4) *alia eorundem officia* recenseamus. Porro ad officiorum illorum fundamentum et normam quod attinet, in determinandis mutuis heros inter famulosque officiis 1) respiciendum maxime videtur a) *ad dignitatem humanam*, juraque humanitatis; b) ad *arctiorem* inter eosdem *conjunctionem*; et c) ad *pactum* eos inter initum. Unde 2) heri famulique id sibi debent, a) ut *dignitas personalis* et *moralis*

---

61) Ephes. VI. 3. Eccl. III. 5—13.
62) Matth. XV. 4—5. Marc. VII. 9—13. Ephes. 1—3. Col. III. 20. Eccl. III. 6—17.
63) Rom. I. 30. Eccl. III. 18.
64) Luc. II. 51. Joan. XIX. 26. sqq.

destinatio (§. 60. sqq.) non solum salva maneat, sed etiam promoveatur; b) ut ob ipsam *arctiorem conjunctionem* non solum communi, sed *singulari* amore benevolentiaque heri famulique se prosequantur; demum c) ut ex *pacto debita* sibi sancte praestent.

*) Ceterum heic non solum attendendum, quid stricte *justum*, sed quid ex regulis rationis evangeliique aequum, ac christianae charitati magis sit consentaneum.

§. 607.

Officia patrum matrumque familias erga famulitium.

Ex his jam conjicere licet, quaenam praecipua a patribus matribusque familias *erga famulos famulasque officia* sint observanda. Nempe *patres matresque familias* 1) videant, ut a) utilitatis necessitatisque, non ostentationis, luxus et *vanitatis* gratia, b) famulos, quam fieri potest, maxime *probos* aptosque sibi *conducant;* c) et non justum duntaxat, sed maxime *aequum* cum iisdem *pactum* ineant *). 2) In famulatum susceptos, veluti homines ejusdem dignitatis humanae consortes (§. 67. sqq.), ejusdem Domini conservos, ac tanquam fratres sororesve in Christo vere ac sincere aestiment amentque, et benigne amiceque habeant [65]; a nimia tamen cum iisdem familiaritate, quae auctoritatem pessundat, abstineant. 3) Iis non modo nil, quod honestati quomodocunque repugnet, *mandent*, nec, quidquid eorum virtuti domi forisque periculum creare possit, iisdem indulgeant: sed potius *moribus* illorum diligenter invigilent, eosque ad christianam virtu-

65) Ephes. VI. 9. Col. IV. 1. ad Philemon. 16. Eccl. XXXIII. Job. XXXI. 15.

tem pietatemque verbis et exemplis instituere et promovere satagant. 4) *Vitae etiam eorum sanitatique*, ac *corporis firmitati* servandae curam impendant. Quare a) victu insalubri, aut immodicis laboribus aliisque modis eorum vires non tantum non frangant, sed potius paterne foveant, atque forte aegrotantibus singularem amorem, promtamque opem ad exemplum evangelici centurionis 66) lubenter solliciteque praestent. Nam eos, qui fidelia nobis obsequia praestitere, tum, cum ope nostra inprimis indigent, deserere, a christiana charitate perquam alienum est. Item 5) *famae et aestimationi* eorum bene consulant, bonam de iis opinionem alant, naevos eorum benigne excusent, nec circa necessitatem aliis aperiant; potius famam per aliorum fors delationes lacessitam tueantur, nec leviter susurronibus fidem habeant. 6) Non modo *pactam alimoniam mercedemque* iisdem exsolvant, sed liberales etiam in eos sint, inprimis speciales labores aut praestitam fidelitatem *grati* agnoscant, et variis modis *liberaliter remunerentur* 67). Imo, si fieri potest, 7) curent etiam, ut ii post exactam fideliter servitutem, praesertim diuturniorem, pro conditione sua bene collocentur, et sorte prospera utantur 68). Demum 8) inter servos *pacem, concordiam* et christianam officiositatem pro possibili promoveant; et non ipsi solum eos benigne habeant, sed ut a suis etiam liberaliter tractentur, pro auctoritate curent.

---

66) Luc. VII. 2. sq. Matth. VII. 6. I. Timoth. V. 8.
67) Eccl. VII. 22. sq.
68) Cf. Winke für Herrschaften, um ihnen die Wahl, Behandlung, Bildung und Versorgung des Gesindes zu erleichtern. 4. Abschn. Leipz. 1798.

*) Quare 1) expedit, antequam servi conducantur, inquirere: a) num illi probi; num b) ad servitia apti; c) an fideles sint; ac d) bonae famae; e) secreti tenaces . . . ne forte moribus aut malo exemplo liberos ceterosque domesticos corrumpant, ne oneri magis, quam utilitati sint, familiaeque aestimationi, paci bonove detrahant. 2) Justitiae aut certo aequitati prorsus repugnat, a) si heri pauperum servorum necessitate abutentes pro majoribus operis tenuem mercedem paciscantur; imo b) pactam saepe ob leves causas imminuant 69); si c) eos ad damna citra culpam eorum notabilem contigentia compensanda cogant; d) aut sine legitima causa ante constitutum terminum dimittant; e) si iis post commissos forte naevos emendatis veniam denegent. Cf. *epist. S. Pauli ad Philemon.*

§. 608.

Rationes ad dicta officia obligantes moventesque.

Quibus ad haec officia obstringuntur permoveanturque heri, *rationes praecipuae* sunt 1) *dignitas humana*, et saepe conjunctio in eadem Christi ecclesia, quae heris cum servis communis est; ob quam proin aestimatio charitasque iisdem debetur; 2) *arctior nexus et conjunctio;* nam famuli ejusdem familiae membra, saepe prorsus necessaria, maximeque utilia sunt, queis proin plura multo, quam extraneis, debentur; 3) *pacti sancta fides;* nam contractu aut quasi contractu ad pluraque haec (§. praec.) officia heri obligantur (§. 601.); 4) *herorum atque familiae bonum et existimatio*, quae per horum officiorum curatam executionem insigniter promoventur, per neglectum magnopere impediuntur; 5) *praecepta religionis*, queis haec officia imperantur, urgenturque 70), uti ex dictis (§. praec) patet.

---

69) Cf. Jacob. V. 4.

70) Ephes, VI. 9. Col. IV. 1. Philemon. 16.

§. 562.

Officia famulorum versus heros familiamque praecipua.

Ex iisdem maxime (§. 606.) rationibus itidem *famulorum erga dominos familiamque officia* innotescunt, quae inprimis sunt 1) *reverentia et honor* heris, veluti superioribus debitus; vi cujus non tantum irreverentiae genus quodvis evitetur, sed verbis factisque praecipua iisdem observantia exhibeatur 71); 2) *aequanimitas patientiaque* erga heros etiam discolos, imperfectos et variis naevis laborantes, imo et durius agentes 72); inprimis 3) *obedientia et subjectio* promta in iis, quae ad operas locatas pertinent, et in quibusvis *justis* mandatis ex sancto religionis motivo, sicut Deo Christoque, praestanda 73): *ut dominis suis sint subditi, in omnibus placentes, non contradicentes; non fraudentes, sed in omnibus fidem bonam* ostendentes 74); proin 4) *industria sedulitasque* in negotiis sibi demandatis et in omnibus servitiis adhibenda; 5) *summa fidelitas,* qua omni vel in minimis defraudationi sollicite caveatur, res et bona familiae diligenter custodiantur, omne damnum ab iis avertatur, nec fallaci etiam compensationis titulo quidpiam surripiatur *); 6) *taciturnitas et famae herilis ac familiaris cura,* ut non modo secreta herorumque arcana, horumve aut familiae naevos non prodant, sed deserto etiam servitio sollicite celent, bonamque familiae famam tueri et augere studeant; 7) *obsequium ac honor, praecipuaque christiana charitas filiis familias* exhibenda; ut erga illos se comes obsequiososque praebe-

---

71) I. Timoth. VI. 1. sqq. Tit. II. 9. sqq.
72) I. Petr. II. 18. sqq.
73) Ephes. VI. 5—8. Col. III. 22. sqq.
74) Tit. II. 9. sqq.

ant, eorum saluti corporis animaeque intendant, ut iis nullatenus scandalo sint, nec ad malum ullo modo iis operam suam accommodent; sed obtestationibus monitisque a peccatis retrahere, et nisi ea emendarint, parentum quoque auctoritate eosdem emendari curent; 8) *pacis, concordiae et officiositatis ac praecipuae charitatis studium respectu aliorum conservorum* observandum, ut adeo officia, quae aliis omnibus exhibere obligantur, his utique arctiori ejusdem familiae ac servitii nexu secum conjunctis *singulari modo* quoad salutem animae et corporis, quoad bona famae et fortunae praestent, et ab omni invidia, aemulatione, susurri detractionisque vitio sibi sollicite caveant.

*) 1) Etsi domini inique agant, qui forte de minore, quam justa sit, mercede cum famulis paciscuntur (§. 602.): tamen a) siquidem hi in eas conditiones consenserint, iisdem stare obligantur; aut b) si se gravatos credant, et labores ultra alimoniae et mercedis mensuram majores experiantur, legitimis viis jus suum prosequantur; nec c) *clancularia satisfactione aut compensatione* (§. 485. n.) uti possunt, utpote quae propter amoris proprii omnia exaggerantis vitium, quod irrepere facile possit, abs pacti violatione et citra societatis humanae, familiarum ac reipublicae detrimentum admitti nequit 75). Ceterum 2) famulis famulabusque de bonis dominorum his invitis disponere, ea etiam pauperibus donare, nedum in suos suorumve usus convertere nefas est. Demum 3) de furtis minutis, quae a famulis quandoque fieri solent, superius dicta (§. 574. n.) heic inprimis recolenda sunt.

**) Rationes ad haec officia obligantes ex dictis (§. 601. et 603.) colliguntur; religionis autem praecepta de his officiis ex locis itidem laudatis satis innotescunt. Ceterum, ut ea officia famuli fideliter

75) Proposit. damnat. n. 57. ab Innocentio XI. cf. epist. ad Titum II. 10.

exequantur, propria etiam famulorum felicitas et bonae famae cura imperat.

§. 610.

Officia famulorum famularumque cetera.

Praeter haec, quae hero et familiae debent, *famulorum* itidem *propria* a) erga Deum; et b) se ipsos *officia* sunt, 1) ut ea servitia famulitiaque quaerant, in quibus ab exercitio christianae religionis et pietatis, e. g. a dierum festorum pia celebratione, verbi Dei auditione, aliisque pietatis operibus minus praepediantur, nec virtuti pericula creentur; sin: ea servitia, ubi citra injustitiam queunt, deserant; 2) ut non tam *pro mercede*, quam ex optima intentione *propter Deum* servitia sua fidelissime praestent [76]; 3) *ut ob Dei providi reverentiam* statu suo bene *contenti* vivant, eoque ad perfectionem moralem promovendam utantur [77]; dies dominicos festosque pie christianeque celebrent, non sacris solum, sed maxime concionibus etiam, quantum fieri potest, interesse studeant, pia quaedam legant etc.; 4) ut *sanitati famaeque* bonae servandae, item majori perfectioni *dexteritatique* in servitiis utilibus praestandis acquirendae praecipuam operam impendant, atque ita *felicitati suae* prospiciant; 5) ut ab omni luxu, vestium vanitate, ac prodigalitate alienissimi, prudenti parsimoniae studeant, atque ita futuris necessitatibus ac senectutis indigentiis consulant; vel aliam honestam sustentationem procurare valeant, aut certe aliena ope se dignos reddant [78].

---

76) Ephes. VI. 5.
77) I. Cor. VII. 20—22.
78) *B. Stattler* christenl. Sittenl. für den Haus- und Familienstand. 2. B. §. 791.

CAPUT V.

DE SOCIETATE CIVILI ET OBLIGATIONIBUS DIVERSORUM EJUSDEM MEMBRORUM STATUUMQUE.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS IMPERANTIUM ET CIVIUM SEU SUBDITORUM GENERATIM.

§. 611.

Civitas, 1) notio, 2) finis et 3) media.

Officia imperantium subditorumque, quae ad ethicam christianam referenda videntur, strictim recensuri 1) *civitatis notionem, finem et subsidia*; tum 2) *christianae religionis de civili potestate inprimis principia*; dein 3) *imperantium* a) *immanentia*, b) *transeuntiaque officia*; demum 4) *subditorum* a) erga *imperantes*, et b) versus *patriam, cives* et *civitatem* officia explicabimus. Porro ad primum quod attinet: 1) societas hominum cum communi imperio maxime ad tuendam externam socii cujusvis libertatem securitatemque colligata *civitas* appellatur. 2) *Finis* igitur societatis hujus est ipsa juridica libertas ac securitas atque vera et moralitati subordinata hujus vitae felicitas per in- et externam securitatem inprimis stabilienda *). Quare 3) quidquid ad *securitatem* a) *in- et externam*, b) *publicam* et *privatam* tuendam confert, medium ad eum finem censetur 79). Inprimis autem 4) is

79) Cf. meas instit. jur. eccl. p. I. §. 324. sq.

finis obtinetur, si *imperantes* et *subditi* a) suis quique *officiis* perfecte satisfaciant; et b) *juribus suis* rite utantur **).

*) Quum *salus spiritualis*, moralis religiosaque perfectio vix quidem nisi in societate ad eum finem proxime destinata *(ecclesia)*; et *externae libertatis securitatisque tuitio* non nisi in societate, quae hunc finem proxime respiciat, nempe in *civitate*, obtineri queat: hoc ipso homines, quemadmodum ad finem utrumque consectandum, ita ad ejus medium, nimirum ad *eandem ecclesiam et civitatem*, et ad utriusque societatis officia explenda obligantur.

**) 1) Publica potestas a) *legislativa*, b) *executoria*, et c) *judiciaria* generatim *imperium* constituit: quod seu *totum*, seu *partim* penes unam personam aut physicam aut moralem existere potest 80). Nos 2) hoc loco eos, penes quos imperium est, generatim *imperantes* appellamus; eos, qui et quatenus huic imperio subsunt, *subditos* dicimus. Reliqua ad jus publicum universale remittimus. Porro 3) ne falcem in alienam messem mittamus, neque tamen summi momenti officia, nempe imperantium subditorumque in societate civili prorsus praetermittamus, de quibus religio quoque christiana generatim praecipit; strictim saltem illa attingemus. 4) Jura autem *imperantium* alia dicimus a) *immanentia*, quae civitatem ipsam ejusque membra respiciunt; alia b) *transeuntia*, quae societates exteras tum politicas tum ecclesiasticas spectant. Item 5) officia ceterorum civitatis membrorum alia sunt civium quorumque, a) respectu ad imperantem, patriam et statum publicum habito; alia b) ratione status privati et concivium. Demum 6) officia praecipuorum in civitate statuum specialia recensentur.

80) Cf. ibid. p. I. §. 6—13. Item *Kant*, Metaphysik der Sitten. I. Th. Rechtslehre II. Th. §. 45. sq. *C. F. Stäudlin* Grundrisse der Tugend- und Religionsl. §. 180.

§. 612.

Principia religionis christianae de potestate publica et imperantibus.

Ex religionis christianae principiis 1) *summa ac publica potestas veluti Dei ordinatio* existimanda venerandaque est: »*Non enim potestas, nisi a Deo, quae autem sint, a Deo ordinatae sunt* [81]). Item 2) *imperantes ceu Dei ministri* respiciendi: »Dei enim ministri sunt in hoc ipsum servientes.« Nempe 3) *ad bonum hominum promovendum* a Deo constituti: *Dei enim minister est tibi in bonum... vindex in iram ei, qui male agit.* His 4) *necessario et ex sancto fine obediendum:* nam *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ideo *necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Item 5) iisdem *tributa, honor, reverentia praestanda: Ideo enim tributa praestatis.. reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; Deum timete; regem honorificate* [82]). Quod idem Christus monet [83]): *Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo* *).

*) Quum igitur 1) *imperantes sint Dei ministri*, ejus voluntati et legibus in omni potestate sua exercenda se exacte conformare saepiusque recogitare debent, se Deo gravissimam muneris sibi demandati rationem reddituros esse 84); item 2) quum a Deo *in bonum* hominum sint ordinati: imperantes id sibi persuasissimum habeant, non populum propter ipsos, sed se propter populum esse constitutos; unde

81) Rom. XIII. 1. cf. Joan. XIX. 11. I. Petr. II. 13. et Sapient. VI. 4.

82) Rom. XIII. 1—7. I. Petr. II. 17.

83) Math. XXII. 21.

84) Sapient. VI. 2—6. Ephes. VI. 9.

3) *in promovendo vero*, quod Dei legibus finibusque subordinatum sit, *populi bono* omnem operam, totamque suam gloriam perpetuo reponant; 4) quum *homines hominibus* imperent: in quovis subditorum, infimo etiam, imo et pessimo, *humanam dignitatem* revereantur tueanturque; nec ullum eorum tanquam merum medium, sed *singulos ut fines in se*, tractent; atque 5) a partium studio, a personarum, ut ajunt, acceptatione, multoque magis a despotismo alienissimi, veri subditorum suorum patres 85) esse per omnia satagant. Paucis: 6) *Dei*, cujus ministri sunt, *gubernationem* justissimam sanctissimamque per omnia imitari studeant.

§. 613.

I. *Officia imperantium maxime immanentia* 1) *ad securitatem internam publicam pertinentia.*

Princeps inprimis *securitatem internam publicam* tueri promovereque tenetur (§. 611.); quae cum maxime circa leges regni fundamentales, regiminis formam, nexum imperantes inter et subditos, illorumque auctoritatem ac horum subordinationem conservandam versetur: hoc ipso imperans, qui legibus divinis regnique fundamentalibus et per capitulationem sibi impositis obstrictus est, 1) *eas leges* sancte servare debet, nec unquam quidpiam iisdem repugnans constituere potest; potius 2) *ad earundem normam* ea solum, quae ad salutem civitatis et bonum commune pertinent, a) *latis* legibus imperet; et b) efficienter *urgeat*; nec c) suas leges nisi ob bonum publicum *immutet*, nec nisi ex gravissimis causis et salvo bono publico *relaxet*; 3) propriam et subordinatorum magistratuum *auctoritatem* constanter tueatur; et 4) quae *securitatem publicam internam lae-*

---

85) Proverb. XVIII. 5. XXIV. 23. Eccl. IV. 9. sq.

dere queant, e. g. contemtum legum magistratuumve, factiones, concursiones, suspectas sociationes *), publicas tumultuariasque murmurationes, famosos et imperantium auctoritatem lacessentes libellos supprimat, matureque compescat; attamen 5) quae his ansam dare queant, e. g. ducum ac militum ferociam, magistratuum severitatem avaritiamque, concussiones injustas, aut e contrario nimiam indulgentiam, praepedire et suffocare opportune conetur.

*) De clandestinis secretisque consociationibus et societatibus juvat viri politi verba exscribere: »Die »Natur der Sache . . . so wie Erfahrung und Ge»schichte lehren, dass solche Verbindungen jedes»mahl der Freyheit, der freyen Entwicklung, Aus»bildung, Annäherung, Verbrüderung, Ueberein»stimmung des Menschengeschlechtes, der gewis»senhaften Verwaltung des Amtes im Staate, den »Rechten der Ungeweihten entgegen sind; dass »die besten geheimen Gesellschaften ausarten und »dem Ehrgeitze, der Cabale, der Herrschsucht, der »Habsucht Nahrung geben. Und kann es die Pflicht »erlauben, in eine Gesellschaft zu treten, deren »Geist, Einrichtung und Werke man vorher nicht »bestimmt weiss, und nur nach und nach, nach»dem man lange blindlings gehorcht hat, erfahren »soll? u. s. w.« *C. F. Städlin* Grundrisse der Tugend- und Religionslehre. §. 179. p. 490. Item dignus est, qui hac de re legatur, *Adolph Knigge* über den Umgang mit Menschen, *III. Th.* 8. *Kap.* pag. 134. *sq. Edit. III.* 1794.

§. 614.

2) *Ad securitatem internam privatam spectantia.*

Ad *securitatem internam privatam* pertinet inprimis, ut civium personae, libertas, existimatio, jura proprietatis et hujus libere fruendae augendaeque facultas, item se moraliter et phy-

sice perficiendi opportunitas conserventur, atque etiam promoveantur. Quocirca *imperans* hoc ex capite 1) civis cujusvis *libertatem, personam, famam, bonum tueatur*, et quaslibet *laesiones* reparari curet, necesse est; proin 2) *libertatem laedentia*, despotismum, plagium humanum, injustas incarcerationes aliaque (§. 567.) pro sua auctoritate praepediat, et moderatam agendi, loquendi, scribendi libertatem haud supprimat, imo ab aliis lacessitam vindicet. Praeter haec primaria officia 3) imperans instituta quoque et praescripta ad civium felicitatem moralitatemque promovendam proficua, illaesa tamen civium libertate, faciat urgeatque; nimirum 4) *vitae civium servandae subsidia* procuret, eidem obfutura *nocumenta* removeat; unde a) *salubritatem* locorum eorumque, quae ad victum, potumque et medicinam pertinent, promovendo; b) medicos, chirurgos, obstetrices, muneri suo aptissimos, constituendo; contra c) artes vitae periculosas, rixas, duella, latrocinia eliminando; item d) medicinae exercitium ab imperitis susceptum, aliaque vitae et sanitati civium obfutura prohibendo etc., saluti civium corporeae prospiciat; 5) *opportunitatem sese perficiendi* pro virili promoveat; quasvis utiles artes, scientias, et instituta ad culturam moralem physicamque apta, scholas publicas et litterarum artiumque palaestras modis omnibus sustentare, optimos magistros constituere, eorum studia publicis sumtibus fovere, atque provehere et auctoritatem sustentare satagat; 6) *crimina scandalaque publica* verbis, scriptis, aut factis commissa, severe castiget et comprimat; seductores debitis poenis afficiat; quidquid honestatem et morum ac religionis integritatem insigniter, aut

cum periculo seductionis aliorum laedere solet, eliminare pro viribus studeat; 7) *existimationem, jura et bona cujusvis tuta tectaque* servet, atque, ut quilibet industrius tum ad necessitates commoditatesque vitae, tum ad publica onera ferenda sufficientes parare opes sibi valeat, per leges variasque ordinationes prospiciat; unde a) ut *jus* cuivis sancte celeriterque administretur, studiose curet; b) *securitati possessionum bonorumque prospiciat,* contra depraedationes, furta, rapinas, item contra inundationes, incendia, animalium lues praesidia remediaque provideat, milites, vigiles, custodes, ac publicae securitatis tutores constituat; c) fraudes in rerum pretiis, in mensura et pondere, injustas usuras et monopolia proscribat; d) rerum copiam procurare, mercaturam, manufacturas, opificia, agriculturam, commercia ad majorem perfectionis gradum promovere adnitatur; e) bonorum autem *dissipationem* impedire, *luxumque,* in vestibus, commessationibus, ludis, recreationibusque pretiosis reprimere conetur.

§. 615.

3) *Ad securitatem externam pertinentia.*

Ut *securitati etiam externae* tum publicae, tum privatae contra exterorum assultus, vexationes, injurias sit prospectum, imperans curet; 1) securitatis hujus servandae praesidia subsidiaque comparare ac servare; 2) fines suos ac patriam rite munire, eaque, quae ad propulsandos hostiles impetus pertinent, parata habere; 3) de foederatis potentibus sibi prospicere; ceterum 4) dissidia quaevis cum externis praepedire, aut in ortu suo supprimere, aut amicabilibus viis componere; 5) nec, nisi dura necessitate urgente, bella gerere.

§. 616.

4) *Officia* a) *circa munia publica*, b) *poenas*, c) *collectas.*

Ad haec, quae hucusque memoravimus, officia rite executioni danda *imperans jus officiumque* habet 1) *munia publica rite distribuendi:* ut nempe a) tot, quot sufficiant, non plures, nec pauciores; item b) non nisi optimos et bono publico promovendo aptissimos sine personarum acceptione praeficiat; c) iisdem justa stipendia constituat, atque, an suis officiis rite perfungantur, sollicite invigilet; et d) ut reapse id faciant, praemiis poenisque constitutis urgere conetur; 2) *poenas constituendi exequendique;* ut legum auctoritas firma sit, et legum observatio promoveatur, a) non solum in legum violatores poenas proportionatas constituat: sed et b) in crimina graviora, quae rite disquiri atque probari curet, easdem exequatur; nec c) eas sine urgentibus rationibus prorsus indulgeat; ceterum d) poenas ita infligat, ut nemo reus *impunis* sit, nemo impunitatis spe ad peccatum alliciatur, neque tamen accusatus ullus innocens damnetur, aut ultra culpam prematur; 3) *collectas praestationesque publicas imperandi,* nimirum a) tributa, vectigalia, aliasque collectas, operarumque aut pecuniarum praestationes necessarias moderate et juste, servata facultatum proportione, imperet; nec b) temere quosdam a publicis oneribus eximat; c) collectas autem in bonum publicum tum ipsus expendat, tum impendi per suos curet (cf. §. 611.).

§. 617.

II. *Officia imperantium transeuntia,* 1) *erga ecclesiam.*

Imperans versus *societatem ecclesiasticam*, cujus sacris ipse addictus est, aut quae saltem in regno tolerantiae politicae et civitatis jure gaudet, *jus et officium* habet 1) *cavendi*, vi cujus potest teneturque a) inspicere et invigilare, ne sub religionis obtentu reipublicae noxa inferatur; b) ne per leges, personas, functiones, possessiones disceptationesque ecclesiasticas securitas salusve reipublicae interturbetur; 2) *advocatiae et protectionis*, qua a) ecclesiam, ejusque ministros, jura, bonaque tueatur; b) ab injuriis, oppressionibus ac laesionibus quibusvis servet aut vindicet; item c) bona etiam ad religionis exercitationem et ministrorum ecclesiae sustentationem necessaria liberaliter subministrari curet; atque d) si ipse ejusdem ecclesiae membrum est, ecclesiam et religionem non solum legibus, sed etiam optimo vitae ad ecclesiae canones exactae exemplo promovere semper studeat; 3) *exhortandi et urgendi* a) tum ministros ecclesiae, ut suo quivis munere rite perfungatur; tum b) membra ecclesiae cetera, ut ecclesiasticis legibus et decretis sancte obtemperent [86]). Quod si rite praestetur, sperandum prorsus est, religionem, ceu fulcrum civitatis praecipuum, non solum securam tutamque fore, sed per auctoritatem civilem etiam mirifice promotum iri.

§. 618.

2) *Erga societates politicas externas.*

Imperans *erga societates civiles externas* id curare obligatur, ut 1) nec per se, nec per magi-

---

86) Cf. meas instit. jur. eccl. p. I. §. 358. sqq.

stratus civesve suos externae civitates, aut eorum membra ullatenus laedantur; 2) ut fors laesis promta justaque satisfactio praestetur; 3) ut non justum modo, sed aequum etiam, ac beneficum exteris se praebeat, iisdem salva reipublicae suae salute in necessitatibus lubenter succurrat, atque humanitatis leges erga eosdem et ipse servet, et a suis servari curet; atque ita 4) pacem cum externis colat et foveat, dissidia fors nata via amicabili componere adlaboret, nec unquam nisi aliis remediis prius tentatis, et summa solum necessitate adactus bellum inferat; ceterum 5) foedera ac pacem salvis religionis et justitiae legibus faciat, et sanctissime servet *).

*) Ex gravissimis hisce imperantium officiis conjicere pronum est, imperanti ad illa rite exsequenda *excellentem virtutem* prorsus esse necessariam. Cf. *Predigten über die Pflichten der höhern Stände. v. Berg und Zirkel. pag.* 55.

§. 619.

III. *Officia civium et subditorum generalia* 1) *versus imperantes;*

Officia civium generatim continentur in *patriotismo christiano.* Jam vero *patriotismus christianus* est amor christianus erga alios (§. 140. sq.) ad patriam et cives suos applicatus, seu est doctrinae et exemplo Christi 87) innixum studium et propositum, commune civitatis bonum per curatam civicorum officiorum exsecutionem pro viribus promovendi. Complectitur autem officia respectu a) *sui,* ut ad ea officia per culturam facultatum se quis idoneum reddat; respectu b)

87) Matth. IX. 35. X. 5. sq. XVII. 26. XXV. 14. sq. I. Cor. XII. 12. 27. I. Petr. IV. 10.

imperantis; et c) *civium*, ut iisdem debita ex pacto civico officia praestet. Quum vero de primo antehac (§. 321. sq. 588. sq.) jam dictum sit, reliqua, atque primum officia versus *imperantes* breviter perstringemus. Porro ex religionis christianae principiis (§. 612.) officia civium et subditorum versus imperantes sunt 1) *summa reverentia, honor ac subjectio* erga imperantes tanquam erga Dei ministros 88), ita, ut ex Dei et boni publici amore potius injustas etiam vexas ac oppressiones patienter perferre debeant, quam per vim, seditionem, rebellionem, veluti maxima semper nec unquam excusanda crimina, se opponere audeant 89); 2) *curata* erga quasvis leges politicas legibus divinis non contrarias *obedientia* ex religionis etiam motivo praestanda 90); 3) *fidelis pensio praestatioque tributorum*, vectigalium (§. 612.) et collectarum publicarum quarumcunque 91); 4) *preces* pro principibus et magistratibus ad Deum fundendae 92); demum 5) *subjectio ad justas poenas* ab imperante statutas dictatasve 93).

§. 620.

2) *Versus patriam, civitatem et cives.*

Officia civium *erga patriam, erga civitatem et cives* eo potissimum redeunt, ut civium quivis 1) *patriam suam, constitutum ejus regimen,* ac *leges* etiam, ut quibus securitatem in-et externam, publicam et privatam, et nos perficiendi opportunitatem,

---

88) Rom. XIII. 1. 7. I. Petr. II. 17.
89) I. Petr. II. 13—20. cf. Act. XXII. 24. XXIII. 5.
90) Tit. III. 1. Rom. XIII. 4. sqq. I. Petr. II. 13—16.
91) Matth. XXII. 17. Rom. XIII. 6. sqq.
92) I. Timoth. II. 1. sqq.
93) Rom. XIII. 3.

et maximam fere perfectionis et felicitatis partem debemus, rite aestimet ametque; 2) quidquid sive publicam, sive privatam securitatem ac commune civitatis bonum minuere, aut pervertere possit, etiam si proprium commodum alia suadet, sollicite caveat fugiatque, et a patria avertere omnibus viribus adlaboret; contra 3) *omnia illa*, quae ad publicae privataeque securitatis ac salutis reipublicae conservationem servire queant, spretis quibusvis commodis propriis, imo, si opus sit, ipsius etiam vitae impendio promovere satagat; hinc 4) non solum omnia versus imperantem officia (§. praec.) perfecte expleat; sed promovendae propriae perfectioni morali et physicae impigram operam navet, atque talem vitae conditionem eligat, in qua reipublicae maxime utilis esse valeat. In ea positus sorte sua contentus vivat, munia et dignitates non ambiat, nedum injustis viis quaerat; quodsi juste obvenerint, bene administratis muniis publicis 94); sin: tanquam privatus optimo virium, facultatum rerumque usu virtutem, religionem, scientiarum artiumque culturam, commercia, agriculturam, publicam patriae fidem honoremque, paucis: communem reipublicae salutem verbis exemplisque promovere constanter fortiterque adlaboret; atque haec omnia ex sancto motivo agere studeat; 5) patriam ita amet, aestimet ejusque honorem et bonum promovere adnitatur, ut ne erga *extraneos* injustus, minusve aequus beneficusque etiam existat, memor, hominum omnium unum esse genus, et per contemtum cujusque hominis *humanam dignitatem* contemni *);

---

94) Rom. XII. 7. sqq. I. Cor. XII. 12.

6) *religionem et virtutem christianam*, veluti salutis etiam temporalis fulcrum et thesaurum patriae certe pretiosissimum, tum verbis tum exemplis tum quibusvis aliis modis tueri ac promovere pro virili studeat: nam religione ac virtute christiana labente itidem vera patriae felicitas labatur necesse est [95]; denique 7) *suos cives* singulari prae exteris (§. 140.) charitate complectatur, iisdem in quavis necessitate promte succurrat; promovendae eorum perfectioni, felicitati, imo commoditati propriis etiam commodis neglectis operam probam ex sancto fine navet.

*) Igitur 1) a rationis et evangelii lege exorbitat tum exoticarum rerum, neglecto patriae bono, studium, et perditus exterorum amor, tum e contrario inordinata aut iniqua aestimatio et dilectio patriae gentiliumque suorum, quae nempe cum laesione exterorum, aut certe cum neglectu officiorum charitatis erga eosdem conjuncta est. 2) Absit igitur a) restrictus ad certos homines amor; et b) fastus nationalis (Nationalstolz); item c) contemtus certae nationis aut religionis hominum, quae vitia generali erga homines omnes aestimationi amorique (§. 448. sqq.) quam maxime repugnant. At vero 3) vane jactatus ille *cosmopolitismus*, quem aevi nostri homines quidam ita extollunt, saepius vanus obtentus est, quo neglectum patriotismi purgare et egoismi vitium obtegere malesani quidam amant; qui dum omnibus se bene velle jactitant, nulli reapse gratisque benefacere satagunt.

**) Expositis jam imperantium subditorumque in civitate officiis officia praecipuorum in civitate statuum aut muniorum, et quidem 1) magistratuum subordinatorum personarumque judicialium; 2) militariumque; demum 3) aliarum praecipua mentione dignarum breviter declarabimus.

---

95) Cf. meas instit. jur. eccl. p. I. §. 345. a.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS MAGNATUM, MINISTRORUM, MAGISTRATUUM SUBORDINATORUM ET PERSONARUM JUDICIALIUM.

§. 575.

1) *Officia magnatum, dynastarum, nobilium;*

Quicunque nobilitatis, civilis dignitatis, politicae auctoritatis, aut proëdriae praerogativa in civitate prae reliquis gaudent, 1) generatim nec a) ex hac praerogativa intumescant, aut animi elationem prodant; nec b) ab officiis christianis civilibusve se exemtos credant; nec c) super alios insolentius se efferant, nedum imperiosius duriusque cum iis agant, aliosve prae se contemnant; sed potius hac praerogativa a bono Deo se idcirco donatos existiment, ut reliquis bono exemplo sint, bonum publicum promoveant, ut inferioribus benefacere, eosdem tueri, iis, utpote quorum labore, sudore, opera quam maxime egent et sustentantur, gratos et officiosos se exhibere valeant debeantque. 2) Unde a) perfecta officiorum tum civilium tum religiosorum executione; item b) praecipua quadam animi modestia, humanitate, comitate et erga omnes benignitate, affabilitate; inprimis c) insigni erga infimos quosvis, ceu suos in Christo fratres, benevolentia, beneficentia ac charitate eminere supra reliquos, atque ita suas praerogativas recte usurpare, ac commendare perpetuo satagant; sicque tum auctoritate sua, tum verbis et exemplis virtutem

religionemque et reipublicae salutem sustentare ac promovere studeant (§. 545.); paucis: virtutis praecipuae civicae non solum, sed et christianae excellentia atque optimis vitae exemplis civilem praerogativam tueantur et nobilitent; 3) si quos sibi subditos habeant, eos inprimis benigne, aequiter ac humaniter tractent: et eadem fere, quae imperanti ratione reipublicae incumbunt (§. 613.), officia respectu tractus sibi subjecti, ad normam tamen legum civilium sancte observent; nec per se ipsos, nec per officiales suos a subditis servitia quoad substantiam vel quoad modum indebita, operas, seu cujusvis generis exactiones extorqueant, aut per quoscunque exprimi patiantur *); 4) imo jura etiam sua, e. g. venandi, piscandi, pascendi, operarum, haud severius acerbiusve exerceant, sed aequitatis et christianae charitatis leges per omnia servent; 5) subjectis suae jurisdictioni justitiam sancte administrent, aut per judices peritos probosque administrari curent; quocirca 6) officiales, judices, administros aut procuratores imperitos, dubiae aut inexploratae probitatis constituere nefas ducant; ab officio forte aberrantes corrigant, non emendatos officio moveant: nec ab iis praegravari subditos sinant, quod citra piaculum et laesionem suorum permitti utique a Domino nequit.

*) *Tributorum* aut quorumvis vectigalium, publicarumve exactionum *collectores* 1) non nisi ea, quae per leges justas decernuntur, tributa citra injustam personarum acceptationem, ut ajunt, aut vexationem exigant; 2) nec ullum ultra justi leges gravent, neque etiam inde ullum, nisi cum expressa aut justissime praesumta imperantis voluntate eximant; 3) nec donis remunerationibusve, nec aliis

illiciis incommodisve ab justa officii sui executione se abduci ullatenus sinant.

§. 622.

2) *Officia ministrorum, consiliariorum, referentium.*

Ministri, consiliarii, referentes et quicunque rectoribus in republica gubernanda opera et consiliis adsunt, utpote a quorum muniis bene maleve gestis maxima aut commoda aut mala tum in privatos, tum in rempublicam utramque promanant, 1) *generatim* omnes a) nunquam nisi his muniis rite gerendis apti ad rempublicam accedant, nec precibus, commendationibus, aut prolatis majorum suorum meritis munus tale, cui administrando pares non sunt, ambiant, nec oblatum acceptent; unde b) scientiam et probitatem muneri consentaneam comparare, eamque indies augere studeant; c) uno salutis publicae studio ac amore animati, nec commodi proprii, nec respectus humani, nec partium studio, nec aliis quibusvis modis a justitiae et publicae salutis promovendae proposito vel latum unguem averti se sinant; atque d) erga omnes quidem, maxime vero erga pauperes, oppressos, ab aliis desertos sese justos, aequos, beneficos praebeant.

2) *Ministri consiliariique* a) non modo nil, quod legibus divinis, quod ecclesiae juribus, aut reipublicae saluti non congruat, aut quod boni principis officiis repugnet, unquam consulant; b) nec aliis talia consulentibus ullo modo consentiant; nec c) ad aliis placendum contra conscientiae suae sensa quidpiam loquantur vel agant; sed d) iis, quaecunque minus recta aequave judicaverint, pro virili se opponant, aut certe justam aequamque sententiam suam candide fortiterque

proferant; atque imperantem ad omnia sua officia (§. 613. sqq.) perfecte explenda consiliis, suasionibus et opera sua juvare ac permovere perpetuo adlaborent *).

3) *Referentes* item, seu referendarii a) solum eas causas, quibus rite referendis pares sunt, suscipiant, et tum in examinandis, tum referendis causis magnam negotiique gravitati congruentem diligentiam impendant; b) ipsi, non forte aliorum excerptis fidentes, rem totam sollicite examinent; c) nihil eorum, quae ad rei summum et justum de ea judicium ferendum pertinent, enarrare praetermittant; d) a partium studio alienissimi utriusque forte partis argumenta aequali studio et energia exponant; nec e) sententiae suae pertinacius inhaerendo aliorum assessorum libera suffragia praepediant; demum f) quam licet, citissime res ad referendum sibi datas expediant, ne ex mora aut partibus, aut reipublicae damnum inferatur; postremo g) nec ante relationem, nec dicta sententia secreti fidem partibus aut assessoribus debitam ullo modo violent **).

*) 1) Qui consilio aut suffragio consensuve suo injustam sententiam, indigni ad officia evectionem promovet, aut, dum deberet, pro virili non praepedit: ei omne etiam damnum inde profluens recte imputatur. 2) Quod item de damno per culpam referentis emergente dicendum. At vero, 3) quodsi suffragiorum jam major adsit numerus, sententiaque per subsequentium suffragia contraria mutari porro nequeat, an ei, qui humano respectu motus aut timore impeditus suum suffragium sententiae, quam iniquam judicat, deinceps adjunxerit, injusta sententia et damnum imputari possit, non convenit inter doctores: alii a) *negant*, siquidem saltem *certum* sit, per suffragium contrarium nec quoad rem ipsam nec quoad modum et executionem sen-

tentiam iniquam posse impediri; eoquod jam datum suffragium efficienter in sententiam haud influat; alii b) *affirmant*, quia sententia totius collegii nomine profertur et executioni datur; etsi vero sententiam nequeat impedire, cavere tamen potest, ne ipsius item nomine inferatur, sufficitque, quod, quantum in ipso est, ad damnum inferendum concurrat; deinde cur suffragio posteriori, praesertim gravibus rationibus fulto, corrigi priora quandoque nequeant, aut sententia quodammodo immutari? saltem illicitum pro omni rerum articulo videtur, iniquae sententiae per suffragium consensumve accedere atque illam veluti probare.

**) De ministrorum procerumque aulicorum ingenio studiisque, de insignibus officia sua bene gerentium in rempublicam meritis, aut contra de pessimis eorum artibus et illatis in regna sub ementita boni publici specie maximis calamitatibus, de quibus omnium regnorum historiae testantur, dici, si instituti ratio sineret, plura possent. Cf. *Joan. Barclai Icon* animorum c. XIII. sub finem et c. XIV.

§. 623.

3) *Officia a) judicum et magistratuum subordinatorum, personarumque in judicio occurrentium.*

Quicunque, jurisdictione seu juris dicendi publica potestate praediti, *judices et magistratus subordinati* 1) *scientia juris non mediocri*, nempe legum tum communium, tum particularium, item constitutionum et ordinationum, atque etiam consuetudinum legitimarum, secundum quas jus dici debet, distincta cognitione, easque ad casus obvenientes applicandi dexteritate sint instructi necesse est, hancque juris scientiam peritiamque indies perfectiorem reddere satagant; 2) *a pravis animi affectibus*, partium studio, avaritia, et quidquid aequum judicium corrumpere queat, sint alienissimi, unius justitiae aequitatisque in-

victo studio et amore ita animati, ut nullius commodi spe, aut incommodi metu concuti se sinant; quare ab iis, quibus jus dicunt, munera donave recipere 96) nefas ducant *); 3) *immoto justitiae administrandae proposito insistentes*, nullam in jure dicendo *personarum* rationem habeant, et nec ex inordinata quidem miseratione pauperi faveant, aut eundem absolvant, nedum potentia aliorum ad iniquam sententiam ferendam induci unquam se patiantur 97); ceterum salva justitia aequitati quoque studeant, nec tam litterae, quam spiritui legum insistant; 4) *in causis disquirendis* maximam ac rei gravitati congruentem adhibere diligentiam debent: unde in causis difficilioribus non praepropere ferant sententiam; neque tamen causas nimium proferant, aut inutilibus dilationibus damnum partibus inferant; 5) tam quoad processus *modum ordinemque* et judicii formam, quam quoad ferendam exequendamque sententiam *secundum legum normam* procedere obligantur; quocirca peccant, a) si non servato ordine juris; si b) ex notitia solum *injuste* parta; aut si c) ex privata solum notitia eum, qui juridice reus probatus non est, condemnent; si d) accusatores et testes legitimos rejiciant, illegitime accusantes aut testes suspectos admittant; 6) tenentur autem *ferre sententiam* ad normam legum secundum id, quod *certum* aut *verosimilius* est; *in re dubia* illud, quod spectatis omnibus tutius est, statuere obligantur. Ceterum etsi secundum allegata et probata ferre sententiam debeant: nunquam tamen contra conscientiam agere licebit; nedum eum, quem quis scit insontem, ex alle-

---

96) Proverb. XVII. 23. Eccl. VIII. 3. I. XX. 31.
97) Proverb. XVIII. 5. XXIV. 23. XXVIII. 21.

gatis et probatis rerum gravi poena multare . . nam innocuum punire rectae rationi ita repugnat, ut nullo casu valeat excusari.

*) 1) *Munera* ab iis, quibus jus dicendum est, accipere semper periculosissimum, vulgo prorsus nefas est. Nam a) teste scriptura 98): *Xenia et dona excaecant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. — Non accipies personam nec munera, quia munera excaecant oculos sapientum et mutant verba justorum;* b) vel dans vult corrumpere judicis integritatem, aut sibi emere, quod alioqui debetur; utrumque autem iniquum esse, quis non videt? deinde c) licet dentur munera ab eo, pro quo stat justitia: acceptatio tamen illicita videtur, eoquod ita judex justum judicium, quod vendendi jus non habet, vendere censeatur. 2) Quodsi tamen post litem finitam judici a partibus in grati animi signum ultro quidpiam doni offeratur, id acceptare per se fas erit: videndum tamen, ne per id judicis favorem respectu causarum futurarum sibi coëmere velint. Ceterum 3) judex non modo, qui muneribus corruptus sciensque, sed et qui ex ignorantia culpave crassa levive injustam fert sententiam aut partibus damnum infert, peccat contra justitiam et ad damnum reparandum obligatur; id quod ex alibi dictis (§. 476. sq.) per se certum est. Demum 4) plura de qualitatibus, officiis et potestate judicis alibi 99) jam memoravimus.

§. 624.

b) *Advocatorum et procuratorum.*

Ad judicium itidem concurrunt saepe *advocati* et *procuratores*, quorum officia strictim delibanda: nempe 1) *advocati* a) insigni juris scientia peritiaque debent esse instructi [100]); item d) prae-

---

98) Eccl. XX. 31. Deut. XVI. 29. Exod. XVIII. 8.
99) Vid. meas instit. jur. eccl. p. II. §. 735—742.
100) L. 11. §. 1. cod. de advocat. div. jud.

cipua diligentia, fidelitate et justitiae amore atque charitate etiam conspicui; inprimis vero c) a malis affectibus, praesertim ab avaritiae labe et turpis lucri cupiditate vacui, quibus se perverti et ad causas iniquas tuendas aut ad quasvis longius protrahendas nimiumque extendendas incitari facile se sinunt illi, qui, sive causa cadant sive vincant, pro libellorum mensura salarium sibi solvendum esse sciunt [101]. 2) *Causas*, a) nisi quas post diligens examen *) saltem *probabiles* invenerint, nunquam; et parum probabiles *dubiasve* non nisi praemonitis de causae statu clientibus suscipiant; nec, b) ubi in decursu litis causam suam *injustam* perspexerint, eam porro prosequantur; nec partem adversam ad transigendum, quod citra injustitiam fieri non potest, pellicere jam audeant. 3) *Habita sufficiente causae cognitione* diligenter, fideliter, absque dolo, collusionibus causas defendant; quare a) breviter, clare et nervose statum quaestionis et merita causae judici exponant; atque ab inutilibus et ad rem non pertinentibus allegationibus, argutiis, parergis, tricis, nedum conviciis, scommatis [102], mendaciis et legum contorsionibus aliisque malis rabularum artibus sibi sollicite caveant; b) clienti suo fideles ejus secreta haud prodant, nedum iis abutantur, imo nec facile patrocinium alicujus causae suscipiant, postquam pars adversa ipsos consulendo causae suae arcana jam exposuit. Porro 4) *salario*, si quod per leges constitutum est; sin: justo moderatove honorario contenti

---

101) Cf. *van Espen* jur. eccl. univ. pars III. tit. VI. cap. 2. 20 — 23.

102) Leg. fin. §. 1. cod. de appellat. I. 6. §. 1. cod. de postulando.

sint, et praeterea ex quibuscunque titulis quidquam ultra debitum exigere nefas habeant. 5) *Pauperum causas* tuendas christiana charitate moti suscipiant, ad quas *gratis* agendas ea, uti de eleemosyna diximus, ratione (523—525.) obligantur, praesertim ubi gravis urget necessitas, nec alii, qui juvare possint velintque, adfuerint. 6) Ceterum *advocati officium* inprimis quidem utile et honorificum, suis tamen non caret periculis, ut Plinius [103]) dixit: *Nos, qui in foro variisque litibus agimus, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus.* Quare quisquis hoc officium assumit, contra haec pericula, atque malas aliorum artes imitandas animum praemunitum adferat continuoque vigilet, ne a justi aequique studio ac proposito unquam abduci se patiatur.

*) 1) Advocati in causis clientum examinandis Ciceronem imitentur, qui de se: »Soleo, inquit, dare »operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et »ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, et »agere adversam causam, ut ille agit suam, et quid»quid de re sua cogitaverit, in medium proferat. »Itaque cum ille discessit, tres personas unus sus»tineo summa animi aequitate: meam, adversarii, »judicis 104).« Ceterum 2) advocatos peccare et ad restituendum esse obligatos, si ex malitia, ignorantia aut negligentia seu *culpa* etiam *levi* causa fuerint, cur cliens vel malam causam inchoarit, vel justa causa excidat, aut impensas indebitas faciat, ex dictis de restitutione (§. 476. sq.) nullo negotio colligitur.

**) 1) Pleraque, quae de advocatis diximus, itidem *in procuratores* quadrant; aut ad eorum officia applicari facile possunt. Ceterum 2) de iisdem et advocatis dignus est, qui legatur *van Espen jur eccl. univ. p. III. tit. VI. c. 2. et 3.*

---

103) L. 2. epist. ad Nepotem.
104) *Cicero* lib. 2. de orat.

§. 625.

e) *Notariorum, secretariorum, tabellionum.*

Adsunt praeterea in judiciis non raro *notarii, secretarii, tabelliones,* seu graphiarii, qui 1) omnes sint viri officio suo maxime idonei, probi et in exequendo munere suo summe fideles et exacti; proinde 2) in *actis* conficiendis conscribendisque sancta fide versentur, sententiis, testificationibus, partium dictis aut ad calamum dictatis nil addant, nil detrahant; 3) *acta* contra legum praescripta haud conficiant, nec syngraphis fors deperditis alia confingant aut substituant; 4) *testamenta,* aut contractus *instrumenta* hominis usu rationis destituti aut ad contrahendum inhabilis non conficiant; 5) *instrumenta caute custodiant,* nec ea, cui non debent, inspicienda praebeant aut communicent, sed secreti fidem sancte servent; 6) acta cito expediant et iis, quibus debentur, tradant. Quodsi ea studiose extorquendae pecuniae causa differant, aut iis negent, qui eorum inopia jura sua tueri vindicareve nequeunt, se ad restitutionem esse obligatos sciant.

§. 626.

d) *Actoris, rei et testium.*

In judicio item *actor aut accusator, reus* sive accusatus, item saepius et *testes* occurrunt. Jam vero

1) *agere* et *accusare,* ni speciatim jure prohibeantur, vulgo possunt omnes: attamen a) *accusare,* nisi ex justitiae studio, non licet; item b) accusatio delicti occulti, si privata admonitio omne damnum avertere valeat, itidem vulgo vetita est; c) quodsi vero delicti impunitas bono

publico aut communitatis saluti noxam illatura credatur, ad hoc damnum avertendum reum *accusare* tenetur, quisquis crimen tale probare in judicio valet; d) si probari crimen nequeat, omittenda est accusatio, et damnum pro possibili per denuntiationem aut admonitionem, persona nocente, nisi opus fuerit, haud nominata praecavendum erit; ceterum e) actor, justam etiam habens causam, fraudibus, mendaciis, dolis citra injustitiam uti nequit.

2) *Accusatus aut reus* a) sive nocens, sive innocens ad se tuendum malas artes, fraudes, calumnias, utpote per se rationis legi repugnantes, usurpare citra peccatum nequit; b) a judice competente et legitime, id est, praecedente infamia aut semiplena probatione, interrogatus tenetur respondere et veritatem fateri, itemque criminis complices, de quibus juridice interrogatur, indicare; at vero c) vel ab incompetente judice, vel non legitime interrogatus respondere haud obligatur, nec fateri crimen, sed potest per appellationem, aliisque licitis modis, nequaquam vero mendaciis, calumniis, interrogata subterfugere, testium depositiones enervare, sententiam judicis impedire, etsi accusatores forte inde incommodum sentiant: nam id sibi imputare debent, quod imprudenter accusarint eum, cujus crimen probare nequeunt; ceterum d) reus legitimae sententiae, capitali etiam, se submittere obligatur, nec violentia in ejus executores uti licebit; attamen si per fugam effracto etiam carcere vitae aut libertati suae consulat reus, non videtur peccare, eoquod eidem obligatio ad ultro remanendum imposita haud sit. Neque propterea aliis fas erit, reum publica custodia effracta

liberare, id quod citra publicae securitatis et potestatis violationem fieri nequit.

3) *Testis*, a) quotiescunque legitime interrogatur, tenetur testimonium reddere veritati; proin id recusans peccat, et ad damna ex injusto silentio secuta reparare tenetur; b) ad ferendum testimonium autem juste cogi nequit, qui lege naturali aut positiva excusatur, sed qui id ferre salvo nobiliori officio *) non potest; c) falsum testimonium dicens gravi se piaculo obstringit, et damna inde provenientia reparare obligatur.

*) Quocirca 1) a ferendo testimonio excusantur: a) sciens quidpiam *ex confessione* sacramentali, ut quod nullo in rerum articulo revelari potest: eoquod sigillum confessionale sit quolibet praecepto majus; b) *sciens sub secreto naturali*, nisi forte necessitas boni publici revelationem exigat; c) sciens *per injuriam*, e. g. aperiendo litteras, quia revelando injuriam iteraret; d) item *consanguinei* reorum admodum propinqui; e) grave ex testificatione sibi suisque malum merito timens: nisi forte bonum publicum aut privati malum impediendum damno, quod testis passurus esset, magnopere praevaleat.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS MILITUM ET MILITIAE DUCUM.

---

§. 627.

Civium ad militandum obligatio.

Quum ad securitatem civitatis in- et externam maxime tuendam (§. 613. sq.) necesse saepius sit sufficientem militiam alere, aut urgente patriae periculo cives plures ad arma evocare: a) ii,

qui ad militiam apti inveniuntur et legitime vocantur, justis his publicae auctoritatis obsequi mandatis armaque tractare obligantur; b) nec militiam aut castra citra consensum legitimorum superiorum deserere absque multiplici fere peccato possunt; sed c) usque ad praefixum per pacta legesve tempus omnibus boni militis officiis perfungi tenentur.

*) 1) Qui vi injusta, fraude, dolo ad militiam alios adigunt, aut invitos retinent, contra justitiam peccant, atque tum illis, qui injuste militiae inscripti sunt, tum eorum familiae damnum inde secutum resarcire tenentur. 2) At ii etiam, qui a militia inique se subtrahunt, peccant. 3) Is status merito maximi aestimandus: nam militaris status tanquam a) securitatis publicae tum in-tum externae fulcrum; b) patriae praesidium; c) throni columna; d) auctoritatis politicae sustentaculum; e) heroicae fortitudinis schola; f) patriotismi nobilissimi palaestra, in sacris et profanis monumentis commendatur. Erit autem 4) idem status virtutis etiam christianae exercendae perficiendaeque apta occasio, si superatis iis, quibus ex hominum vitio obnoxius est, virtutis impedimentis gravissima ejusdem officia ex motivo christiano observentur. Quare 5) hunc in finem utilis prorsus, imo necessaria est a) recta, moralis religiosaque eorum, qui militiae nomen daturi sunt, educatio et directio, qua contra plurima vitia rite praemuniantur, et ad virtutes statui suo inprimis necessarias informentur excitenturque; item b) crebior horum principiorum motivorumque moralium per publicas privatasque exhortationes repetitio; et c) contra ea agentium paterna et servatis gradibus severior etiam correctio.

§. 628.

Officia militum;

Qui militiae adscripti sunt, sibi plus, quam aliis, licere haud existiment, nec peccata a com-

militonibus patrari solita, etsi fors impunita sinantur, parvi pendant; imo vero, quo majora animae vitaeque pericula status militaris sibi juncta habet, eo sollicitius a) a vitiis in eo admitti solitis sibi caveant; atque b) justam piamque vitam agant, omniaque status sui officia curate non minus, quam constanter expleant. Inprimis 1) omnes *disciplinae militaris* leges exacte observent. 2) Praepositis suis promtam ex sancta intentione *obedientiam* subjectionemque praestent, et demandata sibi munia militaria cum certo etiam vitae periculo recte fortiterque exequi conentur. Ceterum 3) *suis stipendiis* contenti vivant, neminem concutiant [105]), nec a quocunque quidpiam injuste extorqueant; nec *hospites suos*, nec alios injustis vexationibus, exactionibus, conviciis exagitent laedantve, nullique injustam vim aut injuriam inferant. 4) In ipsos etiam *hostes*, aut hostilium terrarum incolas nec contra ducum prohibitionem, imo nec injussi hostile quidpiam moliantur; neque damnum iis inferant, nec illos, qui contributiones pendunt, injuste spolient divexentve.

*) 1) Milites, se ob damna contra leges militares injuste aliis illata ad restitutionem vel laesis ipsis, vel, si hi dignosci nequeant, eorum communitati faciendam esse obligatos, bene sint memores. Ceterum 2) milites, ut ne ad ampliora vitae subsidia sibi quaerenda iniquis aut injustis modis sollicitentur, otium, crapulam et profusionem fugiant, honestoque labore ac negotio servitioque simul assumto indigentiis commodisque futuris etiam prospiciant.

105) Luc. III. 14.

§. 629.

Officia praepositorum et ducum militiae.

Militum exercitusque *duces* tum primarii, tum subordinati alia a) *patriae et principi;* alia b) *subditis;* alia c) *hospitibus;* alia d) *hostibus* debent *officia;* nimirum 1) *patriae et principi* fidem datam sanctissime servare, huicque et ducibus superioribus exacte obedire, sua munia omnia excellenter et sancto ex motivo implere tenentur; quapropter nulla pericula formident, et milites non verbo solum, sed maxime etiam exemplo ad intrepide pugnandum et ad omnia officia militaria constanter explenda exstimulent. 2) Pro ratione muneris et ordinis sibi demandati tenentur a) *milites sibi subjectos* in officio continere; b) horum excessus, ut ajunt, praesertim in damnum aliorum, aut in publicam morum corruptionem vergentes pro viribus praepedire, compescere et secundum leges militares punire; ceterum suos ita dirigant, ut c) ab omni inhumana eorum *tractatione*, crudeli verberatione, iniqua vexatione, atque etiam ab irae immoderantia, a maledictis, execrationibus sollicite sibi caveant, atque omnes quidem humane comiterque tractent, tyronum vero inprimis ruditatem patienter ferre, eosque benigne instruere et corrigere studeant; item d) subditis sibi *sua stipendia* et quaevis ipsis debita fideliter pendant, nec inde sibi sub quocunque obtentu quidpiam vindicent; potius, ut suis quam optime sit prospectum, etiam proprio cum incommodo curent vigilentque; demum e) suos nunquam citra necessitatem incommodis vexent, nedum vitae periculis, propriae fors gloriae gratia, objiciant. 3) *Erga hospites suos* juste, aeque, comiter, misericorditer agant, nec eos ullo modo

(§. praec.) laedant vexentve, nec unquam in hos aliosve quidpiam contra leges militares suscipere, aut quemquam injuste divexare praegravareve audeant *); atque 4) in ipsos etiam *hostes* a) nil contra belli leges aut ipsi agant, aut a suis fieri permittant; sed b) versus *victos* quoque humanitatis, justitiae ac datae fidei leges sancte servent; atque c) *captivis* praesertim aut *aegrotis* etiam hostibus singularem misericordiam curamque impendant [106]).

*) Peccant igitur *injusteque* agunt, e. g. dum a) pagos alios militum stationibus aut exactionibus praegravant, aliis, per munera aut alias rationes excoecati, prorsus parcunt; dum b) exactiones indebitas faciunt, aut pecunia accepta remittunt; dum c) ob impediendas injustas militum vexationes, quod gratis et ex officiis facere deberent, munera acceptant; dum d) eos, qui milites proprie non sunt, in stationes inducunt etc. . .

ARTICULUS IV.

OBLIGATIONES RELIQUORUM IN CIVITATE MEMBRORUM PRAECIPUORUM.

---

§. 630.

Speciatim exponuntur.

Equidem officia quorumvis in civitate statuum specialia hoc loco recensere et nimis longum et a proposito foret alienum; praesertim quod ea officia ex alibi dictis erui facile possint. Attamen haud inopportunum videtur de obligationibus

---

106) Cf. Act. XXVII. 3. 42. sqq.

quarundam singulari mentione dignarum personarum, 1) nimirum *docentium discentiumque;* 2) *medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum;* item 3) *mercatorum, cauponum;* 4) *opificum, operariorum* 5) et *ruricolarum* breviter agere; utpote a quorum officiorum recta executione inprimis a) perfectio animae; b) corporis salus; et c) prosperitas commoditasque civium quam maxime pendet.

§. 631.

1) *Officia* a) *magistrorum docentiumque generatim.*

Magistri scientiarum, qui non nisi optimi aptissimique eligendi, liberaliter tractandi, ac magni aestimandi sunt *), generatim omnes 1) munus suum, ut quod *summi* sane *momenti* est, maximi faciant; eoque quam perfectissime perfungendi firmum propositum habeant, illique indefessum studium constanter impendant. 2) In iis, in quibus alios instruere debent, ipsi sint inprimis *optime periti,* atque etiam indies magis magisque *se perficere* laborent. Quoniam vero scientia a virtute separata inflat, charitas autem aedificat [107]: 3) solidam *pietatem castosque mores* cum scientiis conjungant, ut suos tum verbis tum exemplis etiam instruere, vereque iisdem prodesse valeant. Unde 4) praecipuo *erga Deum aliosque,* discipulos praesertim, *amore* ornati, non commoda sua nec propriam gloriam, sed publicam salutem et veram summamque discipulorum utilitatem pro scopo sibi praefigant, moralemque eorum perfectionem, supremum educationis finem, semper prae oculis habeant et quavis occasione promovere studeant. 5) *Illa* solum, quae

---

107) I. Cor. VIII. 1.

ad dictum finem, spectatis omnibus personarum, locorum, temporumque adjunctis maxime conferant, eaque *methodo*, quae ad illum scopum inprimis serviat, nec tam *scholae*, quam *vitae* doceant. Proin 6) quaecunque *utilia* et discipulis vere proficua ipsi norunt, *candide* cum iisdem communicent; *inutilia* autem, atque inprimis religioni aut bonis moribus periculosa noxiave proponere summe horreant.

*) Quum 1) magistri reipublicae tum profanae tum sacrae prorsus sint necessarii et ex recta juventutis institutione reipublicae utriusque salus magnopere pendeat, patulum est, a) eos, quorum est magistros publicos seligere, omnibus modis adniti debere, ut homines tanto muneri maxime idoneos constituant; e contrario b) eos contra Dei gloriam, contra ecclesiae et reipublicae salutem, item contra ipsos instituendos insigniter peccare, qui indignos aut minus idoneos scholis praesertim publicis praeficiunt, aut ad id sua opera concurrunt; c) eos maxime culpandos esse, qui aut decens magistris honorarium non conferunt: aut qui eo, quo par est, honore hos non afficiunt, auctoritatem eorundem non sustentant: utpote per quod fervor, energia pondusque in exequendo magistri munere debilitatur aut certe vehementer impeditur. 2) Peccant autem insigniter ipsi magistri, a) qui, vix semidocti, in munus docendi irrepunt; b) qui de discipulorum profectu parum solliciti propriam gloriam, laudem, male sanorum juvenum favorem, aut lucra temporalia quaerunt; c) qui indignis optima morum et litterarum testimonia largiuntur, aut partium studiis abripi se sinunt.

§. 632.

b) *Paedagogorum;*

Hoc loco tum 1) *dotes* paedagogorum, tum 2) *officia* generalia specialiaque paucis indicanda. Porro

I) *Paedagogi* sive privati sive publici, qui juventutis institutionem tum in scientiis tum in moribus sibi commissam habent, debent esse a) probatae et vitae et doctrinae viri; b) praecipua morum honestate decentiaque, atque hilari et amica majestate ornati; inprimis c) tenero prudentique erga juventutem amore et quodam quasi enthusiasmo ad eam formandam inflammati; d) insigni praeterea mansuetudine et cum juventute agendi sensaque sua communicandi dexteritate praediti.

II) Ad officia paedagogorum quod attinet, inprimis a) quaedam *generatim*; b) quaedam quoad *moralem*; et c) quaedam quoad *scientificam*, ut ajunt; et d) quaedam circa *civilem* politioremque institutionem observare tenentur; quae carptim hic attingere juvat: nimirum

1) *Generatim* quoad *institutionem tum moralem*, tum *scientificam* a) *paedagogi* negotium isthoc utrumque secundum certum probatumque *systema* suscipere et prosequi conentur; b) *morali* autem *institutione* ita primum locum tribuant, ut reliqua omnis institutio eidem tum *negative* tum *positive* subordinetur, seu ut illi non tantum non impedimento, sed et subsidio sit; ceterum c) institutio omnis, scientifica inprimis, *genio et ingenio* discipulorum non omnium solum, sed, quantum fieri potest, singulorum etiam, item *statui eorum futuro* decenter accommodetur; quare d) discipulorum suorum *genium, ingenium, characterem moralem*, item quantum fas est, *futuram vitae conditionem cognita* et perpetuo ob oculos posita habere studeant.

2) *Quoad institutionem moralem* paedagogi cumprimis a) discipulos, quos variis *praejudiciis*

naevisque moralibus infectos fors invenerint, primum ad eorundem cognitionem, detestationem et emendationem (§. 221—225.) ope instructionis, correctionis exhortationisque perducere conentur; quodsi autem remedia mitiora nil prorsus profecerint, quandoque severioribus etiam ad sensualitatis vim reprimendam caute et ad cujusvis genium accommodate utendum erit: quo in negotio paedagogi non severi domini judicisve, sed optimi patris et medici partes agere debebunt; b) juventutem ab omnibus, quae moralitatem vitiare queant, impressionibus pro possibili removere revocareque; eas vero, quas tollere non licet, nocendi vi exuere et juvenum animos contra easdem praemunire conentur; scilicet virtutis impedimenta tum in- tum externa (§. 151. sq.) submovere infirmareque perpetuo satagant; contra c) virtutis plantandae subsidia tum praeparatoria tum immediata mediataque (§. 154—156.) ad formandum moralem juventutis characterem diligentissime adhibeant: nempe tam facultatis cognoscendi inferioris superiorisque, quam facultatis sensionum et appetendi culturam eo, quo diximus (§. 331—336.), modo mature, indefesso studio et methodo ad juventutis capacitatem indolemque accommodata [108]), praesertim factis et exemplis singularibus ad dijudicandum imitandumque propositis urgere non desistant; d) quo in negotio caveant studiose, ne usurpatis imprudenter, seu quae juvenilis animi hilaritatem, strenuitatem gravitatemque supprimant, animumque irritent aut dejiciant, *poe-*

108) Cf. *Jonath. Schuderoff* Briefe über die moralische Erziehung 9. et 10. B.

nis; seu quae philautiam, superbiam, cupiditatem excitent foveantve, *praemiis* juventutem corrumpant magis, quam emendent; item e) caute provideant, ut juventutem non duntaxat ad honestatem prudentiamve politicam, ad decentiam exteriorem, aut ad legalitatis studium informent: sed inprimis ad moralitatis virtutisque christianae (§. 142—144.) exercitationem traducere, atque ad perfectionem etiam sectandam (§. 147. sqq.) non verbis modo, sed et exemplis exstimulare conentur; igitur f) inprimis sollicite caveant, ne unquam quidpiam committant, quod a morali doctrina discipulis proposita abludat, imo quod vel mali speciem habere videatur.

3) Quoad *institutionem litterariam* paedagogi a) in docendo rectum ordinem aptamque methodum servent, animae facultates eo, quo sese pedetentim evolvunt, ordine magis excolant, nec ullius culturam negligant (§. 600. sq.); attamen ad moralitatem, velut educationis finem principem, in institutione litteraria perpetuo respiciant; a facilioribus, atque ab iis, quae futuris intelligendis serviunt, exordium capiant, nec nisi iisdem probe cognitis ad alia *pededentim* progrediantur; proinde nec praeceptorum copia, nec earum, quae juvenum captum superant, aut nulli usui futurae sunt, rerum tractatione juvenum ingenia obruant, divexent, aut obtundant; inprimis b) cautionem adhibeant, ne discipulorum memoriam pluribus nominibus vocabulisque, quorum vim et sensum nondum capiunt, onerent; ne suos ea, quae necdum perspecta habent, deblatterare cogant, sed potius curent, ut discipuli ea primum, quae memoriae mandare, aut proferre debent, rite antea intelligant; ce-

terum c) omnibus modis adnitantur, ut litterarum studium discipulis perquam aestimabile, atque amabile etiam et suave reddant; certe caveant, quod Quintilianus monet *); hinc d) omnem acerbitatem in docendo corrigendoque procul amandent, et praeceptoris gravitatem auctoritatemque cum summa humanitate lenitateque temperare ac quadam hilaritate condire satagant; nec nisi in pervivaces, petulantes, nequiter socordes moderatam per gradus severitatem adhibeant, pro certo habentes, *generosam juvenum indolem* amore et rationum pondere capi, duci flectique certius faciliusque posse; intemperanti contra severitate saepius perversum induratumque iri; e) demum, ut de parentum erga proles adolescentiores agendi modo diximus (§. 597.), paedagogi erga discipulos puerilem aetatem jam egressos et aetate aut moribus maturiores liberali magis ac amicitiori agendi ratione utantur, nec eos tam per timorem reverentialem, quam per rationis principia dirigere studeant; neque tamen indulgentiores in eosdem sint, aut disciplinam reverentiamve magistris debitam ullo modo labefactari sinant **).

4) *Quoad institutionem civilem politiorem*, hanc, utpote summe utilem et inprimis homini litteris culto maxime necessariam, paedagogi haud negligant, sed constanter urgeant; proinde a) tirones suos ante omnia a vitiis naevisque humanitati, decentiae et comitati adversis, e. g. a ruditate, cruditate, morositate, item a pertinacia, animi obstinatione, ab inofficiositate, ab immodico proprii commodi studio, a fastu, a dissentiendi, contendendi, rixandi facilitate, aut contra a pseudopolitica concinnitate ridiculaque af-

fectitione praeservare, aut expurgare adhibitis omnibus, quae possunt, subsidiis remediisque conentur; b) eosdem ad sinceram erga omnes aestimationem decenter demonstrandam, ad honorem cuivis pro sua conditione, aetate ac dignitate liberaliter exhibendum, ad animi flexibilitatem, *aliis* sese accomodandi facilitatem, ad promtam decoramque officiositatem, comitatem, affabilitatem, et generatim ad oris, gestuum verborumque modestiam, decentiam, concinnitatem non theoretice solum et expositis regulis instituant, sed practice etiam efformare studeant; attamen c) civilitatem homine *christiano* dignam et ex *christiana charitate* exercendam doceant urgeantque ***).

*) »Nec sum adeo, inquit, aetatum imprudens, ut in»standum teneris protinus *acerbe* putem, exigen»damque plenam operam. Nam id inprimis cavere »oportet, ne studia, qui amare nondum potest, »oderit et amaritudinem semel perceptam etiam ul»tra rudes annos reformidet. Lusus hic sit; et ro»getur, et laudetur, et nonunquam fecisse se gau»deat. Aliquando ipso nolente doceatur alius, cui »invideat; contendat interim et saepius vincere se »putet. Praemiis etiam, quae capit illa aetas, evo»cetur« *Quintil instit. or. l. I. c.* 1.

**) 1) Haec pauca de doctorum magistrorumque officiis carptim generatimque notasse sufficiat; singularia praecepta, quae recensere nimis longum et a proposito nostro foret alienum, tum in paedagogicis tum in plurimis aliis, quae jam prostant indiesque magno numero producuntur, varii argumenti nominisque scriptis invenire licet. 2) Ceterum de quibusdam naevis vitiisque, quae scientiarum magistris fugienda maxime sunt, alibi dicendi se offeret occasio. Demum 3) uti hucusque docentium; ita discentium quaedam generatim solum delibabimus officia.

***) De his illi, qui ex professo haec pertractant, consulendi; item recolenda, quae diximus ethicae christianae Tom. II. §. 516—522.

§. 633.

c) *Officia discentium studentiumve.*

Discentes, atque inprimis *scientiarum studiosi*, utpote a) singulari diligentiorique institutione et cultura perfruentes; et b) ad praecipua in profana sacraque republica munia deinceps obeunda destinati, Deo, sibi, parentibus, magistris, ecclesiae patriaeque debent, ut a) praecipua morum probitate; b) flagranti litterarum studio; c) decente erga magistros observantia; et d) constanti legum scholasticarum expletione ad publica munia rite obeunda se praeparent: *obligantur* proinde,

1) ut a) naevis vitiisque, quae minus cautam juventutem saepe maculant, prorsus sint alieni; b) praecipua quadam morum honestate, puritate *solitaque probitate* niteant; 2) ut a) *bonis litteris* praecipue ad futuram vitae conditionem necessariis et utilibus; b) quam diligentissime, et c) recto ordine methodoque improbam navent operam; 3) ut *magistris* suis a) assiduitatem; b) docilitatem; c) reverentiam, et in rebus ad studia et disciplinam scholasticam pertinentibus obedientiam; demum d) gratum memoremque animum exhibeant; 4) ut *legibus scholasticis* academicisque curate et recta intentione morem gerant, condiscipulisque bono exemplo sint *).

*) Igitur 1) turpiter errant, qui juvenibus plus indulgendum et juventutis naevos cum ipsa aetate emendandos opinantur 109); item 2) insigniter peccant

109) Proverb. XXII. 6. Eccl. XII. 1.

juvenes, a) qui iis vitiis, quae in academiis quandoque grassantur, se abripi sinunt; b) qui inutiles periculosasve nectunt aut frequentant societates; qui c) tempus studiis destinatum lusibus, compotationibus, varii generis recreationibus saepe periculosis consumunt; qui d) pecunias ad salutares usus sibi concessas in vanissimos atque malos etiam usus absumunt; qui e) parentibus summam animi moestitiam creant, cohaeredibus damnum inferunt, condiscipulis scandalum praebent, scholae publicae famam maculant; qui f) ad officia, quibus gerendis destinantur, aut ad quae aspirant, se rite haud praeparant; 3) halucinantur peccantque, qui a) neglecta morum integritate probitateque uni scientiae inhiant; aut qui b) alia, quam quae discenda essent, discunt, aut de his vix cursim carptimque aliquid arripiunt; qui c) plurimarum notitiarum indigestam confusamque farraginem sine ordine distinctaque cognitione comportant; vel omnia simul nihilque perfecte discere cupiunt; inprimis d) qui *librorum juventutis castitati, moribus, fidei pericula minitantium, lectione* vacant; demum 3) vehementer errant peccantque etiam juvenes, qui a) publicas praelectiones arroganter spernunt perturbantve; b) traditas doctrinas imprudenter sugillant, aut fastidiunt; c) beneficium publicae institutionis parum aestimantes suis magistris reverentiae, gratique et memoris animi officia denegant; aut contra d) in verba magistri jurantes coecam fidem iis praestant, pervicaciterque adhaerent; meliora discere aspernantur et sensim per se ipsos cogitare, judicare, disquirere non conantur.

§. 634.

1) *Officia* a) *medicorum chirurgorumque.*

Medicorum chirurgorumque officia, 1) si spectentur dotes, alia a) *positiva*, b) alia *negativa* sunt; 2) si exercitium, vel a) *sanitatem aegrorum corporalem* vel b) *salutem spiritualem* respiciunt. Ea autem officia, utpote a quorum recta executione

hominum plurimorum sanitatis et vitae conservatio, valetudinisque recuperatio, imo et salus animae pendet, summi sane sunt momenti. Praecipua autem ex illis censentur, 1) ut hoc gravissimum munus et officium, nisi ad id utiliter salubriterque exercendum satis instructi praeparatique sint, arripere aut oblatum etiam acceptare non audeant; 2) ut artis medicae chirurgicaeque notitiam peritiamque indies augere et observatione, lectione, meditatione consultationeque etiam amplificare et perficere adlaborent *); 3) ut non solum *a vitiis*, quibus ad officia quovis tempore explenda inepti reddantur, e. g. ebrietate crapulaque, sint maxime alieni, sed et *insigni pietate morumque integritate* ac sincera erga proximum charitate ornati, singularem *suae castitatis* curam gerant, modestiaeque leges observent; item 4) ut in secretis aegrotorum custodiendis fideles sint, nec pudendos aegrotorum morbos, nec arcani quidpiam, quod aegri ipsis manifestarunt, edicere propalareve, neque adeo secreti fidem, ad quam officii sui virtute jam adstringuntur, violare audeant. Quod ad *ipsum artis exercitium* pertinet, medici chirurgique 1) cognoscendis et cito perfecteque curandis morbis summam constantemque diligentiam adhibeant; 2) certis et aptissimis duntaxat, nisi necessitas aliud jubeat, remediis utantur; 3) a lucri cupiditate alieni non crumenae suae, sed aegrotorum saluti maxime consulant; et pauperibus etiam eadem, qua divitibus, cura gratis succurrant; demum 4) de *spirituali aegrotorum salute* solliciti eosdem ad fiduciam in Deo ponendam, ad patientiam, ad opera pietatis, ad sacramenta morituriantium mature suscipienda serio commonefaciant [110].

110) Cf. constit. Innocent. XI. c. 13. de poenit. et remiss.

*) Qui 1) aliis peritioribus deficientibus consilia suggerit, culpandus non est; qui autem peritum se jactitat, aut medicorum consilia opemque praepedit, peccat et damnum illatum resarcire tenetur. 2) Ipsi chirurgi in civitate positi se medicinae praxi haud immisceant, in pagis siti, ubi medicus haberi nequit, saltem in difficilioribus casibus medicorum consilia exquirant, eosque arcessi curent. Ceterum 3) saepe *graviter peccare* médicos, chirurgos, pharmacopolas et ad restitutionem teneri, si grave damnum aegrotis inferant a) ex *inscitia;* b) ex *praecipitantia*, in junioribus medicis frequentiori ac maxime culpanda; c) ex *livore*, quo se mutuo insequuntur; d) ex *avaritia* quaestuosa; e) ex *negligentia*, demonstrat Ludovicus Vives, eos etiam medicos graviter arguens, qui, dum se publicis utilitatibus dedicarunt, ad alias artes disciplinasve divertunt; eoquod in hac una satis superque, quod agant, habeant in vita universa, quantumlibet diuturna ac longa. »Sciat igitur medicus, monet, »quidquid temporis huic studio subtraxerit, tanti »surripere ac furari sanitati suorum aegrotantium.«

§. 635.

b) *Pharmacopolarum.*

Pharmacopole, quos in arte sua bene peritos ac fidelissimos esse oportet, praeterea 1) non nisi genuina, integra, salutaria, et, quae a medicis praescripta sunt, medicamenta vendant porrigantve; 2) si id medicamenti, quod a medico praescriptum est, praesto haud sit, non ipsi aliud substituant, sed medici de hoc moniti praecepta sequantur; 3) neque iniquas cum medicis pactiones de praescribendis medicinis ineant; 4) venena aliaque abusui obnoxia medicamenta non obvio, nec nisi adhibitis cautionibus vendant *).

*) Unde pharmacopolae medicique peccant, a) qui ea, quae generationi obstant, aut abortum procurant,

medicamenta porrigunt praescribuntve; item b) qui evanida medicamenta vendunt.

§. 636.

3) *Officia mercatorum negotiatorumve et cauponum.*

Mercatores negotiatoresque, quorum officia fere ex dictis (§. 453.) intelligere licet, inprimis *obligantur,* 1) ut ne negotiis terrenis prorsus immersi animae suae negotium negligant; 2) ut caveant, ne lucro immodice inhiantes divitesque fieri cupientes incidant in tentationem et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia, et nociva [111]); ut 3) pretium et *legale* quidem ex asse, *vulgare* autem intra justi limites servent, nec ultra summum vendant, nec infra infimum emant; 4) ut in emendo vendendoque legitimo pondere justaque mensura utantur [112]); sin: damna eo modo illata restituendo reparent; 5) ut merces corruptas vitiosasque pro bonis haud vendant, aut certe *vitia mercis* emtoribus, sicut diximus (§. 453. not. 3.), detegant, pretiumque minuant; 6) ut a vetitis monopoliis (§. 453), a mendaciis, pejerationibus, cujusvis generis fraudibus dolisque aut pactis illicitis (cf. §. 548. n.) sibi caveant, illud apostoli [113]) prae oculis habentes: *Nemo circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus. Caupones* praeterea obligantur, ut 1) ab *injustitiae* peccato sibi sollicite caveant, cujus rei sunt, qui a) potum corrumpunt, insalubrem praebent; qui b) quemcunque ultra justum pretium vendunt; qui c) pro labore suo, victu, hospitio pecuniae summam justo

111) Luc. XII. 15. sq. 20. 30. sq. I. Timoth. VI. 7.
112) Deuter. XXV. 13. 15. Levit. XIX. 35. sq.
113) I. Thess. IV. 6.

majorem exigunt, aut sub malis, e. g. illatam ab aliis hospitibus aut hostibus jacturam resarciendi, aliisque obtentibus vanis marsupia hospitum expilant; item 2) ut ne a) aliorum peccatis, luxuriae inprimis crapulaeque, operam, occasionem aut refugium praebeant, atque ita horum peccatorum se participes reddant; sed b) ut ea peccata pro viribus impediant; atque c) saluberrimas politicas etiam leges hospitibus scriptas et ipsi servent, et a domesticis suis et hospitibus servari curent etc.

§. 637.

4) *Officia opificum.*

Opifices artificesque, quorum summam in civitate utilitatem necessitatemque Siracides quoque commendat, generatim his respectu a) *civium;* b) *sociorum laboris;* et c) *tironum* officiis tenentur; nimirum 1) ratione *civitatis civiumque* obligantur, a) ut non nisi qualitatibus ad opificia artesque utiliter exercendas necessariis praediti et artis opificiique satis periti eam conditionem profiteantur, atque in iis magis usque se perficere studeant; b) ut in his negotiis juste, diligenter fideliterque versentur et excellere etiam satagant; contra a negligentia, a fraudibus, ab immodica operae suae taxatione, ab imprudenti iniquoque citius ditescendi studio, atque a fastu etiam alienissimi sint; c) ut a receptis quoque abusibus, quos obtentu praxeos ac consuetudinis opificiae (Handwerks-Vortheile und Gebräuche) excusare malesani contra jus fasque amant, sibi sollicite caveant *).

2) *Ratione collegarum et sociorum* opificii obstringuntur, a) ut erga ejusdem *professionis collegas* sincera charitatis, pacis et concordiae officia servantes ob omni invidia, insectatione, obtrectatione quam maxime abhorreant; b) ut *laboris socios* benigne, humaniter et liberaliter tractent, iis debita stipendia et alimenta praebeant, eorum moribus tanquam boni patres familias invigilent (cf. §. 602.); c) ut hos *laboris socios* ad operam suam diligenter impendendam et ad opificia rite conficienda modis omnibus adigant, atque damna ab his culpabiliter aliis illata sibi etiam imputanda resarciendaque esse sciant.

3) *Ratione tironum*, quos in arte vel opificio erudiendos suscipiunt, a) non alios, quam quos aptos et civitati utiles futuros recte sperare possunt, in arte instituendos admittant; b) eosdem veluti filios ament, et bonum eorum promovere pro virili satagant; proin in arte opificiove summa cum diligentia illos perfecte erudiant, nec aliis negotiis, laboribus ad opificium non pertinentibus eos gravent impediantve, nec etiam nimio, qui vires sanitatemque atterere queat, labore illos onerent; c) nullum tironem nisi satis instructum emancipent, nec ullas praeter eas, quae a jure legitimaque consuetudine probantur, ab illis exactiones faciant; ceterum d) tironum moribus quam diligentissime invigilent, eos in religionis principiis rite imbui curent et a moralibus naevis vitiisque praeservare purgareque, delinquentes paterne corrigere, atque ad veram probitatem verbis exemplisque exstimulare conentur; demum e) reliqua, quae supra (§. 602.) notavimus, itidem respectu horum tironum observent.

*) 1) Id genus fraudes, e. g. circa mensuram, pondus, circa materiam, quam corrumpunt, aut corruptam pro bona adhibent, aut ex qua ab aliis ministrata sibi quidpiam reservant, et millenas alias, nulla consuetudo purgat, sed ipsa rationis lex damnat. Etenim ii ipsi profecto aegre ferunt, si alii his fraudibus contra ipsos utantur, quas tamen in alios adhiberi innocue posse falso sibi persuadent. Atqui id, quod tibi ab aliis fieri oderis, ut omittas, lex rationis et regula charitatis justitiaeque jubet. Ceterum 2) tam opificiorum magistri, quam eorum socii aequas quidem et collegiales, aut municipales, ut ajunt, leges, consuetudines (Zunftgesetze und Artikel) servare, tueri urgereque moderate possunt. At vero 3) ludricis, imo iniquis aut christianae charitati, reipublicae bono et legi contrariis insistere, aut aequa etiam pertinacius, quam par est, tueri amantes, tum se, tum collegia ipsa, tum eorum membra turpi macula notant, et se non mediocri noxa obstringunt.

§. 638.

5) *Officia operariorum.*

Operarii, qui pro pacta mercede aliis operam suam locant, 1) in ipso pacto ineundo generales locique leges speciales observent, nec quid ultra justam mercedem exigant; 2) operam suam, ut ejusdem conditionis homines probi diligentioresque solent, graviter fideliterque praestent, commissos sibi labores ac negotia sibi credita curate utiliterque exequantur; 3) si fors justo majus laboris acceperint pertierintve stipendium, aut praestito labore aut reddita parte id, quod justum excedit, restituendum (§. 393. n. 3.) sciant; 4) ut Deo etiam placeant, non solius mercedis gratia, nec ad oculum opus suum peragant, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum

bona voluntate servientes [114]; 5) ceterum non justis solum stipendiis, sed et suo statu contenti sint [115]), imo per suam conditionem, etsi difficilem, a multis vitiorum periculis se remotiores esse perpendentes, sortem suam non tantum non abominentur, sed et ament, atque veluti virtutis christianae exercendae opportunam occasionem rite usurpare satagant; demum 6), quum plerumque rerum angustia premantur, aliisque servire debeant, ea, quae de toleranda paupertate (§. 393.), item de famulorum officiis (§. 605.) monuimus, sibi dicta putent.

*) Quae aliis versus operarios incumbant officia, ex dictis (§. 454. et 602.) colligere licet.

§. 639.

6) *Officia ruricolarum.*

Ruricolarum officia notatu digniora videntur sequentia: 1) ruricolae vitae suae, etsi laboriosae, conditionem, ob multo plura, quae sibi conjuncta habet, commoda *) magni aestiment monente Siracide [116]): »Non oderis laboriosa opera et »rusticationem creatam *ab altissimo*;« unde 2) civitatis incolis adeo non invideant, ut potius prae iis beatos se judicent, proin conditionis suae onera lubenter ferant, officiisque cum ea conjunctis gaudenter perfungantur; 3) ex naturae, caeli, agrorum, pratorum, plantarum, animalium pia contemplatione Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, providentiam meditari penitiusque agnoscere et ad ejus amorem se exstimulare sata-

114) Ephes. VI. 6. sq.
115) Cf. Matth. XX. 8—14.
116) Eccl. VII. 16.

gant. 4) In excolendis agris impigram, prudentem piamque operam impendant [117]; a bono Deo inprimis benedictionem exspectent, eique felices laboris sui eventus effectusque grati adscribant; frustratos contra labores, item variam coeli intemperiem, inundationis, siccitatis, grandinum, sterilitatisque et alias quasvis calamitates a Dei providi manu aequo animo acceptent ferantque; 5) ea inprimis, quae ruri grassari solent, ruditatis, cruditatis, pertinaciae, aut crassiorum voluptatum vitia sollicite fugiant; demum 6) omnia, quae debent, e. g. decimarum, servitiorum, tributorum officia curate, fideliter, et religiose etiam, seu motivo ex religione sumto ducti, praestent.

*) Praeter alia vitae ruralis commoda eminent a) naturae dona liberius contemplandi, indeque nobilem animi laetitiam percipiendi et ad pios erga Deum actus se exstimulandi opportunitas; b) aëris liberioris usus et laboris sanitati maxime congruentis exercitatio; c) a tumultu, civica invidia, variisque indigentiis et vitiis, quae cives vexant, immunitas; d) candor animi, simplicitas, hilaritas, amicitia ruri fere magis domestica etc.

---

117) Proverb. XII. 11. XXIV. 27.

CAPUT VI.

DE ECCLESIA, AC STATU ECCLESIASTICO ET OBLIGATIONIBUS PRAECIPUORUM EJUS MEMBRORUM.

§. 640.

Ordo dicendorum.

1) *Status ecclesiasticus* a) *latius dictus* membra ecclesiae tum *vulgaria*, laicos; tum *non vulgaria*, personas nempe ecclesiasticas, tam saeculares quam regulares, continent; b) *strictius dictus* [118]) hos solos complectitur *). Atque 2) de horum quidem officiis heic inprimis sumus dicturi; pauca tamen de laicorum erga clericos officiis monebimus. 3) Dicemus autem primo I. de requisitis et vocatione ad statum clericalem; deinde II. de officiis clericorum generatim; tum III. de quorundam clericorum speciatim; inprimis IV. de beneficiatorum; demum V. de regularium officiis; postremo VI. de laicorum erga clericos pastoresque suos officiis breviter pertractabimus **).

*) 1) Societas *finis ultimi* (moralis religiosaeque perfectionis et respondentis aeternae beatitatis) consequendi gratia colligata dicitur *ecclesia.* 2) Extra talem societatem *is finis* vix, ac ne vix quidem a singulis, nedum communiter potest obtineri: unde id genus *societatis* (qualis certe ecclesia christiana est) quivis inquirere, eidem, postquam verum cognoverit, se aggregare et omnia membri ecclesiae officia curate explere obligatur.

118) Cf. meas instit. jur. eccl. tom. II. §. 404.

**) Hac in re ita versabimur, ut strictim pleraque attingamus potius, quam articulatim explicemus, eoquod a) in jure ecclesiastico de iisdem fere jam egerimus; b) officia autem *pastorum*, utpote de quibus theologia pastoralis pertractat, prorsus hoc loco sint praetermittenda.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS, DE VOCATIONE ET PRAEPARATIONE AD STATUM CLERICALEM.

---

§. 641.

Status clericalis 1) *dignitas*, et

Status clericalis excelsitatem a) origo ejusdem et *institutio*; b) *objecta*; c) *finis*; d) *membrorum dignitas ac potestas* satis demonstrant. Nam 1) clericalis status et hierarchia sacra ab ipso Deo Christoque Domino *instituta* [119]) est; 2) *objecta* ejusdem nobilissima sunt a) scientia salutis, et virtus religiositasque per doctrinam et exemplum promovenda firmandaque; proin b) Dei cultus sacrumque ministerium; c) mysteriorum Dei dispensatio; d) sacrae liturgiae administratio et verbi Dei praedicatio; e) animarum cura et fidelium directio; atque f) ecclesiae christianae gubernatio; deinde 3) *finem* ejusdem, quem proxime sibi praefixum habet, sane nobilissimum constituit *gloriae divinae, christianae perfectionis* et sanctitatis in fideli populo promotio [120]); demum 4) *membra ejus-*

---

119) Cf. instit. jur. eccl. §. 49.
120) Ephes. IV. 11 — 16.

dem sunt *clerici*, qui a) speciali sacro ritu ad ministerium sacrum ac munia ecclesiastica initiati; b) singulari sacra potestate praediti; et c) tanquam ministri, ac mysteriorum Dei dispensatores; d) ceterorum fidelium duces, exemplar, doctores et rectores sunt constituti.

*) Uti ad nullum alium, ita minus multo ad sublimem statum clericalem aspirare et admitti potest, qui dotibus aut voluntate ad exequendas gravissimas ejusdem obligationes destituitur; praestantissimus autem status qualitates praecipuas sibi exposcit.

§. 642.

2) *Requisita.*

Jam vero status clericalis dignitas, id est, clericalis ordinis sublimitas, muneris sanctitas, potestatis sacrae amplitudo et oneris gravitas non vulgares, sed praecipuas quasdam in status hujus candidato *dotes* seu *requisita* exigunt. Porro *dotes et qualitates clerici* seu *requisita ad statum clericalem* censentur: 1) *morum probitas insignis*, id est a) innocentia vitae vel integre custodita, vel per diuturnam acremque poenitentiam reparata; atque adeo b) immunitas non solum a criminibus, a notabilibus quibusque vitiis: sed et c) solida beneque fundata virtus [121]); 2) *scientia* ad rite obeunda munia officiaque clericalia (§. praec.) sufficiens saltem, eaque *practica* et *pragmatica;* 3) *dotes animi et corporis* per canones in clerico requisitae, e. g. mentis et corporis sanitas, judicii maturitas, agendi prudentia, famae integritas, natalium honestas, aetatis maturitas; item 4) *immunitas ab irregularitate*, sive ex delicto sive ex de-

121) Tit. I. 7. I. Timoth. III. 2. sq.

fecta orta [122]); denique 5) *recta intentio*; nimirum gloriae divinae, propriaeque et alienae perfectionis moralis et salutis spiritualis promovendae consilium et efficax propositum; 6) *vocatio legitima* *). »Nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.« Deinde omnes Christi ministri legitime sint vocati [123]). Igitur [illegible]

*) *Vocatio*, uti ex dictis (§. 588.) colligitur, vario intelligitur sensu. Nempe 1) ut singuli ad summum bonum in se et aliis recto ordine promovendum atque ad perfectionem ac salutem spiritualem tam suam quam et alienam provehendam pro possibili contendant, proindeque ut cum, qui illam in rem prae ceteris cuique aptissimus est, statum vitaeque conditionem eligant, Deus certo *vult*. 2) Quae quidem Dei voluntas a) generalis, *vocatio* sensu latiori; b) ad singulos et ad horum in- et exteriores qualitates determinationesque, atque ad certum statum relata, *vocatio divina* strictius sumta dici poterit. 3) Diligentiori autem et distinctae considerationi innixa persuasio, qua quis certam vitae conditionem et ad dictum finem sibi aptissimam, ideoque ex Dei voluntate prae ceteris eligendam prudenter judicat, veluti *vox Dei* per conscientiae dictamen manifestata, potest *vocatio interior* appellari. Praeterea 4) in munere statuve publico inprimis publicae potestatis sententia, seu voluntas, qua quis tanquam ad tale munus idoneus vocatur admittiturve, interveniat necesse est, quae *vocatio exterior* audit; atque respectu status clericalis prorsus quoque necessaria est. Proinde 5) *vocatio* ad certum statum a) prudentem de propria ad eum statum aptitudine persuasionem; b) certam de rite explendis status illius officiis, et de propria alienaque perfectione saluteque felicius promovenda spem; denique c) quoad publica munia inprimis proba-

122) Vid. meas instit. jur. eccl. tom. II. §. 409. sq.
123) Hebr. V. 1. cf. Matth. IV. 18. IX. 9. Act. VI. 3. sq.

bile de legitima vocatione externa judicium comprehendit. Ex quo 6) per se intelligitur, quis *vocationem* sequi dicendus sit.

§. 643.

3) *Vocatio ad statum clericalem* a) *necessaria;*

Vocationis divinae *necessitatem* ad statum clericalem demonstrat 1) *ordinis dignitas*, utpote, quo quis a) in altiorem prae reliquis fidelibus gradum evehitur, per ritum sacrum Deo consecratur, et c) ad sacrum ministerium deputatur; 2) *muneris sanctitas gravitasque*, utpote quod versatur a) circa *cultum Dei;* b) *mysteriorum divinorum* administrationem; et c) *divini verbi praedicationem;* d) *animarumque gubernationem* (§. 641.); 3) *gratiae divinae* ad haec officia rite explenda *necessitas*. Certe ad tam sublimem dignitatem rite gerendam, et ad tam sanctum summique momenti munus rite obeundum nemo unus par aptusve credendus, nisi a Deo vocatus ejusque speciali gratia fuerit suffultus: timenda potius 4) *mala ingentia* ex defectu vocationis a) in Dei ecclesiam; b) in animarum salutem; et c) in ipsos indignos, qui non vocati in sacra irruunt, ministros pro manatura [124]). Unde

§. 644.

b) *Diligenter exploranda;* c) *fortiterque sequenda.*

Vocatio igitur ad statum clericalem est I) sagaciter *exploranda* et cognoscenda ex signis a) positivis b) negativisque. Porro 1) *signa vocationis divinae* positiva sunt iuprimis a) *dotes et requisita* ad statum clericalem (§. 642.) et ad omnia ejus of-

---

124) *Kroust* instit. cleric. p. IV. med. 2. et 3.

ficia rite explenda; b) post fusas ardentes ad Deum preces, post curatum examen, non sine virorum prudentum consilio institutum, perseverans *stimulus interior* ad eum statum *ex sanctissimo fine* suscipiendum; c) *episcoporum seu ecclesiae judicium et voluntas*, qua quis ad statum clericalem dignus aestimatur lubenterque admittitur. Contra 2) *signa negativa*, seu indicia *deficientis vocationis* censentur a) *carentia dotium* et qualitatum ad status clericalis officia explenda requisitarum; b) naevi ac vitia iisdem exsequendis obstantia; c) *sinistra aut vana intentio* et ratio movens in suscipiendo eo statu, nempe ambitio, commoditatum aut divitiarum amor, sola alio modo se sustentandi impotentia, importuna jussio aut coactio parentum etc. *).

II) *Vocatio cognita*, et praesertim accedente rectorum ecclesiae nutu probata, *fortiter arripienda* a) ex solo maxime Deo placendi et suam alienamque salutem promovendi studio; b) insuper habitis, quae hic status continet, et quae ab eo avertere queant, plurimis laboribus, difficultatibus, oneribus; c) rejectis, quas mundus offert, divitiis, honoribus, voluptatibus spebusque, more apostolorum, qui relictis omnibus Christum secuti sunt.

*) Nam non *trahit Pater caelestis*, quem trahit terrena vanitas, terrena cupiditas, terrena potestas. *Cleric. instruct. p. IV. pag.* 37.

§. 645.

4) *Praeparatio ad statum clericalem.*

Quum quaedam ex requisitis ad statum clericalem (§. 642.) non nisi multa longaque exercitatione acquirantur: patet, ante statum cleri-

calem universim et ad gradus quosque, item ad certa ejus status munera *diligentem praeparationem* esse necessariam, ad quam inprimis refertur 1) *morum* vitaeque *integritas*, et vitiorum quorumvis horror; 2) singulare *virtutis* et religiositatis *studium* amorque; 3) *scientiarum* ad statum clericalem necessariarum utiliumque *studium* [152]); 4) *exercitatio praevia* in iis, quae clericis peragenda sunt, e. g. in catechisando, sermonem sacrum habendo, adhortando etc. 5) *famae bonae, insignis modestiae exterioris*, comitatis, decentiae, affabilitatis, queis ad alios docendos, exemplo bono movendos, ducendos aptentur, studium et cura singularis.

*) Vide in rem praesentem, quae in institutionibus Theologiae pastoralis § 18 — 25.) monui.

ARTICULUS II.

DE CLERICORUM OBLIGATIONIBUS GENERATIM.

---

§. 646.

Honestas, seu sanctitas morum clericis necessaria exigit,

Clericorum quosvis 1) ipsa status ratio (§. 641.) ad singularem *in- et exteriorem honestatem* [126]) seu ad virtutem praecipuam, eminentem et praefulgentem obligat; a) eam sane ordinis sanctitas, ministerii dignitas, potestatis sacrae excellentia, muneris onerisque gravitas sibi exposcunt; quodsi enim b) veteris legis sacerdotes, eoquod *consecrati* essent Deo suo, et *incensum Domini et panes*

125) Cf. meas instit. jur. eccl. §. 406. not.
126) Cf. meas instit. jur. eccl. §. 426.

Dei qui offerrent, *sancti* esse jubentur: quanto magis ministri ecclesiae Christi sanctos esse necesse est, qui ceu *lumen mundi* et *sal terrae*, atque tanquam *ministri Christi* et *dispensatores mysteriorum Dei* a Christo constituti sunt [127]. Porro 2) *clericalis honestas* in eo inprimis continetur, ut a) quaedam *caute fugiant* vitentque; b) *quaedam consectentur et agant*; nimirum *sollicite declinent* a) *peccata et vitia* quaevis, quae conscientiam maculant, inprimis quae famam auctoritatemque etiam pessundant; b) peccatorum illicia et mali speciem habentia; c) omnia, etsi de se non mala, attamen clericorum statum *dedecentia* et officia eorum praepedientia. *Consectentur* autem solidam, praefulgentem et homines ad imitandum allicientem virtutem; atque hinc a) quaevis *status sui officia* curate perfecteque expleant; b) *optimo exemplo* omnibus ad bonum praeluceant; atque per haec, et c) per *decori etiam studium* omnibus placere, omnium venerationem sibi munerique suo conciliare studeant.

*) **De singulis notanda quaedam, nempe**

§. 647.

***Ut** 1) fugiant **a)** omnia peccata vitiaque, inprimis infamantia.*

Clericos quidem tum ipsa status ratio, tum scripturae [128]) ecclesiaeque auctoritas a quovis graviori, imo, quantum humana sinit imbecillitas, a levioribus peccatis et maxime a vitiis alienos purosque esse jubet, praecipue tamen ob populi offensionem scandalumque vitia et peccata,

---

127) Levit. XXI. 6. sq. Matth. V. 14.
128) I. Timoth. III. 2. sq. 8. Tit. I. 6. sq.

quae non solum conscientiam, sed et *famam* maculant et cleri *auctoritatem* pessundant, in clericis aversatur damnatque ecclesia. Atque hinc acerrimis legibus poenisque maxime a) *ebrietatis* vitium, b) *avaritiae* labem; c) *incontinentiae* vel umbram suspicionemve in clericis merito condemnat et persequitur [129]).

§. 648.

h) *Eorum item illicia periculaque et mali vel speciem habentia.*

Neque haec vitia solum et peccata, sed eorum etiam *illìcia* clericis severissime vetantur, e. g. 1) popinae aditus, nedum frequentatio; 2) conviviorum immoderatio; luxus otiique vitium; 4) alearum, similesque ludi; 5) negotiatio; inprimis 6) choreae *); 7) inhonesta lubricaque spectacula; 8) quaevis cum faeminis familiaritas; et 9) suspecta cum iisdem communio cohabitatiove; imo 10) conjugia etiam aliis licita, quae clerico in sacris ordinibus constituto, utpote qui ad agendam perpetuo vitam caelibem obligatur, non tantum vetantur, sed et prorsus irrita declarantur [130]).

*) *Chorearum* cum faeminis agitatio non modo clericum summe dedecet, sed ab offensione aliorum scandalove vix unquam prorsus abest (cf. 384. not.). Videantur meae institutiones Theologiae pastoralis §. 144. not.

129) Cf. meas instit. jur. eccl. p. II. §. 429.
130) Vid. ibid. §. 430—432.

§. 649.

c) ***Quaevis statum clericalem dedecentia, ejus officium praepedientia;***

Vetantur item clericis, quae eorundem *statum dedecent, officiaque praepediunt.* Haec inter censentur 1) venatio, frequentior saltem; 2) officia militaria curialiave; 3) sordida opificia; 4) chirurgiae exercitium; 5) actiones et exhibitiones scenicae, histrionicae; 6) scurriles ludicraeque dictiones, actiones [131]; paucis: 7) id omne, quidquid dignitatem et excellentiam status ordinisque clericalis minuere, ejus auctoritatem et officii clericalis efficaciam infringere quodammodo possit.

§. 650.

Ut 2) eminenti virtuti studeant; et a) officia status sui perfecte expleant.

Neque vero satis est, clericos a vitiis esse vacuos; neque iisdem in humili virtutis christianae gradu consistere licet: sed ex ipsa status ratione obligantur, ut ad *eminentem moralis bonitatis virtutisque christianae gradum* conniti et status sui officia singulari quadam *perfectione constanter explere* satagant. Praecipua autem praeter ea, quae cum aliis fidelibus communia habent, *clericorum officia* sunt, ut 1) *studiose, reverenter* ac *devote divinum officium* celebrent, horas canonicas, si in sacris sint constituti, rite persolvant, sacra ministeria obeant; 2) *decorem domus Dei* et religionem sancto zelo promoveant; 3) *orationi*, scripturarum *lectioni* meditationique, verbi divini praedicationi, juventutis rudiumque instructioni se totos devoveant; 4) *religiositatis, charitatis,* misericordiae

---

131) Vid. ibid. §. 428.

operibus perpetuo se exerceant; 5) optimarum, atque inprimis sacrarum *scientiarum studio*, animum excolant, atque ita ad status sui officia perfecte explenda se praeparent; proin 6) litterarum, librorum, solitudinis sint amantes; et 7) ad moralitatem virtutemque christianam omnium singulorumque, atque ad salutem tum ecclesiae tum reipublicae etiam civilis promovendam, quidquid valent, perpetuo conferre studeant. Unde

§. 651.

b) *Optimo exemplo aliis praeluceant;*

Clerici 1) veluti *sal terrae* et *lux mundi*, ac tanquam *lucernae* in domo Dei seu ecclesia supra candelabrum positi, ceu reliquorum fidelium *magistri ducesque* a Christo constituti [132]), fidelibus ceteris ad christianam virtutem optimis vitae exemplis praeire, eosdemque a) *a vitiis* retrahere; b) *ad virtutem traducere;* imo c) ad *christianae perfectionis apicem* provocare obligantur. Quem in finem 2) non solum ab omni mali vel specie sollicite sibi caveant, sed praecipua morum integritate sanctitateque aliorum vitia et peccata arguant et emendare studeant. Igitur 3) in omnibus se praebeant *exemplum bonorum operum* in doctrina, in integritate; in gravitate Christum in se ipsis exprimant, ut dicere cum apostolo queant: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [133]). Demum 4) *omnibus omnia fieri, omnes Christo lucrifacere* conentur; omnes, quotquot poterunt, ad eum, ad quem par est, moralis perfectionis gradum provocare provehereque pro virili adnitantur [134]).

---

132) Matth. V. 13. sqq. Luc. VIII. 16.
133) Tit. II. 7. I. Cor. XI. 1. cf. I. Petr. V. 3.
134) I. Cor. IX. 22.

§. 652.

c) *Decentiam singularemque modestiam sectentur;*

Ut autem majorem tam verbo quam et exemplo suo movendi vim, statui auctoritatem et muneri efficaciam concilient clerici, inprimis obstringuntur ad exteriorem quamdam *decentiam et decori studium* *): quo maxime referenda

1) *Modestia linguae, oculorum, gestuum:* igitur clerici a) absint longe a vitio garrulitatis, scurrilitatis, liberioris colloquii; item b) ab effusis cachinnis; a levitate actionis gesticulationisque; c) „In omni habitu, gestu, incessu, sermone aliis„que rebus nil nisi grave, moderatum, religione „plenum prae se ferant, . . . ut eorum actiones „cunctis afferant venerationem 135).«

2) *Modestia et decentia vestitus, cultus et habitationis:* nempe a) *vestitus* color, forma, species clericali gravitati prorsus consentiat, legibusque dioecesanis congruat; aeque a levitate seculi, a luxu et vanitate, quam a sorde insolentiave aut affectatione absit **); b) *comas* clerici profane non alant, sed decentem et a canonibus praescriptam *tonsuram* deferant 136); c) *habitatio* sit statui accommoda, a luxu et pompae vanitate quidem aliena, decens tamen et munda, quae animi bene culti sit index et incolae prudentiam gustumque commendet, sanitati conducat.

3) *Decentia actuum et decori moderatum studium:* in clericis nimirum effulgeat a) *singularis comitas,* qua quibusque, etiam infimae conditionis, hominibus secundum decori regulas locorum, temporum, personarum adjunctis congruentem ho-

135) Concil. trid. sess. XXII. de reform. c. 1.
136) Cf. meas instit. jur. eccl. tom. II. §. 433.

norem liberaliter sincereque sine fuco, sine affectatione et inani blanditia aut indecente sui abjectione exhibeant; b) *praecipua affabilitas*, audiendi facilitas, alloquendi suavitas, respondendi comitas; a qua tamen inanis garrulitas, curiositas loquacitasque procul absit; c) *promtissima erga omnes officiositas*, a qua quidam indecens officia sua obtrudendi, aliorum negotiis se immiscendi pronitas, aut sese aliorum obsequiis serviliter addicendi, clericalem dignitatem dedecens, imprudentia longissime sit remota (cf. §§. 518. 521.).

*) Exterior *actionum decentia modestiaque* clerico inprimis necessaria. Haec etenim est, a) mentis animique index; b) plebis efficacissima instructio; c) auctoritatis subsidium; d) officii clericalis pondus; e) virtutis in clerico fortissimum praesidium. Vid. meas instit. Theol. pastoralis §. 22. et 117.

**) 1) Decens *clerici habitus*, *vestis et tonsura* a) clericum status sui et officii admonet; b) a vitiis retrahit; c) clerum distinguit, unit et ornat; d) clerico reverentiam conciliat etc. 2) Is, quem habitus clericalis pudet, a) se indignum status hujus membrum monstrat; et b) dum aliis placere affectat, praeclaram honorum aestimationem deperdit.

ARTICULUS III.
DE QUORUNDAM CLERICORUM OBLIGATIONIBUS SPECIATIM.

§. 653.
Dicendorum ordo.

Iis, quae ad clericorum officia generatim spectant, delibatis deinceps dicendum videtur de of-

ficiis clericorum quorundam speciatim; nempe de officiis I. *tonsuristarum*, ut ajunt, et *minioristarum*, II. *subdiaconorum*, III. *diaconorum*, IV. *presbyterorum*; appendicis loco V. *de horis canonicis*, quas clerici in sacris constituti recitare obligantur, acturi sumus.

§. 654.

1) *Tonsuristarum et minoristarum officia.*

Tonsura ecclesiastica est sacra ceremonia, qua homo baptizatus a legitimo ministro per abscisionem capillorum sub certa verborum formula ad statum clericalem transfertur, ordinumque sacrorum ac beneficiorum ecclesiasticorum fit capax. Porro

I. *Tonsuram* ecclesiasticam *recepturus* 1) a censuris ecclesiasticis et ab irregularitate sit immunis; itemque 2) sacramento confirmationis insignitus; 3) rudimenta fidei calleat, legereque et scribere sciat; 4) animum clericandi, ut ajunt, seu in clero permanendi habeat; 5) septennio saltem sit major, aut secundum varias dioecesium leges quatuordecim annos numeret; ceterum 6) tonsura ecclesiastica ornatus mores clerico dignos exhibeat et ad ordines se praeparet.

II. *Ostiariatum* et reliquos minores ordines recepturi 1) praeter ea, quae tonsuristis necessaria sunt, requisita saltem latinam linguam intelligant, item bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant [137]. Ceterum ostiaritus ordine insignitus secundum ecclesiae antiquioris disciplinam tenetur, 2) ecclesiae claves ostiaque custodire, profanos indig-

---

137) Conc. triden. sess. XXIII. c. 5. et 11. de reform.

nosque, id est, excommunicatos, interdictos arcere; 3) vasa sacra et supellectilem custodire; 4) campanas et cymbalum pulsando populum ad divinum officium convocare et ad attentionem sub sacrificio excitare; demum 5) ordinem decoremque *domus Dei*, et munditiam inprimis curare.

III. *Lectoratus ordine decoratus* ex veteri ecclesiae disciplina tenetur 1) prophetias et alios libros sacros in ecclesia fidelibus praelegere; 2) libros sacros et canonicos fideliter diligenterque custodire; 3) catechizare, seu rudimenta fidei aliis exponere.

IV. *Exorcistatus ordine initiatus* secundum eandem disciplinam debebat 1) energumenis sive baptizatis sive cathecumenis manus cum exorcismo imponere; 2) salem, aquam et cetera ad aquae lustralis benedictionem parare et in aquae benedictae aspersione sacerdotem comitari, eique exorcismos facienti assistere; 3) energumenos post lectum evangelium ab ecclesia dimittere.

V. *Acolythatus ordine insigniti* officia erant: 1) cereos ac luminaria accendere, illosque inter missarum solemnia et alias deferre; 2) in sacrificio aquam et vinum praeparare et subdiacono offerre; 3) thuribulum deferre et quandoque thura adolere; 4) subdiacono, diacono et sacerdoti in sacris functionibus ministrare.

*) 1) *Clerici minoristae*, ut privilegio fori et canonis perfrui valeant, clericalem habitum deferentes, cujusdam ecclesiae servitio sint addicti, aut cum episcopi facultate in schola aliqua versentur, seque ad ordines majores praeparent 138). »Nempe 2) in iis »cum aetate vitae meritum et doctrina major accres»cat, quod et bonorum morum exemplum et assi-

138) Concil. trid. sess. XXIII. c. 6. de reform.

»duum in ecclesia ministerium, atque major erga »presbyteros et superiores ordines reverentia, et »crebrior, quam antea, corporis Christi communio »maxime comprobabunt 139).«

§. 655.

2) *Officia subdiaconorum.*

Subdiaconatus ordo hodie inter sacros censetur. 1) Eum ordinem recepturus a) sit *minoribus* ordinibus insignitus; b) *ab irregularitate* immunis; c) *aetatis* vigesimum secundum annum saltem inchoarit; d) *titulum mensae*, seu sustentationes habeat 140); et e) *scientia* congruente polleat. 2) Subdiaconatui, et reliquis sacris ordinibus adnexa est gravis *obligatio* a) castitatis perpetuae servandae et vitae caelibis agendae 141); item b) recitandi indies *horas canonicas*, de quibus deinceps dicturi sumus. 3) Cetera *subdiaconorum* apud Latinos *munia* sunt: a) ad ministerium altaris calicem, patenam, panem vinumque praeparare; b) calicem et patenam in usum sacrificii diacono offerre, et vino paullulum aquae ante oblationem affundere; c) panem consecrandum pro populo in altari reponere; d) epistolam inter missarum solennia decantare; e) diacono in functionibus ministerii ministrare eumque juvare; f) crucem in supplicationibus deferre; g) purificatoria corporaliaque adluere, seu levi manu ante, quam laicis purganda traduntur, abstergere.

---

139) Ibid. sess. ead. c. 11.
140) Vid. meas instit. jur. eccl. tom. II. §. 423. not.
141) Ibid. §. 432.

§. 656.

3) *Officia Diaconorum.*

Diaconus ordinandus 1) annum aetatis vigesimum tertium saltem inchoatum habeat, et interstitia servarit [142]), necesse est. 2) *Diaconorum officia* censentur: a) *ministrare* ad altare, id est, sacerdoti sacrificanti proxime assistere, eique patenam cum hostia et calicem cum vino ministrare, vinumque cum eodem, ubi moris est, offerre, dum sacerdotis brachium sustentans dicit: *Offerimus tibi, domine etc.;* b) *evangelium* in missa solenniter, ex officio et cum veste propria *cantare;* c) *dispensare eucharistiam,* quod hodie fere in casu tantum necessitatis et ex commissione parochi licet; d) *baptizare,* etiam cum solennitatibus, quod idem duntaxat ex proprii sacerdotis commissione, non nisi ob gravem rationem danda, hodie licebit; e) *praedicare,* id est, rudimenta fidei aliis exponere, aut ex concessione parochi ex pulpito etiam sermonem sacrum habere. Ceterum 3) diaconus haec s. munia peragendo alba et stola transversa indutus sit oportet.

§. 657.

4) *Officia Presbyterorum.*

Presbyteratus *ordine initiatus* 1) praeter ea, quae ad alios sacros ordines requiruntur, insuper a) annos viginti quinque saltem inchoatos numeret; b) et ampliorem, quam debent clerici inferiores, habeat scientiam, nempe eam, quae ad gravissima ejus, ordinis munia rite explenda saltem sufficiat. 2) *Presbyterorum autem munia praecipua* rituale Romanum his verbis exprimit: Sa-

---

142) Vid. meas instit. jur. eccl. §. 419.

cerdotem oportet *offerre*, *benedicere*, *praeesse*, *praedicare et baptizare*; a) *offerre*, nempe missae sacrificium celebrare; b) *benedicere et baptizare*, id est, varias, quae in ecclesia obtinent, benedictiones aliasque sacras functiones peragere, inprimis *sacramenta administrare*, nimirum baptismum solennem conferre, a peccatis poenitentes absolvere, s. eucharistiam dispensare, extremam unctionem impertiri, et nuptiis benedicere, saltem si jurisdictionem seu facultatem aut ex officio sibi competentem, aut a parocho demandatam habeat; demum c) *praeesse et praedicare*, nimirum praedicare verbum Dei, populumque, fors sibi commissum, doctrina et exemplo *pascere* *).

*) De officiis et juribus episcoporum parochorumque et aliorum curam animarum gerentium quaedam alias 143) diximus; ex professo autem de iisdem *theolog. pastoralis* agit. Cf. meas institut. theolog. pastoralis.

§. 658.

Obligatio horas canonicas recitandi. Ejus

Inter obligationes clericorum in sacris constitutorum notissima est obligatio *horas canonicas* *) *indies recitandi* (§. 650.). Quare haud erit inopportunum hoc loco hujus obligationis I) *origines partesque*; II) *subjectum*; III) *objectum*; IV) *modum*; item V) *ordinis*, *temporis locique adjuncta*; et VI) *causas ab ea obligatione excusantes* breviter exponere **).

*) 1) *Horae canonicae* sunt publicae stataeque preces vocales horis nocturnis diurnisve ex s. canonum praescripto a personis ecclesiasticis persolvendae. 2) Vario appellantur nomine, e. g. *horae canonicae*, *of-*

143) Ibid. tom. I. §. 249—257. et §. 307—312.

ficium divinum ecclesiasticum, pensum canonicum, breviarium, divina psalmodia, psallentia, cursus, orarium etc.

**) Equidem quidam editis etiam publice scriptis optarunt urseruntque, ut 1) breviarium aut generatim emendetur, aut in breviorem vocalem mentalemque orationem, aut in piam s. scripturae lectionem ac meditationem, aut in alias ecclesiae ac saluti animarum utiles occupationes horas dicendi obligatio immutetur; item 2) ut praesertim viri animarum cura aliisque ecclesiasticis officiis occupati pro iis saltem diebus temporibusque, ubi his officiis gravati sunt, aut prorsus aut partim a penso canonico per legem publicam, uti alicubi jam factum, eximantur: attamen 3) quum nec per legem universalem, nec per legitimam consuetudinem hac in re quidpiam immutatum esse constet, imo quum plures clerici maxime ob officium canonicum pingui quandoque praebenda fruantur, aut aliud ecclesiasticum piumque negotium peragere vel nequeant vel nolint, recepta communisque horas canonicas recitandi obligatio, usquedum auctoritate ecclesiastica aliud statuatur, persistere utique credenda atque secundum probatorum auctorum doctrinam exponenda est.

§. 659.

1) *Origines et partes, numerusque.*

Ad precum ae *horarum canonicarum origines et partes* quod attinet 1) eae, *quoad substantiam spectatae*, et qua preces fidelibus fere communes constituebant, perantiquae sunt, imo ipsi ecclesiae exordienti quasi *aequales* *); 2) *quoad argumentum, modum ambitumque*, et *eas recitandi obligationem* varia fuit seculorum et ecclesiarum disciplina observantiaque **).

*) Certe 1) vestigia quaedam de communi preces, hymnos, psalmos dicendi decantandique more, jam in s. litteris reperimus: a) Christus *dicto hymno* in

montem oliveti cum suis exiisse 144) refertur; b) apostolus *in psalmis*, *hymnis* et *canticis* spiritualibus mutuo se docere commonereque, in cordibus canere et psallere fideles cupit et admonet 145). Item 2) acta apostolorum christianos quotidie in orationibus perseverantes fuisse 146) docent; atque apostolos ad horam orationis *tertiam*, *sextam*, *nonam* in templum ascendisse narrant 147). Porro 3) antiquitatis monumenta testantur, non festis solum diebus, sed, quantum per persecutiones licuit, fideles quotidie *ad matutinum* saltem et *vespertinum* precum officium, saepe etiam ad *nonam* (tertiam pomeridianam) convenisse. Id Plinius (L. 10. c. 97. ad Trajanum) de christianis refert, quod essent soliti ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo secum invicem canere. 4) In his autem conventibus psalmos hymnosque cum aliis precibus fuisse *vario modo* decantatos, ex iisdem monumentis certum est 148); atque a) primum quidem vulgo aut unus aliquive psalmos ceteris audientibus legebant psallebantve, aut uno canente ceteri pauca verba intercinebant clausulasve quasdam subjungebant; b) seculo autem ecclesiae quarto in Antiochensem et a S. Ambrosio in Mediolanensem primum, tum in alias ecclesias inductus mos est, ut fideles in duas partes divisi alternis psalmos in ecclesia decantarent. 5) Quod quotidianum psalmodiae pensum clericis laicisque fuerat commune, ita tamen, ut illi, utpote qui praeesse orationi publicae deberent, strictius ad id officium obligati crederentur. 6) Subinde populus saltem festis dominicisque diebus publicae psalmodiae interesse jubebatur; imo, ut fideles ab ea fors impediti privatim et in domo sua id officii persolverent, a patribus conciliisque haud raro graviter admonebantur.

144) Matth. XXIV. 22.
145) Ephes. V. 19. Coloss. III. 16.
146) Act. I. 14. et II. 42. 46. sq.
147) Act. II. 15. III. 1. X. 9.
148) *Thomasin* de V. et N. eccl. discip. p. I. l. 2. c. 71. 73. sq. *Bingham* de orig. eccl. l. XIII. c. 9. sq. et lib. XIV. c. 1. sq.

Ita constitutiones apostolicae (L. VIII. c. 32.) monent: »Quodsi neque in domo, neque in ecclesia »congregari (fideles) poterunt: psallat sibi unusquisque, legat, oret; vel duo simul aut tres; ubi »enim fuerint, inquit Dominus, duo vel tres con»gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.« At 7) *seculo sexto*, imo et *quinto* exeunte jam rari e plebe, praeterquam dominicis festisque diebus, diurnis saltem horis aderant: festis autem diebus tum vigilias nocturnas, tum matutinas, tum alias precum horas frequentare populus solenne habuit. Deinceps varia ecclesiae disciplina obtinuerat, quam latius prosequi hujus loci non videtur 149). Ceterum *privatam* etiam horarum canonicarum *recitationem* a duobus simul fieri debuisse, colligitur ex Reginonis libro primo de disciplina ecclesiastica; nam illo testante episcopus in visitatione quaerere jubetur: »an clericum habeat presbyter, qui cum »eo psalmos cantet.«

**) *Horarum canonicarum numerus et ambitus* temporibus locisque variis varius erat. 1) Auctor constitutionum apostolicarum, seculo quarto saltem non posterior, de sex horis precum jam meminit: »Precationes facite, inquit, *mane*, *tertia*, *sexta*, »*nona*, *vespere* atque ad *galli cantum* 150).« Porro 2) tum ab auctore eodem, tum ab aliis *variae* assignantur *causae*, ob quas eae horae potissimum fuerant praestitutae; nimirum orandum *mane*, ut patri luminum de ortu diei agantur gratiae; *tertia*, quia ea hora Christus morti est addictus et Spiritus sanctus in apostolos illapsus; *sexta*, quod ea hora Christus cruci adfixus; *nona*, qua Idem in cruce exspiravit; *vespere*, quod eo tempore Christus tumulo sit illatus, et ut Deo, qui noctem, laborum requiem, dedit, gratiae agantur; ad *galli cantum*, quia *Christo resurgente* rediviva immortalis lux filios lucis ad laborem et aeternae salutis opus evocat. Solenni huic horarum, quae ob dicendarum precum fixum numerum, modum normamque seu

149) Cf. *Thomasin* et *Bingham* l. c.
150) Constit. apost. l. 8. c. 34.

canonem, *canonicae* dicebantur, numero senario serius adjectum est *completorium*, verosimilius a s. Benedicto primum inductum. Qui horarum diurnarum numerus *septenarius* praeter nocturnas vigilias forte ideo etiam fixus est, ut clerici monachique psalmistae morem imitarentur, qui de se ipso testatur 151): *Media nocte surgebam ad confitendum tibi; et septies in die laudem dixi tibi.* 3) Ceterum laudato constitutionum apostolicarum loco fideles, qui impediebantur, quo minus ad ecclesiam possent convenire, admonentur, ut eo pietatis officio privatis in domibus vel soli, vel cum sociis quibusdam perfungantur. Quae tamen psalmodiae consuetudo, etsi a piis frequentata, ad publicas ecclesiae leges, quae *laicos* ligarent, haud pertinuisse videtur. At vero 4) *clerici* passim omnes monachique tum per consuetudinem, tum per leges ecclesiasticas monasticasve ad recitandas aliquas horas canonicas obligabantur. Ita concilium Carthaginense sec. IV. clericum vigilias negligentem generatim stipendiis: synodus Veneta sec. V. a matutinis absentem septem diebus a stipendiorum communione excludit 152). Ecclesiasticas leges Justiniana 153) confirmat. 5) Posteriori aevo plura beneficia ad Dei laudes publice concinendas, aut ad officium canonicum privatim saltem dicendum fundata. Ceterum 6) *breviarium* in eam, quam nunc habet, formam sensim redactum; nam a) rogatus a Damaso s. Hieronymus psalterium emendavit, et psalmodiae modum ex graeca in latinam ecclesiam invexit; quod Damasus probans in fine psalmi cujusvis: *Gloria Patri etc.* adjici mandavit; b) Gelasius Papa A. 491. in synodo romana lectiones ex utroque testamento in horis canonicis legendas confirmavit 154), Pelagius A. 555. varie emendavit,

151) Psal. CXVIII. 62. et 164. cf. de celebrat. missarum c. 1. presbyter.
152) Nempe ann. 398. can. 49. et ann. 465. can. 14.
153) Cod. I. 42. §. 10. de episcop. et clericis.
154) Vid. apud Gratianum distinct. XV. c. 3. *Sancta.*

demumque Gregorius M. 155) magis perfecit; c) Gregorius VII. iis, quae recitanda essent, determinatis clericorum numerum psalmorum diminuentium desidiam damnavit 156); tandem d) Pius V. breviarium secundum decretum concilii trid. (sess. XXV. ad finem) A. 1568. reformavit: quod denique Clemens VIII. A. 1602. et Urbanus VIII. A. 1631., qui hymnorum metra castigaverat, perfecere. At vero non desunt viri bene catholici probique, qui non quidem, (quod desides praecipue et ab aliis religiosis negotiis vacui saepius maxime cupiunt) hanc obligationem prorsus sublatam, attamen breviarium ipsum ad solidam pietatem fovendam magis accommodatum, et quoad argumentum et quoad formam ejus indolemque emendatum ac reformatum optarent. Qua in re ceteris exemplo praeeuntes dioeceses quaedam, inprimis etiam Benedictinae congregationes tum s. Vitonis et s. Hydulphi, tum s. Mauri in Gallia insigne quidpiam praestiterunt. De quo breviario scribit vir cordatus: »Das *neueste*, und *beste* für Verstand und Herz »zweckmässig abgefasste *Brevier* ist ganz gewiss je»nes *ad usum congregationis s. Mauri ord. s. Be»nedicti* in Frankreich, welches zu Paris im Jahr »1787. in 8vo aufgelegt wurde in typographia *Ch. »D. Pierres, christianissimi regis typographi auli»ci, nec non congregationis s. Mauri typographi or»dinarii, cum privilegio regis et superiorum.* Die »Einrichtung dieses eben so geistreichen, als ge»lehrten Breviers ist also getroffen, dass alle Glau»bens- und Sittenlehren aus der Schrift und Tradi»tion auf das deutlichste dargestellt sind; so zwar, »dass dieser Unterricht allein schon hinreichend »wäre, einem Priester die seinem Stande nothwen»digen Kenntnisse für alle seine Amtsverrichtun»gen beyzubringen; und sollte dieses Brevier »in die deutsche Mutterspraehe übersetzt werden, »so würde solches für ganz Deutschland (auch für

---

155) Teste Pio V. constit. *Quod a nobis etc.*

156) Apud. Grat. distinct. V. de consecr. c. 15. *In die etc.*

»Frauenstifte) das vollkommenste und rührendste »Lehr- und Gebethbuch seyn. Wenn ein solches »Brevier in die Diözesen und Klöster eingeführt »würde, so würde man bald eifrigere und gesitte»tere, heiligere und gelehrtere Kleriker und Re»ligiosen in der Kirche Gottes finden. Der we»sentliche Zweck dieses Breviers ist, dass die hei»lige Schrift des alten und neuen Bundes das Jahr »hindurch fast ganz gelesen, das psalterium Davi»dicum aber sammt seinen canticis alle Wochen »ganz absolvirt und abgebetet werde; dazu kom»men noch die vorzüglichsten Schriftauslegungen »der heiligen Väter: das Ganze aber ist so einge»richtet, dass es wahre Andacht und Lust zum Ge»bet erwecket, die Seele ganz durchdringet, und »solche für alle, was Religion und Gottesdienst »heisst, mit Ehrfurcht und Hochschätzung erfül»let u. s. w.« *K. Schwarzel* Anleit. zu einer vollständigen Pastoraltheologie. III. Absch. §. 3. pag. 199. sq.

***) Alii clericis, praesertim ad chorum haud obstrictis, *scripturae studium ac meditationem* indies per aliquod tempus instituendum, quae ad scientiam et pietatem promovendam magis apta videatur, horarum loco injungendam esse [157]) arbitrantur (cf. §. praec. n. 2.). At quum privatorum non sit, hac in re quidpiam decernere: id certe unusquisque curare debet, ut sibi a mechanico horas recitandi modo pro viribus caveat et ex earum recitatione maximum, quam potest, pietatis verae fructum capiat.

§. 660.

2) *Subjectum, seu quinam ad eas obligentur.*

Horas canonicas 1) *recitandi obligatio* secundum hodiernam disciplinam triplici nititur titulo: a) *ordinis sacri;* b) *beneficii,* aut c) *professionis reli-*

---

157) Cf. Prüfung des kathol. prakt. Religionsunterrichts. §. 148.

giosae in regulari instituto ad horas obligato. Unde 2) officium, ut vocant *) canonicum, secundum Romanae aut propriae ecclesiae breviarium recitare obligantur a) *clerici sacris* (nempe subdiaconatus saltem) *ordinibus* initiati ab hora, qua ordinantur, licet forte suspensi fuerint aut depositi; b) *beneficiati*, etsi nondum in sacris constituti, a tempore captae possessionis quietae beneficii, etiamsi hoc tenue fuerit; c) *religiosi* et *moniales* professi ad chorum destinati ab hora professionis religiosae. 3) Haec autem *obligatio oritur* a) ex antiqua et universali ecclesiae consuetudine vim legis habente, ex praxi et consensu totius ecclesiae; accedunt b) *variae ecclesiae leges* 158), inprimis concilii *Agathensis* A. 598. celebrati, decernentis: »Presbyter mane matutinali officio expleto pen»sum servitutis suae, videlicet primam, tertiam, »sextam, nonam vesperamque exsolvat.« — Deinde synodi *Basileensis* statuentis: »Quoscunque »beneficiatos seu in sacris constitutos, cum *ad ho»ras canonicas teneantur*, admonet haec synodus, »ut sive soli, sive sociati diurnum nocturnum»que officium reverenter verbisque distinctis per»agant.« c) De *beneficiatis*, quos etiam titulus justitiae obstringit, id expresse docet concilium lateranense V. sess. IX., quod officium negligentes fructuum perceptione multat, et post admonitionem contumaces beneficio privari jubet 159).

*) Porrò 1) hanc obligationem esse gravem, theologi consentiunt; 2) qui iidem notabilis partis,

158) E. g. can. 45. concil. Carthag. IV. concil. Agathens. item de celebrat. miss. c. 1. *presbyter*. concil. Basileens. sess. XXI. c. 5.

159) Consentiunt concil. Constant. sess. 31. et Trident. sess. XXI. c. 3.

quam vulgo putant esse horam minorem ex breviario Romano, omissionem culpabilem culpis item gravibus vulgo accensent. Sed enim quum heic nil certi constitutum habeamus, arduum videtur imo temerarium, heic definite quidpiam velle statuere. Id certum, 3) beneficiatum, qui post sex a capta beneficii possessione quieta menses negligit horas, fructus non facere suos; eumque, qui *omnes* diei horas omittit, fructus illius diei *omnes*, qui *matutinum* tantum intermiserit, *dimidium*, qui *unam horam* neglexerit, *sextam* fructuum ei diei respondentium partem restituere, seu in ecclesiae fabricam pauperesve impendere ante omnem sententiam debere; a qua restituendi obligatione per datas ante eleemosynas nemo absolvitur 160). Sed de hoc alibi 161) a me actum. Ceterum 4) obligatio horas recitandi beneficio, licet tenui, fruentes obstringit. Qui autem citra culpam suam omni deinceps fructuum percipiendi spe excidunt, ab hac obligatione, nisi alio etiam ex titulo teneantur, exemti censentur.

§. 661.

5) *Objectum, seu id, ad quod tenentur ad horas dicendas obstricti.*

Objectum obligationis hujus est *integrum*, diei cuivis affixum, *officium canonicum* secundum Romanae vel propriae ecclesiae breviarium recitandum *). Porro 1) pensum canonicum septem continet partes, seu horas (§. 653. n. 1.), nimirum a) *matutinum* simul cum *laudibus*; b) *primam*, c) *tertiam*, d) *sextam*, e) *nonam*, f) *vesperas* et g) *completorium* **). Praeterea 2) veluti partes officio canonico adnexae per communem consuetu-

160) Concil. lateran. V. sess. 9. et bulla Pii V. *Ex proximo* etc. A. 1571. ex damnat. propos. ab Alexand. VII n. 20. et 33. cf. c. 15. de rescriptis in 6.
161) Instit. jur. eccl. p. II. §. 560. n. 2.

dinem habentur a) *litaniae majores* in tribus ante ascensionem diebus dicendae etiam privatim ab iis, qui in publicis supplicationibus eas non recitant; b) *officium defunctorum* in die commemorationis omnium fidelium defunctorum eodem modo recitandum; c) *officium B. V. M.;* item d) *psalmi poenitentiales gradualesque,* diebus ferialibus quibusdam dicendi in choro; ad quae duo officia extra chorum breviario Romano utentes haud obligantur; imo nec recitari decent in iis ecclesiis, in quibus ante bullam Pii V. usu recepta haud erant; et ubi breviario Romano utebantur.

*) Igitur 1) peccat, qui officium unius diei cum officio diei alterius commutat. At 2) si cui inadvertenter id contingat, errorem advertens ad totum officium repetendum obligatus haud videtur; quum canonicum officium, atque ita fere aequivalens, persolverit. 3) Qui officium recitaverat, e. g. diei crastino affixum, postridie, ut ecclesiae se conformet, idem repetere tenetur. Ceterum 4) clericus aut regularis peregre abiens secundum suae dioeceseos vel ordinis directorium officia dicat. 5) Qui fors breviarium proprium non habet, ex altero recitare, atque ita praecepto quoad substantiam saltem satisfacere obligatur. 6) Qui omnes horas dicere nequit, tot, quot potest, recitare debet; nam etiam in parte ratio legis expleri quodammodo poterit. (§. 94. n.)

**) 1) *Matutinum* sine laudibus olim officium nocturnum, *laudes* vero officium matutinum constituebant, et *primae* locum supplebant. Porro 2) *primae, tertiae, sextae, nonae* nomina nostrae *sextae, nonae matutinae,* item *horae duodecimae* et *tertiae pomeridianae* ferme respondere, cuivis satis notum est. 3) *Officium B. V. M.* seu cursum Marianum, ut vocant, aliqui ex speciali praecepto, item quidam pensionem et fructus ecclesiae percipientes recitare obligantur.

§. 662.

4) *Modus hanc obligationem explendi.*

Modus horas canonicas recitandi 1) partim a) ex indole et natura orationis vocalis (§. 285. sq.); partim b) ex decretis ecclesiae eum modum curatius determinantis desumendus. Porro 2) concilium lateranense IV. [162]) in virtute obedientiae praecipit nocturnum diurnumque officium *studiose* pariter celebrare et *devote*, Tridentinum [163]) *reverenter*, *distincte*, *devote* id fieri jubet. Igitur 3) *horarum recitatio* fieri debet a) *distincte*, id est verba articulate pronuntiando, absque verborum mutilatione, truncatione, devoratione, seu ut concilium Basileense ait, verba haud syncopando; b) *studiose* et *integre*, ut totum ea die praescriptum recitetur officium: nil tamen interest, an quis solus, an *alternis versibus* recitet cum socio, sive is ad horas sit sive non sit obligatus; eoquod partim attente audiendo partim recitando totum expleat: et licet lectiones omnes dici ab uno, audiri ab alio possint, versus tamen psalmorum et strophae hymnorum alternis dici debent; c) *reverenter*, eo *corporis etiam situ*, qui orantem deceat, nec mentis attentionem et animi devotionem impediat *): nam inprimis orandum d) *devote*, id est, *cum intentione* saltem *virtuali*, ut ajunt, colendi Deum, orandi, et cum *interpretativa*, praecepto ecclesiae satisfaciendi; e) *cum attentione*, seu voluntaria mentis applicatione, saltem *virtuali*, id est, actuali non revocata, sed quodammodo perseverante, quae voluntariam distractionem excludat, nec per culpabilem mentis

162) Vid. de celebrat. missar. c. 9. *Dolentes.*
163) Sess. XXIV. c. 12.

evagationem retractetur **). Nam haec per ipsam *orationis*, qualis utique est horarum recitatio, *naturam* et per legem ecclesiae requiruntur. Sane eos, qui voluntarie distracti et citra animi devotionem horas dicunt, illud Christi effatum 164) damnat: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

*) Requiritur etiam externa *reverentia*, quae 1) excludat omnes actiones a) orationis dignitati haud congruentes; b) internam devotionem impedientes aut prorsus excludentes. Porro 2) in choro recitantes praescriptum per rubricas situm corporis servare debent; alii ut idem faciant, maxime congruit. Interim 3) quemvis situm decentem servare sufficit.

**) Porro 1) *de intentione* non est, cur solliciti simus, si modo mentis *attentio piaque animi affectio* haud deficiat. Distinguitur autem 2) *attentio* ex ratione objecti a) *ad verba ipsa*, ut ea rite pronuntientur; b) *ad verborum sensum;* c) *ad Deum;* d) ad ea, quae petimus, ad Dei perfectiones, ad nostras indigentias a Deo sublevandas. Jam vero 3) non requiritur *attentio actualis* perpetuo continuata, sed sufficit virtualis, nempe ut actualis voluntarie non abrumpatur, et, si quis se distractum advertat, illa suscitetur renoveturque. Item 4) non requiritur universim a) *attentio ad sensum verborum*, ut quem aliqui ad horas obligati haud intelligunt: sed sufficit b) *attentio spiritualis*, ut ajunt, nempe ad verba, ut rite recitentur, simulque ut mens ad Deum, vel ad res pias sit defixa, sanctisque cogitatis et affectibus occupata. Nam vocalis orationis substantia in eo continetur, ut verba rite pronuntientur et mens ad Deum, quantum fieri possit, elevata directaque habeatur (§. 285. sq.).

---

164) Matth. XV. 7. sqq.

§. 663.

5) *Ordinis, temporis, locique adjuncta.*

Quod ad *ordinis, temporis locique,* queis recitandae horae sunt, adjuncta attinet, notandum: 1) *ordo* is servandus, ut, nisi excuset rationabilis causa, a) *eo,* quo sese excipiunt, *ordine,* nempe a matutinis exordiendo singulae ad completorium usque horae recitentur; b) ut quaevis hora *continuo sine notabili interruptione* persolvatur *). 2) *Tempus* horas recitandi a) *in choro* curate debet servari per ecclesiae leges vel consuetudinem praefixum; b) *extra chorum* optandum quidem esset, ut suis intervallis et horis certis, e. g. matutinum summo mane, prima ad solis ortum, tertia circa nonam, sexta circa meridiem, nona circa tertiam, vesperae ante solis occasum et tempore quadragesimae ante coenam, completorium ad diei finem dicantur: attamen c) ex usu et opinione communi ab omni culpa vacuus creditur, qui matutinum et ceteras ad sextam usque horas ante meridiem; sextam nonamque ante vel post meridiem recitarit; d) ex rationabili tamen causa haec tempora mutare fas est; id e) vero citra justam causam negligere veniali culpa non vacat; imo f) si modo a duodecima ad duodecimam noctis sequentis omnes horae dicantur, culpa saltem gravis haud creditur committi; item g) matutinum vel una cum vel sine laudibus sequentis diei *pridie* dicere, seu, ut ajunt, *anticipare* tum, quando sol occasui quam meridiei jam proximior est, prorsus licet **). 3) *Locus* a) pro publica horarum recitatione ecclesia; b) pro privata haud certus assignatus est (§. 285.); attamen c) is orantem deceat; aut certe d) mentis attentionem animique devotionem per se non impediat; sin:

ei, qui talem *volens* elegerit, distractiones tanquam in causa voluntariae ad culpam certo imputantur.

*) 1) Horae recitationem *interrumpere* a) ex justa causa licet, ne idcirco dicta repetere opus erit; b) circa id genus causam id facere venialis culpa censetur; c) quodsi longior fuerit interruptio, pauca, diu antehac recitata, repetere decet; d) major tamen intra unum et alterum matutini nocturnum interruptio ex justa causa fieri potest: nam olim eorum recitatio in choro etiam interrupta in quibusdam ecclesiis fuerat; ceterum e) quaecunque interruptio culpam levem non excedere a plerisque creditur. 2) Idem fere de *ordinis inversione* judicium esto; a) ea enim ob *justam causam* licita creditur; b) *citra justam autem causam* facta ad culpas veniales vulgo refertur. Ceterum 3) *matutinum cum laudibus* equidem in choro semper ante missam principalem dici debet; atque etiam, si id fieri citra notabile incommodum possit, a quovis recitari ante missae celebrationem oportet: eum tamen ordinem ex justa causa nón servans nullam, sine justa causa id faciens summum venialem culpam committere censetur. Neque sane probanda videtur eorum, qui hac in re culpam gravem asserunt, justo severior opinio; etenim a) non apparet gravis obligationis fundamentum; b) sane major inter horas et horas, quam inter matutinum et missam, nexus haud intercedit: atqui inversio ordinis in horis recitandis culpam levem haud excedit; deinde c) id absurdi consequetur, eum, qui per negligentiam missam omiserit et post prandium matutini recitationem sine justa causa differt, venialis; eum vero, qui celebrata devote missa idem facit, gravis culpae reum fore. 4) Profecto generatim in hac inprimis explicanda obligatione magis ad spiritum, quam ad litteram legum attendendum; et urgendum magis, ut horae *devote* et cum morali fructu, quam ut curate servatis externis adjunctis, pietate contra interna parum cordi habita, reciten-

tur. Igitur impendenda praecipua devotionis *cura* et ejus *subsidia* necessaria adhibenda 165).

§. 664.

6) *Causae ab eo excusantes.*

Causae ab officii canonici recitatione *excusantes* sunt: 1) *impotentia physica vel moralis*, e. g. defectus breviarii, coecitas, gravis morbus, quo casu a) recitanda sunt, quae memoriter scias, seu partem illam, quae citra notabile incommodum dici possit; b) *in dubio* prudentis medici standum judicio, aut superioris petenda dispensatio; c) qui solus nequit, horas recitare tenetur cum socio, si hunc habere haud difficulter possit; 2) *gravis, honesta, necessaria occupatio*, quae absque gravi proprio vel aliorum incommodo damnove spirituali corporalique omitti nequeat; 3) *dispensatio legitima* superioris ecclesiastica, aut papae. Episcopus et superior regularis eam vulgo ad tempus concedere solent: quod tamen fieri abs justa causa non posse, per se liquet.

*) Porro 1) de obligatione canonicorum aliorumque officium recitandi in choro, et de legitimis ab ea excusantibus causis alibi 166) diximus. 2) Ceterum a) de motivis *horas devote* dicendi, b) *de utilitate* earum, c) de *modo* et *subsidiis* eas devote recitandi — vid. *Pittroff* et *Neumayer* l. citatis cf. l. *And. Forster* Pflichten des Seelsorgers p. I. §. 120—139.

---

165) Cf. *Pittroff* Anleit. zur prakt. Gottesg. p. III. §. 334. *Neumayer* vir apostolicus pars I. cap. II. Art. II. pag. 58—70.

166) Cf. meas instit. jur. eccl. §. 229. n. 1. et §. 560. not. 2. §. 569. sqq.

ARTICULUS IV.
DE OFFICIIS BENEFICIATORUM.

§. 665.

Beneficiatorum officia: inprimis

Beneficiatorum obligationes fere omnes jam in jure ecclesiastico [167]) exposuimus. Unde hoc loco breviter attigisse sufficiat eorundem officia I. quae in *adeundo*, aut *dimittendo* beneficio; quae II. ejus possessionem adepti 1) quoad *munia sacra*, et 2) quoad *jura* et *temporalia bona* observare obligantur.

*) Notiones, divisiones, plura alia ex jure ecclesiastico nota ponimus et heic consulto praetermittimus.

§. 666.

1) *In beneficio adeundo dimittendoque.*

Quivis tum per *beneficii naturam*, tum per *fundatorum voluntatem*, tum per *ecclesiae canones* praescriptas in *adeundis dimittendisque* beneficiis servare tenetur *regulas*: nimirum 1) *beneficium ecclesiasticum aditurus* quicunque a) omnibus iis, quas beneficii munia sibi exposcunt, dotibus sit praeditus; sin: si vel oblatum acceperit, peccat; b) *beneficium* ex sancto solum fine, et non avidius, nec per quascunque indecentes vias, nedum per malas artes, aut simoniae vitium quaerat; c) *beneficia plura*, quae raro tuta conscientia possidentur [168]), non modo non ambiat, sed nec acceptet

167) Cf. meas instit. jur. eccl. §. 557—580.
168) Vid. meas instit. jur. eccl. §. 451. n. 2.

etiam; ni causa certo sufficiens suadeat; d) *beneficium* legitime possessum, nisi modo per canones praescripto, *deserere*, cum alio *permutare*, alteri *resignare* non audeat. Igitur 2) *in dimittendo beneficio*, sive id per resignationem permutationemve, vel alio modo contingat, a) nil sine justa et sufficiente causa, nec unius lucri commoditatisve gratia suscipiat; b) permutationem cessionemve beneficii salvo semper aliorum, quorum interest, jure; atque non nisi interveniente superioris legitimi auctoritate; sine omni turpis nundinationis, aut simoniae, specie faciat [169].

§. 667.

2) *Quoad munia sacra.*

Beneficiatus legitime capta beneficii possessione, 1) si beneficium fuerit curatum, aut canonicatus cathedralis, aut cui ex consuetudine est ea obligatio adjuncta, *publicam* coram episcopo, ejus delegato, vel capituli decano *fidei professionem* intra bimestre faciat; sin: fructus beneficii suos non facit, eosque restituere tenetur [170]; deinceps 2) in loco beneficii perpetuam indoli beneficii et ecclesiae legibus congruentem laboriosamque *residentiam* servet [171]; unde 3) officiis omnibus et obligationibus beneficio adnexis *per se ipsum* satisfaciat; 4) non solum *officium canonicum*, seu horas (§. 658.) indies rite persolvat, et iis forte neglectis fructus respondentes restituat (§. 660. n.): sed et 5) *missarum* et aliarum

---

169) Vid. Ibid. §. 522. et 581—585.
170) Vid. meas instit. jur. eccl. §. 557.
171) Ibid. §. 566—571.

sacrarum functionum obligationes ex lege fundationis beneficio adnexas sancte exsolvat [172]; 6) quas beneficio adnexas obligationes per se ipsum legitime impeditus persolvere nequit, ab aliis ut rite suppleantur, curare ex justitiae lege obligatur.

*) De *episcoporum*, *parochorum* et *beneficiatorum* curam animarum exercentium officiis singularibus tum alibi [173]) tum in theologiae pastoralis institutionibus diximus.

§. 668.

3) *Quoad bona ecclesiastica.*

Beneficiatus, imo et clerici alii, quibus bonorum ecclesiasticorum administratio commissa est, aut qui ex sacris functionibus fructus bonaque ecclesiastica percipiunt, obligantur, 1) jura bonaque ecclesiastica sarta tecta servare, ea tueri provideque *administrare*, et non nisi ad fines, ad quos destinata sunt, *ex-et impendere* [174]); 2) nil eorum sine debitis solennitatibus, et citra legitimorum superiorum facultatem unquam *alienare* [175]); 3) bona ecclesiastica, beneficialia clericaliaque, nempe ob sacras functiones percepta, quae ad congruentem clerici sustentationem non fuerint impensa, per dispositiones sive *inter vivos* sive *mortis causa in causas pias ex obligatione justitiae* impendere [176]).

172) Ibid. §. 560.
173) Ibid. §. 257, 307.
174) Ibid. §. 367. 717.
175) Ibid. §. 720—728.
176) Ibid. §. 575—759.

ARTICULUS V.
DE OFFICIIS REGULARIUM.

§. 669.
Religiosi obligantur, ut

Regulares sive *religiosi*, ut ajunt, heic intelliguntur homines christiani, qui in quodam religioso instituto ab ecclesia probato nuncupatis obedientiae, castitatis et paupertatis votis *) secundum regulam certam ad perfectionem evangelicam contendere obligantur. Unde praeter officia, quae cum christianis aliis communia habent, insuper obstringuntur, 1) ut *stabiles* in ordine, cui nomen dedere, *permaneant;* 2) superioribus suis *obedientiam* praestent; 3) castitatem paupertatemque religiosam servent; 4) vocatione sua digne vivant, ac per *morales* sanctasque tum a regula praescriptas tum alias communi bono profuturas actiones ad *vitae christianae perfectionem* contendant. De quibus nunc breviter agendum.

*) De his inferius, ubi de consiliis evangelicis acturi sumus, erit dicendi occasio.

§. 670.
1) *In ordine suo stabiles permaneant.*

Regularis quisque per professionem regularem religioso instituto per pactum tacitum ita perpetuo se alligavit, ut jam porro *citra causam canonicam* a) nec ipsus ordinem deserere, nec ordo ipsum ejicere vulgo valeat; b) ut ipse omnibus membri religiosi juribus secundum ordinis

statuta gaudeat; contra c) officiis oneribusque eidem instituto religioso adnexis obstringatur. Quare religiosus post factam legitime votorum nuncupationem 1) *institutum regulare*, quod professus est, *deserere* juste nequit, nisi forte a) petita obtentaque superioris, a quo concedi debet, facultate *ordinem strictiorem* amplectatur; aut b) ad episcopatum fuerit electus; aut c) a Papa gravibus ex causis dispensationem obtinuerit; sin: qui citra superioris auctoritatem ordinem cum animo non redeundi deseruerit, velut *apostata* a religioso ordine habetur, et, inprimis si habitum regularem deposuerit, variis poenis canonicis [177]) subjicitur *); 2) *extra monasterium* item sine superioris licentia *vagari* prohibetur; atque ita per notabile tempus absens, ni legitima ratio et juste praesumta superioris facultas fors excuset, licet redeundi animum habeat, *fugitivus* censetur; atque si habitum temere dimiserit, excommunicationi subjacet [178]).

*) Qui professionem religiosam veluti ex capite vis aut metus etc. invalidam impugnare velit: nec habitum dimittat, nec citra superioris facultatem abeat, et causam intra quinquennium a facta professione coram superiore deducat, si audiri velit. Trident. Sess. XXV. c. 19. de regularibus.

**) Juvat hoc loco pauca de *clausura monastica*, ut ajunt, adnectere. 1) *In clausuram*, seu interiora monasterii virorum a) faeminas admittere, aut b) introducere tum superiores tum alii religiosi sub poena suspensionis a divinis, privationis officiorum et inhabilitatis ad ea prohibentur; c) faeminae vero ingredi sub poena excommunicationis latae sententiae Papae reservatae saltem in locis, ubi Gregorii

---

177) Vid. meas instit. jur. eccl. §. 805.
178) C. 2. ne clerici vel monachi. in 6.

XIII. et Pii V. bullae 179) receptae sunt, vetantur. At per patriae mores ingredi faeminis licet, a) quae sunt fundatrices aut de domini territorialis familia; b) quando fidelium cadavera intra clausuram sepeliuntur; c) in magno populi concursu, in quo per ecclesiae januas ingredi egredique populus haud valet. 2) *Ad clausuram monialium* quod attinet, a) ea citra gravem causam et episcopi expressam facultatem egredi monialis professa sub poena excommunicationis latae sententiae 180) prohibetur; b) »Nemini, cujuscunque conditionis, se»xus vel aetatis fuerit, intra septa monasterii mo»nialium ingredi sine episcopi vel superioris licen»tia liceat sub excommunicationis poena ipso facto »incurrenda 181).« Excipiuntur tamen quidam, e. g. medici, confessarii, opifices aliique, quorum praesentia intra septa est necessaria. Ceterum 3), licet de clausura monastica in regionibus nostris mitius vulgo doctores aliique sentiant: interest tamen plurimum, ne illa negligatur: eoquod regularis disciplinae vigor, et certe bona monasteriorum fama ex prudenti accurataque clausurae custodia magnopere pendeat. Unde stricta, si non morum periculis, certe suspicionibus malis praecavendi obligatio superiorum vigilantiam curamque acuat oportet.

§. 671.

2) *Superioribus obedientiam praestent.*

Per professionem religiosam regularis 1) obligatur, superioribus suis *obedientiam* exhibere in omnibus, quae *secundum regulam* instituti jubentur, seu in iis, quaecunque expresse vel tacite in regula et receptis constitutionibus continentur, quaeque ad regularem observantiam, ad ordinis ne-

---

179) Bulla Gregorii XIII. *Ubi gratiae* et Pii V. *Regularium.*

180) Trident. sess. XXV. cap. 5. de regular. constit. Pii V. *Circa pastoralis.*

181) Trid. sess. XXV. c. 5. de regular.

gotia muniaque et ad finem status regularis pertinent. 2) *Obedientia* autem non tantum *necessitatis*, sed et *perfectionis*, ut ajunt, exhibeatur oportet: nempe sit illa a) *minime curiosa*, quae rationes, intentiones, defectus jubentis, limites potestatis temere haud scrutetur examinetve; b) *promta* inprimis in iis, quae minus arrident; c) *fortis*, quae ardua aggrediatur et superatis difficultatibus prosequatur; d) *humilis*, quae sibi gratias favoresque deberi haud putet, sed omnibus rite praestitis illud evangelii serio dicat: *Servi inutiles sumus, quae facere debuimus, fecimus* [182]: e) *universalis*, quae terminis regulae non coarctetur, sed in omnibus praeceptis de se bonis, etiam in instituti regula haud contentis, obtemperet.

§. 672.

B) *Castitatem paupertatemque religiosam servent*,

Item vi religiosae professionis regularium quilibet tenetur,

1) *Perpetuam castitatem* et caelibatum servare, adeoque ab omni delectatione in- et externa venerea, atque etiam ab ipso se abstinere matrimonio, quod contractum post professionem prorsus irritum est. Unde a) omnia veneris illicia sollicitius devitare; et b) servandae castitatis subsidia diligenter obligatur adhibere (§§. 158. 358. n.); sin: duplicem luxuriae et voti violati culpam est contracturus.

2) *Per solenne autem paupertatis* votum, quod eo tendit, ut animus a rerum temporalium cura cupiditateque liber Deo eo arctius adhaereat, et ad thesauros coelestes adspiret, regularis qui-

---

182) Luc. XVII. 10.

vis se omni privati dominii et proprietatis jure usque independenti abdicat. Quare a) jam porro de rebus temporalibus quibuscunque citra *superioris libere datam sive expressam sive tacitam*, aut, ubi haec forte haberi nequit, juste saltem *praesumtam* licentiam licite nequit disponere; et b) si id in re majoris momenti ausus fuerit, gravis se culpae reum, imó ecclesiae poenis obnoxium [183]) est redditurus.

*) Ceterum concilium Trident. 184) monet: »Mobilium usum ita superiores permittant, ut eorum »suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, »conveniat, nihilque superflui in ea sit.« Quod monitum non subditi duntaxat, sed et superiores regulares sibi dictum putent. Nempe 1) omnes regulares caveant, ne statum paupertatis professione solum, non item re teneant; nedum veluti commoditatis, imo sensualitatis etiam fovendae subsidium putent aut usurpent. 2) Superiores quoque non bonorum monasterii dominos, sed administros, et quidem paupertatem itidem professos se cogitent. 3) Quocirca utrique haud coram Deo excusabiles sunt, si bona monasterii in pompam, luxum, commessationes, ludorum, conviviorum et hospitalitatis immoderationem dilapident. Quod apposite vir cordatus monet 185). Et alius: »Ipsi »vero religiosorum praelati, inquit, peccant contra »votum paupertatis et justitiam, si bona conven»tus aliter impendant, vel donent, quam ordinis »sui regula, vel *approbata* consuetudo, aut supe»riorum praelatorum voluntas (si modo justa et ra»tionabilis) eis permittit etc. 186).

---

183) Trid. sess. XXV. c. 2. de regularib. c. 4. et 6. de statu monach.

184) Loc. cit.

185) *Barthel* annot. in P. Engl. jus can. l. III. tit. 25.

186) *Antoine* theol. moral. tom I. de obligat. c. 2. q. 4.

§. 673.

4) Ad perfectionem evangelicam contendant.

Finis institutorum regularium princeps est *charitatis et perfectionis christianae evangelicaeque* assecutio per apta media facilius certiusque promovenda; ratione cujus vota solennia et exercitia officiaque religiosa quaevis vim duntaxat *mediorum* obtinent. Quocirca 1) religiosi omnes ad *hunc finem* pro viribus contendere, et omnia religionis exercitia ad eum consequendum referre obligantur; unde 2) *media subsidiaque* per regulam religiosam eum in finem praescripta tenentur diligenter adhibere; 3) errant autem turpiter, qui *religiosa exercitia* vel negligunt vel in his *tanquam fine* haerent, et ea ad finem principem referre huncque modis omnibus consectari omittunt; 4) officio suo desunt, et peccant, qui multo pluribus et efficacioribus ad majorem perfectionis gradum assequendum subsidiis suffulti et in eum finem a piis fundatoribus largiter provisi in melius perfectiusque proficere, et ceterorum fidelium virtutem superare non adnituntur: *Cui enim multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* [187]); quare 5) praeter psalmodiae et religiosae vitae exercitia, litterarum studia, christianae charitatis misericordiaeque opera, aliasque saluti animarum et bono ecclesiae reipublicae profuturas, cujusvis viribus facultatibusque congruentes, exercitationes suscipere impigreque prosequi *regulares singuli*, et haec studia inter suos pro viribus promovere *superiores* obligantur *).

---

187) Luc. XII. 48.

*) *Superiores regularium*, utpote et ipsi iisdem adstricti obligationibus, haec eadem exequi officia tenentur; praeterea autem obligantur a) in suis monasteriis constanter residere; b) per se et subordinatos superiores disciplinae regularis observantiae invigilare eamque servare, sustentare et labentem restaurare; c) *bono exemplo* et verbo suos ad perfectionem moralem provocare; d) jura bonaque monasterii servare, tueri et rite administrare; e) suis de honesta et congruente sustentatione, de subsidiis litterariis largiter paterneque providere; f) arbitrarium in jubendo dominatum, aut affectatae majestatis supercilium, in puniendo severitatem nimiam procul a se amandare; potius g) fraternum atque pii patris affectum actusque erga suos perpetuo, sincere et evangelii praescriptis convenienter 188) exercere, atque demonstrare 189); attamen h) intrepidam prudentemque simul in exequendis superioris officiis fortitudinem ac constantiam retinere.

**) Postremo pauca de officiis a) *regularium inter se;* et b) erga *alios ordines* monenda. Nempe 1) quum regulares non solum communi, quibus homines christianique omnes colligantur, sed insuper arctissimo ejusdem instituti ac professionis vinculo sint nexi, et ad consectandam perfectionem evangelicam specialiter obligati, inprimis tenentur a) sese intimo, sincero, sancto ac vere fraterno, qui omnibus christiani amoris characteribus ornetur (§. 502.), amore complecti; proin b) alter alterius onera portare, certatim sibi mutua officia, auxilia obsequiaque exhibere, perpetuam inter se concordiam amicitiamque servare fovereque; c) unitis viribus commune et singulorum et totius instituti bonum tum spirituale, tum temporale promovere. Hoc qui negligit, qui, etsi ceteras exercitationes religiosas curatissime peragat, fraternum amorem vix pensi habet, hujus *vana est religio*. Item 2)

188) Matth. XXIII. 2. sq. 8. Luc. XXII. 25. II. Cor. II. 5. XIII. 10. I. Petr. V. 2. sq.

189) Cf. meas instit. jur. eccl. §. 42. et 323.

quum religiosi ordines omnes evangelicae perfectionis tum in instituti ejusdem membris tum in aliis hominibus promovendae gratia sint instituti, a) fere eadem, quae ejusdem instituti homines mutuo sibi debent, etiam religiosus ordo alius alii, et clerus regularis seculari *aestimationis ac charitatis singularis* officia praestare tenetur; inprimis b) excludens procul est omnis *maligna aemulatio*, quae ecclesiastica instituta turpi etiam macula aspergit, scandala generare solet, et regulares clericosque despectos ac saepe invisos reddit apud laicos.

ARTICULUS VI.

DE LAICORUM ERGA CLERICOS PASTORESQUE OFFICIIS.

---

§. 674.

Officia fidelium erga clericos

Usquehuc de clericorum officiis diximus: jam non erit inopportunum, appendicis loco heic mutua *fidelium ceterorum* erga clericos officia strictim exponere, et quidem 1) erga *clericos quoscunque*; inprimis vero 2) erga *animarum pastores*.

§. 675.

1) *Cujuscunque ordinis;*

Quum *clerici* generatim omnes sint membra ecclesiae non vulgaria, sed a) speciali sacro ritu ad ministerium sacrum ac munia ecclesiastica initiati; b) in altiorem prae laicis gradum intuitu sacrorum evecti (§. 641.); item c) ministri Christi et mysteriorum Dei dispensatores; atque d) ceterorum fidelium tum per exemplum, tum per

verbum duces aut doctores constituti: patet, fideles reliquos obligari, ut 1) *reverentiam* quandam gradui clericali congruentem omnibus clericis exhibeant; 2) *auctoritatem* eorundem, *aestimationem* et *bonam famam*, qua sine status munerisque clericalis utilitas ac efficacia minuitur peritque, conservare et saltem ob boni publici rationes tueri adlaborent; 3) *clericalis status dignitatem, bene merita*, et *singulorum* etiam membrorum ejus praerogativas rite aestimare commendareque; naevos autem eorundem, ut qui homines infirmi esse non desinunt, indulgenter dijudicare benigneque; certe a) ad cavenda infirmorum scandala; b) ob religionis et ecclesiae reverentiam; et c) charitatem aliis debitam excusare tegereque satagant *), et aliquorum vitia ad status clericalis infamiam traducere tanquam insignis injustitiae facinus horreant; 4) clericos haud veluti extraneae societatis membra, sed ceu ejusdem reipublicae profanae etiam cives suspiciant amentque, nec jura, privilegia, bona singularia clericis, ut quibus et sua singularia onera haud desunt, ullo modo invideant.

*) 1) Christus 190) hominibus etiam malis in cathedra Moysis sedentibus honorem obedientiamque haberi jussit. 2) Paulus clericos tanquam Dei ministros existimari, nec temere judicare praecepit 191): imo, nec a superioribus, nisi summa cautione adhibita, presbyteros dijudicandos esse decernit 192).

---

190) Matth. XXIII. 2. sqq.
191) I. Cor. IV. 1—6.
192) I. Timoth. V. 19.

§. 676.

2) *Erga animarum inprimis pastores.*

Praeter haec, de quibus mox, officia omnibus clericis exhibenda, a fidelibus veluti a) filiis, ac b) discipulis debentur insuper pastoribus 1) *specialis reverentia* et *gratitudo;* utramque enim exigunt *pastoralis officii* a) *excellentia:* pastores enim sunt Christi ministri, legati, mysteriorum Dei dispensatores, patres spirituales, potestate divina praediti [193]; item b) *gravitas*, *difficultas* et *utilitas:* nam illi multa incommoda, pericula corporis et animae subire ob salutem animarum debent; et ex eorum ministerio spiritualis temporalisque aliorum salus magnopere pendet. Unde monet apostolus [194]: »*Mementote* praeposito»rum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum »Dei.« 2) *Obedientia*, *docilitas* in rebus ad salutem animae spectantibus, verbo, facto, exemplo monstranda tanquam a) *Christi ministris* doctoribusque, in quos quadrat illud Christi: *Qui vos audit, me audit* [195]; b) *pastoribus* et *praepositis*, queis obedire jubet apostolus: *Obedite praepositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, non gementes* [196]; 3) *alimonia* congruens et sustentatio liberalis per bona temporalia veluti a) *altaris ministris:* nam qui altari deserviunt, *cum altari participiant* [197]; tanquam b) *pastoribus animarum;* etenim »quis pascit gregem, et de la-

193) Matth. X. 16. XXIII. 34. Ephes. VI. 20. 1. Cor. IV. 1. Ephes. IV. 12.
194) Hebr. XIII. 7.
195) Luc. X. 16.
196) Hebr. XIII. 17. cf. I. Thess. V. 12.
197) l. c.

»cte gregis non manducat [198])?« ceu c) *ministris ecclesiae*, *doctoribus* et verbi Dei praeconibus publicis: »Nam qui bene praesunt presbyteri, »duplici honore (sustentandae vitae subsidio) di»gni habentur; maxime qui laborent in verbo et »doctrina. . . . Dicit enim scriptura: Dignus est »operarius mercede sua [199]);« sicut d) *magistris et patribus spiritualibus*, queis pro spiritualibus officiis obsequia alia exhibenda sunt Paulo monente: *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis* [200]); demum 4) *pastoralis muneris, auctoritatis, sollicitudinis sustentatio sublevatioque*, quo referuntur tum per se praestanda, tum in aliis verbo exemploque promovenda: a) *filialis singularisque* erga pastorem *amor* monente apostolo [201]): »Rogamus vos, fratres, »ut noveritis eos, qui laborant inter vos et praesunt »vobis in Domino, et admonent vos, ut habea»tis illos abundantius in charitate propter opus »illorum; pacem habete cum eis;« b) *instructionis pastoralis* aestimatio, frequentatio, reverens auditio, et promta ei se conformandi et in melius proficiendi sollicitudo; 5) *intercessiones* et *preces* pro pastore aliisque fidelibus fundendae, ut ille officio suo digne et salubriter perfungatur, hi ex illa uberrimum christianae virtutis perfectionisque fructum percipiant [202]).

*) Ceterum, quae supra (§. 619. sqq.) de civis cujusvis versus imperantes, civitatem civesque officiis diximus, ea itidem ad civis ethici seu *christiani* officia versus imperantes ecclesiasticos, versus ecclesiam et christianos applicari facile poterunt; simodo ad finem indolemque societatis ecclesiasticae attendatur.

---

198) Ibid. 7. etc. cf. Rom. XV. 27.
199) I. Timoth. V. 17. sqq. 200) Gal. VI. 6.
201) I. Thess. V. 12. sqq. 202) Ephes. VI. 18—20.

SECTIO II.

DE SPECIALIBUS CERTAE AETATIS, CONJUNCTIONIS CONDITIONISQUE HOMINUM OFFICIIS.

CAPUT I.

DE SINGULARIBUS AETATIS JUVENILIS SENILISQUE, ET ALIORUM ERGA EAM OFFICIIS.

§. 677.

Dicendorum ordo.

Postquam de specialibus certorum tum in civili tum in ecclesiastica republica statuum officiis actum huc usque est: haud inopportunum videtur, *specialia* item, quae certae *aetatis conditionisque* hominibus aut *incumbunt* aut *debentur*, officia breviter exponere. Ne latius autem, quam par sit, exspatiemur, exponemus 1) *officia*, quae a) *juvenili* b) *senilique* maxime *aetati* propria, eique aetati aut *exequenda*, aut ab aliis *exhibenda* sunt *); deinde 2) ea, quae *naturae societatis* necessitudinisve arctiori *vinculo juncti* mutuo sibi debent; demum 3) *eruditorum*, seu *litteratorum* officia paucis explicabimus; 4) *cetera specialia* aliorum officia aut alibi *exposita*, aut ex dictis facile eruenda consulto praetermittimus.

*) *Quatuor aetates*, puerilis, juvenilis, virilis senilisque distingui solent, quarum cuique proprius veluti character insidet 1). Nobis heic de duabus

1) Cf. *Joan. Barclai* icon animorum cap. I.

dicere, et, ut officia ei propria debitave intelligi certius possint, de utriusque indole quaedam praemonere sufficiat.

§. 678.

I. *Aetatis pucrilis juvenilisque indoles, ex qua intelliguntur*

Quod ad hujus aetatis *indolem bonosque* aut *malos* mores attinet: 1) *indoli juventutis* inprimis magis propria esse solent a) vehementior *sensibus jucunde* utendi, et quatenus citra molestiam fieri queat, *nova* usque *percipiendi, noscendi moliendique* aviditas et quidpiam usque *agendi gravitas;* b) obvios *imitandi, aequales superandi,* et aliis *placendi* maxima propensio et cupiditas; c) in *omnem partem,* in bonum malumve mira *flexibilitas* mutabilitasque; d) *primarum impressionum,* idearum, sensionum, fortiorum praesertim, non sine mansura in omnem aetatem imagine, nec obstante mira ceteroquin mutabilitate, singularis *tenacitas* ac pertinacia.

2) *Bonae qualitates* ac *mores laudabiles* in ea aetate saepius deprehenduntur a) *docilitas* ex sciendi aviditate et ex bona de aliorum scientia fideque opinione proveniens; b) *animi candor, sinceritas simplicitasque,* timere aut fallere nondum docta; c) *amor honesti* et *verecundia* ab iis, per quae displicere aliis deberet, abhorrens; d) *amicabilitas,* aliis *congaudendi condolescendique facilitas, benignitas, misericordia,* necdum cupiditatibus nec aliorum fallaciis obtusa; e) *ignoscendi facilitas* animique, necdum affectibus aut eventibus obdurati, *placabilitas;* f) animus *rectus,* ad suscipienda quaeque *paratus, spe, fiducia* plenus, ab *opum cupiditate* alienus, utpote necdum adversa, difficultates, impedimenta, pericula, inopiam expertus.

3) *Malae qualitates malive juvenum mores* cumprimis educationis aut societatis vitio provenientes non raro sunt a) *cupediarum variarumque* primo innocuarum jucunditatum aviditas; subinde malarum *venerearumque* maxime voluptatum cupiditas; b) *mollities animi*, et molestiae sensualis laborisve assidui immodicus horror; c) *arrogantia*, vana gloria, jactantia, erga aemulos invidia; d) *praesumtio* et temeritas, irascendi contendendique facilitas; e) *correctionis*, instructionis, imperii impatientia et *contemtus* *) f) *credulitas* animique levitas, inconstantia, versutia et simulatio; g) *prodigalitas* opumque dilapidatio.

*) Hinc 1) juventus *poenitudinis campus*; hinc 2) familiaris eidem senilis auctoritatis contemtus, ut suo demum sapiat errore aut periculo.

§. 679.

1) *Ejus aetatis officia singularia.*

Ex his nullo negotio colligere licet, quae singularia *puerilis juvenilisque aetatis* sint officia. Illa nempe

1) *Generatim* a primis rationis illucescentis annis studeat oportet, ut a) veluti homagium solenne erga Deum et legem moralem in primo rationis diluculo praestet, ac pactum baptismale recogitet renovetve; atque mature secundum illam legem pactionemque vivere, et sibi ipsi imperare discat; proinde b) ea, quae juventuti insidiantur, *vitia* cautius declinet; c) bonas contra, quae eandem ornant (§. praec.) ipsique veluti propriae ac naturales sunt, *qualitates* consectetur et quam diligentissime excolat; atque adeo d) ad *bonum characterem* mature formandum, firmandum perficiendumque (§. 219. sq.) vires omnes impen-

dat; sicque e) ad futurae vitae conditionisque officia excellenter exsequenda se *praeparet.*

2) *Speciatim* puerilis juvenilisque aetatis virtutes characteristicae esse debent a) singularis tum *interna* animi, tum *externa* etiam *modestia* verecundiaque; b) erga viros *probitate, prudentia, aetate graves* praecipua *reverentia* fiduciaque; c) summa erga parentes, magistros, superiores *reverentia, gratitudo, fiducia* ac *pietas;* d) *promta* non solum praeceptis eorum, sed et monitis, consiliis, nutibus etiam *obsequendi voluntas;* e) *tenera, filialis erga Deum* ceu optimum patrem, et Christum juventutis amicissimum ac exemplar excellentissimum devotio, charitas, pietas; f) perpetuum *sapientia* et *gratia apud Deum et homines bonos* proficiendi, semper meliora *discendi* agendique *studium;* g) *malae societatis* et quorumque ad vitia, venerem inprimis, illiciorum *fuga* sollicita, constans et heroica.

*) Nimirum 1) quum juvenilis aetas sibi ipsi nequeat consulere, et nec rationi nec experientiae propriae confidere nisi per summam temeritatem possit: a) modestia animi; b) discendi cupiditas; c) erga superiores senesque reverentia; et d) proborum consiliis monitisque et parentum superiorumque praeceptis praestanda *obedientia* propriae ejus virtutes esse debent. Unde 2) Siracides 2) a) *modestiam reverentiamque* juvenes docens: »*Adolescens*, monet, loquere in tua causa vix: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quaerens. In medio magnatorum non praesumas; et »ubi sunt senes, non multum loquaris. . . Ante »verecundiam praeibit gratia, et pro reverentia »accedet tibi bona gratia.« Idem b) acre et ma-

2) Eccl. XXXII. 1 — 14.

turum commendans *sapientiae studium: Fili*, inquit, *a juventute tua excipe doctrinam et usque ad canos invenies sapientiam* 3). — *Quae in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies* 4)? Dein Ecclesiastes 5) juvenes c) ad maturam erga Deum *pietatem* exhortans: »*Memento*, inquit, *creatoris tui in diebus juventutis tuae*, »antequam veniant dies afflictionis (senectutis).« Similiter d) *obedientia* saepissime juventuti in s. litteris 6) inculcatur; gravissime inprimis Sapiens 7) monet: »Conserva, fili mi, praecepta patris tui, »et ne dimittas legem matris tuae: liga eam in »corde tuo jugiter et circumda gutturi tuo. Cum »ambulaveris, gradiantur tecum; cum dormieris, »custodiant te; evigilans loquere cum eis, quia »*mandatum* lucerna est, et lex lux, et via vitae »increpatio disciplinae.« Demum e) *malae societatis* et illiciorum praesertim venereorum *fugam* juventuti sollicite commendat, et graphice saepius 8) imperat Sapiens. Ceterum 3) haec juventutis officia optime docet *Christus absolutissimum juventutis exemplar*, semper habendum prae oculis, qui, testante scriptura 9) inventus est a) *in templo;* b) sedens *in medio doctorum* audiens illos et interrogans; c) qui parentibus *subditus* erat; d) *proficiebatque sapientia* et aetate; et e) *gratia apud Deum et homines.*

§. 680.

2) *Aliorum erga eam aetatem officia.*

Pueriili juvenilique aetati quaedam a parentibus, paedagogis et magistris officia specialia,

---

3) Eccl. VI. 18.
4) Eccl. XXV. 5. cf. LI. 18—21.
5) Eccl. XI. 1.
6) Proverb. I. 8. IV. 1—4. XIII. 1. XV. 5. XXIII. 22. XXX. 17. Eccl. III. 1. sq. Ephes. VI. 1. etc.
7) Proverb. VI. 20. sq.
8) Proverb. I. 7—18. II. 10—20. IV. 14—10. V. 1. VII. 1. sq. XIII. 26. sq.
9) Luc. II. 46—52.

de quibus antehac (§. 599. sq. 631. sq.); quaedam ab aliis etiam singularia, ut ex dictis (§. 678.) colligere licet, debentur officia: nimirum cumprimis 1) *praecipua*, a) ejus, ut quae ipsa sua innocentia, simplicitate amabilis, et praesentis generationis flos futurique aevi spes est, *aestimatio;* et b) *tener* veluti in eam *affectus*, quo Christus eam aetatem est amplexus [10]); item 2) *verecundia;* et mali *exempli cauta devitatio*, ut nimirum coram juventute *nil agant, loquantur, fieri permittant*, quod ei aetati infirmiori, inexpertae et ad imitandum concupiscendumque pronissimae, et nec rationis nec judicii maturitate, nec aliis adversus vitiorum illecebras remediis munitae, offendiculo, scandalo aut corruptionis periculo esse queat; qua in re incauti gravissimum scandali peccatum [11]) patrant; 3) *institutio* et *admonitio per verba* et exempla: ut nempe a) eorum, quae juvenili aetati imminent, vitiorum horror eidem ingeratur; b) illisque, imo primis eorum igniculis initiisque aut via obstruatur aut mature obvietur; ut c) *seductionis malaeque societatis* pericula ab ea procul removeantur; contra d) teneris animis *virtutis*, et *religionis* tum summa *reverentia*, tum singularis *amor* per verba atque exempla inprimis implantetur; ut e) *exercitationes virtutis religionisque* non solum juventuti non molestae, sed, quam fieri potest, jucundae, etiam amabiles, aut certo summe aestimabiles reddantur: quem in finem necessaria est 4) *indulgentia* quaedam, ac juvenum indoli accommodata agendi cum iis *prudentia* atque lenitas; qua a) naevi quidam ac defectus ex aetatis magis, quam voluntatis infirmi-

10) Matth. XVIII. 2. sq. XIX. 13. sq. Marc. X. 16.
11) Matth. XVII. 6. Marc. IX. 36.

tate provenientes haud severius immoderatiusque arguantur corripianturve; qua b) innocua juventutis gaudia haud interturbentur, et exuberantis etiam hilaritatis significationes haud rigidius supprimantur; sed c) effervescentis fors animi impetus sensim ad nobiliora objecta transferantur et placide ad virilem maturitatem traducantur; ne d) juvenes vel territis vel exhaustis viribus viam sapientiae virtutisque horreant, aut veluti lassi prorsus subsistant indeve recedant.

*) Porro 1) ut teneri animi a vitiis absterreantur, haud vulgo molestis perpetuisque exhortationibus correptionibusque, quas juventus horret aut suspectas habet, agendum: sed potius 2) expediet a) vitiorum turpitudinem, nocendi vim, pro re nata, breviter, per exempla magis, quam per verba demonstrare; item b) *flagitiosa quaeque* vitiisve faventia aut tacere prorsus, aut coram juventute nunquam nisi cum supercilio, contemtu verecundiaque nominare, ut vel nomina eorum, nedum perpetrationem juvenes exhorreant; 3) quamvis autem innoxiis aetatis puerilis juvenilisque ineptiis indulgendum saepius et a nimia severitate prorsus cavendum sit: nihilominus, si procax cujusdam forte licentia aut ferocia exuberet, tum facessant lenitatis indulgentiaeque consilia, tumorque, naturae vitio enascens, quem saepe parentum magistrorumque lenitas ad ulceris maturitatem fovet, adhuc crudus et facilis exsecetur 12).

§. 681.

II. *Aetatis senilis indoles; unde eruere licet*

Senectus a juvenili maxime fervore aliena et habitu, affectibus moribusque a florente aetate prorsus discrepans priorum annorum *virtutes* par-

---

12) Joan. *Barclay* icon. animorum cap. I.

tim auget, partim quandoque avertit *in vitia.* Porro *aetatis senilis*

1) *Indoles* in eo ab aliis aetatibus maxime discrepat, quod eidem ut plurimum insideant a) *timiditas;* quippe senes ab juvenili virilive pectoris igne, qui fortitudinem inspirat, deficientes, nec nisi per sua pericula in tantum aetatis provecti, omnia solent nimis anxia cogitatione versare, tam quae ipsi effugerunt, quam quae alios perdidere: hinc senum prudentia saepe nimio pavore corrumpitur; b) *cunctatio;* nam dum senex omnia circumspicit, saepeque tuta timet, malum diutius pati, quam in medicinae periculum venire mavult; c) *praeteritorum grata recordatio laudatioque,* ut quibus jucunde et integris viribus uti potuere et usi sunt; inde d) *sollicitudo summa de vitae subsidiis,* de propulsandis periculis. Ceterum

2) *Bonae senum qualitates* praecipuae sunt a) *prudentia, circumspectio* ac *sagacitas,* qua per longam experientiam ea, quae ars et scientia docere nequit, edocti nec cito nimis credunt, nec temere agenda suscipiunt, nilque sine consultatione aggrediuntur; b) *affectuum cupiditatumque temperantia,* quam partim corporis frigus, partim circumspectio et frustratorum malorumve affectuum experientia sustentat *); item c) *constantia perseverantiaque,* quam recti in aggrediendo consilii fiducia et faustorum, quos perseverans labor conatusque olim jam peperit, eventuum reminiscentia roborant; d) *commiseratio,* tum per malorum, quae perpessi sunt, *experientiam,* tum per *timiditatem,* qua sibi similia imminere facile metuunt, sustentata.

3) *Malae,* non tam senectutis in se, sed ignavae inertisque senectutis, *qualitates* fere sunt,

quod senes, nisi in juvenili virilique aetate pectus per virtutem praemunierint, saepe sint a) animo nimium sententiaque *haesitantes*, etiam tuta timentes, atque hinc d) *suspiciosi* et ad res in pejorem partem accipiendas proni; proin saepe itidem c) *pusillanimes* et animo facile dejecti; d) *illiberales rerumque tenaces*, quarum acquisitionem difficilem, jacturam facilem esse variis ex casibus didicere, timent privari rebus, quas lassis viribus vindicare nequeant. Enimvero miserum isthoc mortalitatis est ludibrium, tunc fortunas avidissime expeti, dum nec diu manere, nec jam sollicitari pretiosis deliciis effoetum corpus possit; e) *praeteritorum immodici pertinacesque defensores*, et molesti loquacesque *laudatores*; contra f) *praesentium* acerrimi censores, odiosi et quandoque iniqui etiam contemtores; g) ad *accusandum*, *arguendum*, *corrigendum*, *quaerendum* pronissimi; saepe h) in sua sententia *pertinaces* et contra omnes rationes oppositas *surdi*.

*) 1) Quam salubria et publicis privatisque rebus salutaria fuerint sintque *senum consilia*, omnis aevi, et quotidiana docet experientia. Atque hinc fortasse, arguit vir acutus 13), senibus illa ingens et plerumque indefessa loquendi cupiditas, quasi datus a natura stimulus, ne illi *docere* gravarentur, qui omnium optime possent; sed 2) plerique eorum, inquit, non satis in hac re modum tenent; per suorum annorum rerumque gestarum seriem infinita oratione eunt, eandemque saepius crambem recoquunt; et quo patientior erit, quem ad illud eadem usque audiendi supplicium rapuerint, hoc miserius eum plectunt; 3) nec audiri solum amant, sed ubi consuluntur aut etiam sponte monent, sibi fidem haberi, componique omnia, in quem modum praescripserint, nimis interdum pro imperio vo-

13) *Barclay* l. c.

lunt, urgeantque nolentes, rati ab iis se centemtos, qui abnuunt regi; 4) juvenum virorumque consilia pervicaci fastidio et veluti de scena despiciunt.

**) Sed hi haud *senectutis*, sed duntaxat *senum* mores sunt. Quare illis, qui in senectute haec vitia veluti syrtes effugiunt, nil est commodius ad omne consortium; solent enim a) *res publicas privatasque regere;* b) *despicere malos impetus ac vincere;* c) *consulere juventuti et parcere,* quid ipsi fuerint, quid tunc senserint, non immemores; digni denique, qui in longa senectute sua sapientia fruantur, orbemque veluti expertae philosophiae disciplina componant. Vid. *Barclay* l. c.

§. 682.

1) *Senum erga se aliosque specialia officia.*

Senibus, utpote judicii maturitate praeditis, nec per juvenilem fervorem nec per novitatis illecebras abreptis, sed longa potius experientia de vero rerum pretio edoctis et ad vitae metam appropinquantibus haec inprimis officia censentur magis propria: 1) *generatim,* ut pro aetatis auctoritate et gravitate a) *a vitiis* quibusque, praesertim senectuti ignavae incautaeque insidiantibus (§. praec.), inprimis a carnalibus, queis nil cogitari turpius in sene potest [14]), cupiditatibus non modo sint vacui; sed etiam b) *virtutem perfectiorem ac puriorem,* quae ceteris aetatibus exemplo esse possit debeatque, in omni rerum articulo sectentur ac prae se ferant; c) *priorum aetatum naevos* fors commissos, aut etiam *exempla* mala non tantum emendent, severiorique poenitentia retractent, sed per heroicae virtutis actus et per optimae vitae exempla compensare, tempusque haud bene collocatum redimere duplicato fervore studeant; d)

---

14) Eccl. XXV. 3. sq.

neque per aetatem se a *conditionis statusque sui officiis* prorsus eximios credant; sed ea, quae per vires valent, potius longe *perfectius*, eoque, quo aliis exemplo esse possint, modo obire studeant; non *plura* tamen *majoraque*, quam quibus exequendis pares per aetatem sunt, *negotia* sibi sumant; demum e) bene sint memores, non ex annorum numero, sed ex virtute solum aetati suae dignitatem auctoritatemque conciliari: »Senectus enim *venerabilis* est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt »sensus hominis, et aetas senectutis vita *immaculata*[15]). *Corona dignitatis senectus, quae in viis justitiae reperietur*[16]). Corona senum multa peritia, et *gloria illorum timor Dei*[17]). 2) *Speciatim* senes vel ex ipsa aetatis senilis natura et quidem a) *sibi ipsis* debent maxime, ut senectutis *molestias* aequo hilarique animo ferant, nec gaudia, quae eam aetatem decent sustentantque, aspernentur; molestiarum levamen ac gaudiorum fontem in virtute et religione quaerant; per veritatum salutarium et crebram mortis meditationem ad constanter in via virtutis progrediendum perseverandumque, atque ad mortem sancte obeundam se exstimulent reborentque; ceterum totos se divinae voluntati permittant, et post actam diu hujus vitae scenam Deo ad obitum vocanti non inviti, sed hilariter ac veluti cupide obsequantur; b) *aliis* praesertim *pro aetatis auctoritate dignitateque* debent, ut juvenilis virilisque aetatis hominibus propria sua gaudia negotiave nec invideant, nec interturbent; sed consiliis monitis-

15) Sap. IV. 8.
16) Proverb. XIV. 31.
17) Eccl. XXV. 8.

que eos adjuvent, ac sustentent, omnibusque exemplo sint; ulli hominum per morositatem, querimonias, impatientiam, pertinaciam, aliisve modis (§. praec.) molestiam creare caveant: singulos potius paterna benignitate complectantur, iisque levamini ac solatio esse studeant.

*) »*Senes* S. Paulus 18) jubet moneri, *ut sobrii sint*, »*pudici*, *prudentes*, sani in fide, in dilectione, in »patientia; *anus* similiter in habitu sancto, non »criminatrices, non multo vino servientes, bene »docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas »etc. ut viros suos ament, filios suos diligant; »prudentes, castas, sobrias, domus curam haben»tes, benignas, subditas viris suis etc.«

§. 683.

2) *Aliorum erga senes officia.*

Erga *senes quoscunque*, inprimis sapientia prudentiaque et virtute ornatos, atque per vitae decursum de genere humano bene meritos, haec fere aliis incumbunt officia:

1) *Praecipua quaedam reverentia;* unde a) *generatim* cumprimis summe vitanda omnis *erga quosque senes irreverentia*, atque etiam contra *vitiosos severitas*, monente Siracide 19): *Ne spernas hominem in sua senectute; etenim ex nobis senescunt;* et hortante Paulo 20): *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; .. anus ut matres;* potius b) *honor* iisdem *singularis* exhibendus, id quod Deus olim per Moysen praecepit 21): *Coram cano capite consurge et honora personam senis, et time Dominum, Deum tuum.*

---

18) Tit. II. 2. sqq.
19) Eccl. VIII. 7.
20) I. Timoth. V. 1. sqq.
21) Levit. XIX. 32.

2) *Observantia veneratioque* erga *consilia monitaque* senum, utpote multa experientia edoctorum praecipuaque prudentia fere pollentium, quocirca a) *lubenter reverenterque exquirenda audiendaque senum consilia et monita;* monente Siracide [22]: »Ne despicias narrationem presbyte»rorum sapientum et in proverbiis eorum conver»sare; ab ipsis enim disces sapientiam .. et intel»lectum, et in tempore necessitatis dare respon»sum;« b) non tamen *temere* et *universim* senum *consiliis obtemperandum;* neque enim semper longaevi ceteris etiam sunt sapientiores, nec omnes senes intelligunt judicium [23]; imo senectus suis saepe praejudiciis naevisque (§. 681.) laborat; unde c) *senum consilia monitaque,* quae nulla ratione probari queant, haud quidem sequenda, non tamen *inhumaniter irreverenterque* sunt abjicienda despiciendave *).

3) *Indulgentia, aequitas ac lenitas* singularis; nimirum senum *naevi infirmitatesque* quaecunque a) *tolerandae* patienter, benigneque excusandae, atque magis aetatis imbecillitati, quam voluntati adscribendae; nec b) *ullatenus iis exprobrandae.* Nam haec aetas vulgo directionis et correctionis fere impatiens aut incapax, increpationibus non tam emendari, quam exacerbari et affligi solet; atqui per aetatis infirmitates afflictis addere afflictionem ab humanitate alienum est; nisi forte delicti gravitas aut scandali periculum severiorem agendi rationem imperet; igitur c) *infirmitates eorum modis omnibus sublevandae* et summa charitate sunt *diminuendae; naevi* autem adhibitis mi-

22) Eccl. VIII. 9—12. cf. VII. 15. XXXII. 4.
23) Jobi XXXII. 9.

tissimis remediis curandi; sin: prudenter patienterque ferendi.

) Prudentiae consilium hac in re suggerit vir perpolitus 24): »Tu, si dignus es, quem aliquando in »senectute peccantem juventus, quae jam ventura »est, excuset, jam mulcebis animos (senum) inno»xio gaudio exultantes, facilisque dicentibus fron»te saltem ac luminum nutu, quidquid dixerint, »laetus accipies. Nam quae minor reverentia pro»vectis his annis et patrium cultum merentibus po»test haberi, quam ut saltem simulemus probari »(pie* et ex sancta *charitate dissimulemus potius* »*improbari)* a nobis, quae edicunt, facileque et ni»hil auferente officio tantae venerationis aetatem »suo gaudio perfundamus?«

**) Quodsi haec officia omnibus senibus sint ab aliis exhibenda, tanto majorem gravioremque *liberorum erga senes* parentes et *aliorum erga sanguine vel affinitate junctos senes* anusque haec praestandi obligationem esse nemo non intelligit (§. 604.). Unde monet Sapiens 25): »*Audi patrem tuum, qui* »*genuit te*, et ne contemnas, cum *senuerit* mater »tua . . . gaudeat pater tuus et mater tua, et ex»ultet, quae genuit te.« Et Siracides 26): »Fili »*suspice senectam patris tui* et non contristes »eum in vita illius. Et si defecerit sensu, veniam »da, et ne spernas eum in virtute tua. Eleemo»syna enim patris (beneficentia in patrem) non »erit in oblivione (coram Deo). Nam pro pec»cato matris (pro offensa matris dissimulata patien»terve tolerata) restituetur tibi bonum; et in ju»stitia aedificabitur tibi; et in die tribulationis com»memorabitur (miserebitur Deus) tui; et sicut in »sereno glacies solventur peccata tua.«

24) *Joan. Barclay* icon. animorum cap. I.
25) Proverb. XXIII. 22.
26) Eccl. III. 14—17.

CAPUT II.

DE OFFICIIS SINGULARIS NECESSITUDINIS VINCULO JUNCTORUM SPECIALIBUS.

§. 684.

Variae necessitudinis vinculum varia infert officia: de quibus notandae

Praeter commune illud, quo homo homini obstringitur, charitatis justitiaeque vinculum, ex quo communia erga alios officia profluunt, 1) homines speciatim connectit et ad singularia inter se officia obligat varia *necessitudo* a) *sanguinis;* b) *affinitatis;* c) *amicitiae;* d) *societatis religiosae* aut *civilis;* e) *muneris;* f) specialis *beneficii, patrocinii* praestiti etc. Inde 2) eruere licet *specialia* inter a) *cognatos agnatosque;* b) *affines;* c) *amicos;* d) *ejusdem ecclesiae* aut *civitatis socios, vicinos* item *contubernales;* e) *collegas;* f) *benefactores patronosque* et *clientes* officia. 3) Quae omnia latius hoc loco persequi haud opus est; etenim de plerisque jam actum superius est *); reliqua ex dictis (cf. 140.) facile eruuntur. Unde generales specialesque quasdam, secundum quas singularia officia determinare licet, regulas subjunxisse satis erit.

*) Attigimus sane officia a) *parentum liberorumque* (§. 598. sqq.); item b) *amicorum* (§. 538. sqq.); deinde c) *civium* inter se, et *fidelium* (cf. §. 620. et 674. sqq.); demum d) *patronorum* et clientum (§. 533. sqq.).

§. 685.

Regulae quaedam a) *generales;*

Quum igitur specialia haec officia articulatim recensere haud opus videatur: sufficiat hoc loco has notasse *generales regulas:* 1) *officia* ex *speciali* necessitudinis vinculo orta, utpote quae generali officiorum erga homines fundamento (§. 398. sqq.) innituntur subordinanturque, semper non nisi salvis communibus erga homines officiis determinanda et secundum collisionis regulas (§. 134 — 141.) executioni danda sunt. Attamen 2) ceteris paribus *communia etiam erga quosque homines officia* iis, quibuscum speciali insuper vinculo jungimur, *inprimis* et *prae ceteris* exhibenda esse rationis et scripturae docet auctoritas (§. 139.). 3) Praeter haec autem communia erga alios officia insuper ipsa conjunctionis, pacti, societatis variae ratio *specialia* variaque erga ita junctos imperat officia; quae ex pacti nexusque *natura* singulari esse determinanda, atque citra *charitatis* aut *justitiae violationem* negligi non posse, nemo non videt. Demum 4) tum communia, tum specialia officia semper animo modoque morali ac christiano explenda sunt. Ceterum inter omnes ita nexos itidem observandae

§. 686.

Regulae b) *magis speciales.*

Inter homines *necessitudinis vinculo* speciali nexos necessum inprimis est, ut excolantur exerceanturque 1) *singularis* animorum voluntatumque *consensio;* ac 2) constans *concordiae pacisque* servandae studium nullis frangendum molestiis (§. 514.); 3) praecipua mutuaque *fiducia;* atque 4)

consiliorum studiorumque; adversorum item et gaudiorum perpetua quaedam *communicatio;* 5) peculiaris *aestimationis, charitatis, officiositatis, mutui adjutorii obsequiique*, ab omni proprii lucri commodique cupiditate alieni, honestissimum *studium* ac quoddam veluti *certamen.*

*) 1) Qui arctius secum conjunctis, ut quibus officia exhibendi gravior urget obligatio et opportunior fere invitat occasio, humanitatis praecipuaeque charitatis praestare officia negligit, is, etsi in alios profuse benignus, in vanum sibi de christiana virtute gratulatur; imo infideli deterior 27) existimandus. Ceterum 2) haec generatim dicta sufficiant: nam per singula, quae ex diversa necessitudinis natura determinantur et ex allatis usquehuc principiis erui haud difficulter possunt, officia ire, nimis longum, neque etiam necessarium arbitramur. Non inopportunum tamen videtur, quaedam singillatim monere.

CAPUT III.

DE PECULIARIBUS ERUDITORUM LITTERATORUMQUE INTER SE ET VERSUS ALIOS, HORUMQUE ERGA ILLOS OFFICIIS.

§. 687.

Generalia quaedam principia 1) *de eruditione;*

Ut litteratorum inter se, et erga alios, horumque erga illos officia rite determinari valeant, quaedam veluti dicendorum *principia* praemonere juvat: nempe 1) *eruditi litterative,* quo nomine

27) I. Timoth. V. 8.

ii, qui uni pluribusve scientiarum speciebus animum praecipuo studio addicunt, et mentem haud leviter tinctam, sed multiplici, distincta profundaque cognitione excultam habent, intelliguntur *), *singularem* in societate humana sibi vindicant *praerogativam*, quae tamen pro varia *eruditionis* a) *specie*, b) *perfectione*, c) et ad *fines moralitati consentaneos applicatione* varios gradus obtinet. Et vero 2) *eruditio* per se a) *mentis perfectio* est; atque b) ad reliquas mentis animique, imo et corporis perfectiones insigne *adjumentum;* imo c) necessaria ad aliquas etiam *conditio* est; proin artibus corporeisque perfectionibus vulgo praeferenda. Attamen 3) scientiae pleraeque non tam *ceu finis*, sed fere veluti aptum ad fines *nobiliores medium* praecipuam dignitatem pretiumque nanciscuntur. Unde 4) de *scientiarum singularum pretio* ac dignitate maxime ex a) cujusvis magis minusve nobili necessariove *fine;* et b) ex majori minorive, quam ad eos fines habet, *aptitudine* statuendum est; proinde c) quo cujusque scientiae *finis* nobilior, quo major ad eum finem *aptitudo*, eo majoris ceteris paribus aestimanda scientia est. 5) Quum vero *moralitas* sit *finis* omnium *nobilissimus* ac *supremus:* facile intelligimus, a) *eruditionem*, quae vel ex natura sua, vel ex recto usu moralitatem inprimis promovet, supremum dignitatis gradum sibi vindicare; b) eruditionem quamcunque *moralitati* seu fini supremo tum *positive*, tum *negative* saltem subordinandam esse; c) eruditionem, quae moralitati *nil servit*, pretium tenue; quae moralitati *periculosa* est, aut ex abusu et eruditi vitio eam *corrumpit impeditve*, non modo *nil* habituram *pretii*, sed vulgo homines magis vituperabiles, ac minus excusabiles esse reddi-

turam. Ceterum 6) quam maxime indecens est, eruditos more opificum de primatu scientiarum contentiose disputare, aut alias contemnere: neque etiam quaevis cuicunque aeque est utilis. Quare 7) *ea eruditionis species*, quae cum *conditione, munere*, aut *officio cujusvis* maxime conjuncta est, sollicitius inprimis consectanda, et modo, quo fieri potest, studioque perfectiore est excolenda, utpote quod necessarii ad finem necessarium medii rationem obtinet, et salva moralitate negligi nequit.

*) 1) *Eruditio* generatim est complexus earum humanarum cognitionum aut scientiarum, quae a) proxime ad indigentias corporeas sublevandas haud pertinent; b) non nisi praecipuo quodam facultatum animae adnisu addiscuntur; nec c) omnibus passim hominibus, sed certae eorundem classi propriae esse solent. 2) Eruditionem pro eo, ac ad plures scientias et ad magis distinctam profundamque earum cognitionem se exporrigit, varios *ex- et intensionis* habere *gradus*, nemo nescit. 3) Ex hac proin perfectione, inprimis ex ejus ad fines optimos aptitudine et recto usu applicationeve de eruditionis cujusvis dignitate pretiove singillatim judicandum. Inde 4) intelligimus item, quae *genuina*, quae *spuria* sit eruditio. Nempe

**) Eruditio *spuria* est, a) quae *periculosis, inutilibus*, aut *minus utilibus* non citra utilium neglectum occupatur; b) quae justa *in-et extensione* destituitur et in superficie haeret; c) quae practica ac pragmatica non est, nec ad fines honestissimos usurpatur; imo d) praejudiciis, partium studio, variisque affectibus corrumpitur. Unde pullulant plura eruditorum vitia.

§. 688.

2) *Eorumdem specialia officia.*

Atque ex his facile intelligimus, cuicunque, qui non tam nomen famamve *eruditi aucupari*,

quam reapse *mereri* velit, haec inprimis servanda esse: nempe 1) principia de genuina eruditionis indole et dignitate (§. praec.) altius animo infixa et menti continuo obversantia habeat; 2) a spuriae eruditionis monstris et eruditorum vitiis, de quibus mox dicturi sumus, sollicite sibi caveat; inprimis 3) *illam* quisque ex pluribus scientiis potissimum amplectatur, et, quo perfectiori potest, modo comprehendere satagat, quae a) per se aut bonum commune necessaria; aut b) *certo utilis* est; itemque c) cum propria ipsius indole et perfectione, morali inprimis, statusque officiis; atque d) cum vera etiam ipsius felicitate servato recto officiorum ordine *omnium maxime* consentire creditur (§. praec.). 4) Eruditionis autem aut scientiae eum tum *intensionis*, tum *extensionis etiam gradum*, qui ad finem ejusdem proximum remotumque facilius perfectiusque obtinendum requiritur, consectari viribus omnibus adnitatur. Quare 5) *unam alteramve eruditionis speciem* potius pro muneris facultatumque ac virium ratione *profundius rimari* et totam perfecte apprehendere satagat, nec sciolorum more per omnes vagari, aut plures obiter attingere primisque veluti labiis gustare cupiat. 6) Tam a praesidentia arrogantiave ac pertinacia, quam a servili alienae opinationis sectarumque famulatu, ac turpi idololatria (litterarische Sclaverey, Nachbeterey) remotus casto, modesto simulque invicto veritatis unius amore ac studio sit animatus. Proinde 7) nunquam a) *de iis rebus*, quarum distincta profundaque cognitione caret, judicare, nedum decretorie audeat pronuntiare *); de aliis autem quibusque b) non nisi post curatissimam indagationem, nec nisi ex rationibus convincentibus plenae cognitionis judicium fe-

rat; c) suamque sententiam *praecipua animi modestia* asserat et tueatur; nec d) obstinatus eidem insistat; sed e) aliorum rationes audire, semper saniora edoceri sincere cupiat; et f) de errore fors convictus eum corrigere publiceque etiam retractare non dubitet secundum illud [28]: »Argue sapientem et diliget te. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum »et festinabit accipere. Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia.« 8) *Contraria sentientes* patienter aequoque animo ferat et certo etiam errantes benigne comiterque instruere et meliora docere conetur; eosdem autem spernere, morosius sugillare, inimico modo insectari, aut odio iniquo persequi nefas, et a viri, eruditi inprimis, humanitate alienissimum habeat. 9) Nunquam a) *contra mentem animive persuasionem* quidpiam asserat, probet scribatve; b) quidquid autem *utile* didicit, sine invidia et dissimulatione cum aliis communicet; attamen c) *vera* etiam *ea* duntaxat et coram *iis*, et *eo modo* proferat, aut manifestet, *quae, quibus* et *quo modo* utilitatem praestare, aut certe citra abusus aut noxae periculum manifestari recte possunt **). 10) Quum eruditio *moralitati* negative positiveque subordinata esse debeat (§. praec.), patet: cur a) quivis quodcunque eruditionis genus cum probitate debeat conjungere, nec nisi salvis officiis nobilioribus possit consectari; cur b) scientiam salutis necessariam reliquis omnibus debeat praeferre; cur c) eandem praesertim ex charitate aliis debita in iisdem teneatur pro viribus promovere; cur proin d) de *religione*, et de iis etiam, quae vel per errorem *religiosa* ab hominibus exi-

28) Proverb. IX. 8. sqq. XII. 15.

stimantur, non nisi cum summa reverentia, gravitate et cautione loqui et scribere, atque *praejudicia etiam religiosa* ita, ut ne ipsi religioni noxa inferatur (§. 245 n. 1.), confutare emendareque debeat. 11) Quilibet eruditionem non veluti captandae gloriae, voluptatis, aut cujuscunque vani consilii causa prosequatur, sed semper veluti propriae alienaeque perfectionis, *moralis* inprimis, et *verae* felicitatis provehendae subsidium usurpet necesse est. Item 12) quivis doctrinam salutarem factis complere et exemplo bono sustentare obligatur secundum doctrinam Christi qui a) eum, qui *solverit* unum de mandatis suis minimis, *minimum;* qui autem *et docuerit et fecerit, magnum* in regno coelorum fore [29]) asserit; qui b) *pharisaeos* ea, quae alios docent, agere negligentes severe arguit [30]); atque c) universe non cognitores aut doctores, sed factores legis coram Deo justos esse per se suosque [31]) denuntiat: nempe »*si haec scitis, beati eritis, si feceritis.*« Ceterum 13) quamcunque eruditionis speciem quis sibi consectandam sumserit, videat, ne a) intemperantius eam adamet aut aestimet; ne b) aliarum scientiarum species earumve cultores quocunque modo spernat, parvi pendeat, aut praepediat; ne c) quoscunque, aut alios ejusdem secum scientiae cultores iniqua aemulatione premat, eorum merita dissimulet, aut per plagium litterarium acrioremve censuram, aut aliis modis laedat; ne d) *erga non doctos* ullatenus se efferat, nec arrogantem, nec asperum se gerat;

29) Matth. V. 19.
30) Matth. XXIII. 4. sqq.
31) Matth. VII. 21. 24. Rom. II. 13. Jacob. I. 22. II. 10.

sed etiam e) errantes et rudes in spiritu lenitatis ac mansuetudinis comiter instruat, corrigat [32]); paucis: ita agat, ut veram sapientiam ***) se habere factis quoque demonstret.

*) Quare temerarie prorsus, imo inique agunt, a) qui haud satis instructi aliorum doctrinas dijudicare, et *censura iniqua* atque *partium studio infecta* perstringere, aut per judicium decretorie pronuntiatum vel auctori, vel reipublicae litterariae noxam inferre; praesertim b) qui primis religionis principiis vix leviter tincti, nihilominus religionis revelationisve censores judicesque agere, ac veluti ex tripode doctrinas religionis jam definire, jam damnare, jam explodere in conventibus scriptisque etiam publicis audent.

**) Etsi veritatis propagatio summe et necessaria generatim sit et laudabilis: multa tamen, etiam vera, sunt, quae in certis adjunctis proferre aut *justitia*, aut *charitas*, aut certe *prudentia* prohibet [33]). At vero immensa scribendi libido in publicum protrudit varii generis schediasmata, queis a) *crimina* occulta aeterno tegenda silentio in publicum protrahuntur; b) pudendae libidinis monstra vivis coloribus depinguntur; c) *personae publicae*, a quarum auctoritate salus publica pendet, contemtui propinantur; d) periculosissimae hypotheses et principia tum religiosa tum politica, forte uni doctissimorum judicio subjicienda, lippis et tonsoribus, pueris et minis dijudicanda palam proponuntur; e) ea, quae vulgi captum exsuperant et haud rite intellecta ingentibus abusibus, tumultibus, erroribus occasionem praebere debent, studiose hominum plebi variis modis obtruduntur etc.

***) »Quis *sapiens* et disciplinatus inter vos? Osten»dat ex bona conversatione operationem suam in »mansuetudine sapientiae. Quod zelum amarum

---

32) Proverb. XXVI. 12. Rom. XII. 17. II. Corinth. XI. 19. Gal. VI. 1. Eccl. XXV. 13. sqq.

33) Cf. *Lamindi Pritani*, seu *Muratorii* de ingeniorum moderatione l. II. c. 1. sqq.

»habetis et contentiones sint in cordibus vestris: »nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi »enim zelus et contentio, ibi incenstantia et omne »opus pravum. Quae autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, »modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans, sine »simulatione. Fructus autem justitiae in pace seminatur facientibus pacem 34).« Utinam ad hanc normam et eruditorum dignitas et eruditionis indoles exigeretur et pretium.

§. 689.

5) *Eruditorum quorundam vitia.*

His officiis (§. praec.) et eruditionis fini prorsus repugnant *vitia quaedam*, in quae non pauci prolabuntur. Quamvis enim eruditionis genuinae species quaelibet, utpote quae intellectum illustrare, judicium acuere, rationem exercere, sensionum facultatem nobilitare, animum utiliter occupare, et a cupiditatibus sensuumque illecebris abstrahere possit, virtuti viam parare, eique subsidio esse valeat debeatque (§. 154.): non raro tamen eruditio nedum moralitati adjumento non est, sed hominum vitio abusuque in variorum naevorum ac vitiorum occasionem vertitur. Inde varia seu *spuriae eruditionis*, seu *eruditorum* prodeunt *vitia:* nimirum 1) *galantismus litterarius*, qui severiora quaevis, majori virium impendio rimanda, licet utilia aut necessaria, leviter transilit, et tanquam tetricorum hominum negotia aspernatur, atque jucunda solum, amoena, ludi-

34) Jacob. III. 13—18. cf. Proverb. XIV. 16. 29. XVII. 27. XIX. 11.

cra, ad genium ac morem accommoda, aut saltem elegantiora venatur. Quo pertinet die Flitter-Mode-Tändeley-Romanen-Schau-Gelehrsamkeit. a) *Pedantismus litterarius* et *micrologia scientifica*, vi cujus rebus levibus magnum statuitur pretium, minutiae consectantur, aut non sine fastu et insignis sapientiae prudentiaeque ostentatione venditantur (die gelehrte Windmacherey, Prahlerey, Wortkrämerey) [35]. 3) *Polymathia litteraria* et *multa scripturandi prurigo*, seu plurimarum rerum superficiaria, ut ajunt, notitia et quaecunque tandem scribendi libido (die seichte Vielwisserey, die Journal- und Catalogengelehrsamkeit, Vielschreiberey); etc. 4) *Spinosarum quaestionum*, *abstrusarum* et supra captum positarum rerum indagatio consectatioque, aut studiosa *profunditatis obscuritatisque affectatio*; item *demonstrandi*, quae non debent possuntve, *vana cupido*. 5) *Novandi reformandique pruritus* et libido, qua antiqua quaevis sugillari, despici, destrui, odiosa reddi; nova et paradoxa fingi, jactari, adorari, et pro oraculis venditari solent; aut contra 6) *antiquitatis*, *auctoritatis*, *sectae scholaeve superstitiosa veluti adoratio*, et quaedam, ut ita dicam, *idololatria litteraria* [36]. Ex his consequi solent 7) *despotismus litterarius*, quo quis omnes ad sua, vel sectae suae placita, veluti totidem oracula serviliter exosculanda obstringere, et adversa sentientes persequi amat; item 8) *charlataneria litteraria* iis propria, qui soli sapere, videre soli et penetrare, sua adorare, ceteros prae se ceu fungos, vappas, talpas despicere; aliena velut quisquilias dedignari solent; quo item referenda est

35) Cf. *Ulrich Hüber* Rede von der Pedanterey.
36) Cf. lib. idololatria litteraria.

injusta unius *scientiae* cum ceterarum contemtu juncta *dilectio* commendatioque 37). Item 9) *disputandi, consequentias faciendi, cavillandi, verba torquendi, falsas doctrinas affingendi, haeresificandi, irridendi, amare sugillandi,* inurbaneque *censurandi,* naevos quosque *indagandi* et *exprobrandi cacoethes et libido* (Consequenzen-Ketzermacherey, gelehrte Klopffechterey und Schmähsucht). 10) *Monopolii litterarii usurpatio* non sine injustitia aut aliorum contemtu occupata et sustentata; quo pertinent (die Brod-Gewerb-Gelehrsamkeit). 11) *Publicitatis,* ut ajunt, *abusus* (§. 572. not. 2.) ad denigrationes, calumnias, famosos libellos, ad potestatis publicae legumque auctoritatem minuendam. Demum 12) *scepticismus* litterarius, aut religiosus. 13) *Pseudorationalismus religiosus,* quo religio non *ad universalia* rationis principia, sed ad cujusvis *sectae* aut *hominis* placita sophistica fingitur refingiturque; hinc *moralitatis, religionis, revelationis* aut *neglectus,* aut *irreverens,* temeraria et arrogans *disquisitio,* tractatio immutatioque, de qua suo loco redibit sermo.

*) Haec similiaque vitia ut evitentur, scripturae auctoritas nos praemonet: quae 1) *altera parte* eruditionis ac sapientiae genuinae dignitatem utilitatemque mirifice 38) commendat; 2) *altera parte* spuriae eruditionis aut sciolorum vitia damnat, et contra ea fideles praemuniens: a) »Non in sermone, »monet, est regnum Dei, sed in virtute 39); item: »b) Si quis se (superbe) existimat scire aliquid, »nondum cognovit, quemadmodum oporteat sci-

37) Cf. *Wiest* encyclopaed. et methodolog. theolog. §. 186. sqq. *M. Sailer* Glückseligkeitsl. I. Th. §. 219. sqq.

38) Cf. lib. sapientiae c. VII. VIII. X. XI.

39) I. Cor. IV. 20.

»re 40),« nempe ut modeste sapiat, et moraliter bene agat; rursus c): »Hoc autem dico, monet apo»stolus 41), ut nemo vos decipiat *in sublimitate ser»monum* — videte, ne quis vos decipiat per philo»sophiam et inanem fallaciam secundum traditionem »hominum — secundum praecepta et doctrinas ho»minum, quae sunt rationem (speciem) quidem ha»bentia sapientiae, in superstitione (at ficta haec sa»pientia reipsa est superstitio); item d) hortatur: »Ne unus adversus alterum infletur pro alio . . quum »enim sit inter vos zelus et contentio, nonne car»nales estis et secundum hominem ambulatis 42)?« demum e) Timotheum Titumque, atque in his omnes praesertim religionis doctores admonet Paulus 43): »Haec doce et exhortare. Si quis aliter do»cet et non acquiescit sanis sermonibus Domini no»stri Jesu Christi, et ei, qui secundum pietatem »est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed lan»guens circa quaestiones et pugnans verborum; ex »quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphe»miae, suspiciones malae, conflictiones hominum »mente corruptorum etc. Noli contendere verbis; »ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem au»dientium. Stultas autem et sine disciplina quae»stiones devita, sciens, quia generant lites: ser»vum autem Domini non oportet litigare, sed man»suetum esse ad omnes, docibilem, patientem, »cum modestia corripientem eos, qui resistunt ve»ritati.« Ex queis ipsis monitis jam colliguntur quaedam erga eruditos officia.

§. 690.

4) *Officia erga eruditos.*

Ceteris *erga doctos*, eruditos et sapientes haec fere incumbunt *officia:* 1) ut *vere* doctos et sapientes, quantum par est, dignoscere et ab homini-

40) I. Cor. VIII. 2.
41) Col. II. 4. 8 22. sqq.
42) I. Cor. III. 3. IV. 6.
43) I. Timoth. VI. 4. sqq. II. Timoth. II. 14. 23.

bus eruditionem falso affectantibus, astutis, versutis, irreligiosis, aut sub vana sapientiae specie alios seducentibus illudentibusque discernere discant; 2) ut a pseudophilosophorum, fallacium reformatorum illustratorumque sophismatis, technis dolisque et periculosis varii generis scriptis sibi caveant; contra 3) *eruditos* atque vere sapientes maximo in honore habeant 44); eorum indefessam sedulitatem, animi contentionem constantiamque rite aestiment, utque insignes, quas utrique reipublicae praestant, aut certe afferre conantur, utilitates grato animo agnoscant; proinde eorum studia consiliaque modis omnibus sustentare satagant; 4) inprimis a) sapientum prudentumque monita, consilia, instructiones lubenter avideque et reverenter auscultent; b) scripta eorum salutaria studiose et cum seria proficiendi intentione contentioneque perlegant; c) eorum documentis monitisque, si rationi, evangelio ac christianae prudentiae consentientia intellexerint, prudenter credant, et facta sensaque sua conformare studeant; attamen 5) ut ne in tanta venenatorum librorum colloquiorumque multitudine per malesanorum consuetudinem, scripta librosque decepti aut tempus inutiliter perdant, aut etiam imprudentes eorum periculosis, falsis, impiis doctrinis et principiis mentem animumque corrumpant, non ignotos quosque obviosve, etsi specioso pioque etiam titulo insignitos, libros arripiant, nec quorumvis, etsi eruditos se jactitent, effata pro oraculis habeant: sed hac in re, si qua alia, prudentum piorumque, praesertim pastorum etiam consilia exquirere et sequi nunquam negligant; inprimis 6) tum *scri-*

44) Eccl. XXVI. 25. sq.

pturae, quae contra illusorum horum fallacias tam sollicite fideles praemonet [45]) et praemunit, monita (§. praec. not.) et auctoritatem, tum maxime infallibile ecclesiae magisterium nunquam non summe revereantur. Qui enim ecclesiam et ejus rectores audit, ipsum Deum Christumque audit [46]): »Nam ipse Deus dedit . . . pastores et do»ctores . . . ut non jam simus parvuli fluctuantes »et circumferamur omni vento doctrinae in ne»quitia hominum, in astutia ad circumventionem »erroris. Veritatem autem facientes in charita»te crescamus in illo per omnia, qui est caput, »Christus [47]).«

*) Praeter haec officia erga eruditos cuivis privato communia, alia erga eosdem a) *magistratibus*, alia b) *censoribus* incumbunt: nempe 1) magistratus uti scientias, artes, notitias utiles et necessarias, ita eruditos ac doctores auctoritate, liberalitate, opibus fovere, ac liberaliter sustentare, malesanorum autem molimina reprimere tenentur. 2) *Censores* vero ac ephemeridum litterariarum scriptores id eruditis ac reipublicae litterariae debent, ut a praejudiciis, a partium et sectarum studiis, ab odii, aemulationis, vindictae affectibus alienissimi uno sincero-que veritatis studio ducantur (§. 574. n. 2.), et in censendis scriptis non justitiae solum, sed quam maxime etiam charitatis christianae, prudentiae ac modestiae leges servent. Ceterum de censorum officiis vitiisque vid. *Muratorius de ingeniorum moderatione* L. II. c. 1—6.

45) I. Timoth. IV. 1. sq. II. Timoth. III. 1—7. 13. IV. 3. II Petr. III. 3. Judae. 18.
46) Matth. XVIII. 17. Luc. X. 16.
47) Ephes IV. 11—15.

ETHICAE CHRISTIANAE
PARS QUARTA.

ASCESIS CHRISTIANA.

PRAENOSCENDA
DE
ASCESEOS NOTIONE, DIVISIONE, SCOPO.

§. 691.
Asceseos christianae 1) *notio;*

Ascesis christiana nobis est ea ethicae christianae pars, quae virtutis et perfectionis christianae *impedimenta adjumentaque* praecipua investigat *modumque* ostendit, quo *illa* rite *removeri*, *haec* autem *adhiberi* ita valeant, ut christianus quivis ad summum, qui facultatibus suis statuique congruat, virtutis et perfectionis christianae gradum possit pertingere (cf. §. 22).

*) Ascesis christiana differt 1) ab *ascesi philosophica* ratione fontis maxime ac subsidiorum praecipuorum: item 2) ab *ascesi mystica*, ut ajunt: nedum 3) a *pseudomystica* (§. 22. n.)

§. 692.
Divisio et partes.

Ascesis christiana 1) *distingui* potest a) *generalis*, quae de virtutis christianae impedimentis adjumentisque generatim pertractat; et b) *specialis*, quae speciatim de utrisque agit; et illorum removendorum, horum adhibendorum modum ostendit *). Hujus autem 2) *partes tres* assignare juvat, quarum a) prima de virtutis christianae *impedimentis*; b) altera *de adjumentis* exponit; c) tertia *aphorismos*

morales prudentialesque de *modo* perfectionis christianae in se aliisque promovendae complectitur.

*) *Ascesin christianam generalem*, utpote, cujus cognitio ad distinctam ethicae christianae communis et specialis pertractationem necessaria videbatur, jam in theologia practica universali (§. 150 — 157.) consulto praeoccupavimus: unde de *speciali* heic duntaxat agendum.

§. 693.

3) *Finis et utilitas.*

Finis asceseos christianae distingui potest proximus et remotus. Porro *finis* ejusdem 1) *proximus* est, ut virtutis impedimenta removere, subsidia aptissima adhibere doceat; 2) *remotus* autem est formatio ac perfectio characteris moralis, id est, tum emendatio tum determinatio coordinatioque status hominis in- et exterioris (§. 303. n. 2.) talis, ut certo expediteque obtineri queat purae in- et extensae ac constantis virtutis seu perfectionis christianae gradus cujusvis viribus ac facultatibus consentaneus, seu respective possibilis summus; *bonum cujusvis personae supremum*, et hoc mediante *summum universi bonum* (§. 10. n. 2.) *). Jam vero ex hoc ipso, quo cum nobilissimo isthoc fine colligata est, nexu arctissimo satis per se patescit 3) *summa utilitas necessitasque* asceseos christianae, quae praeterea alias item maximas utilitates habere noscitur **).

*) Uterque hic *finis* idcirco etiam majore attentione dignus est, eoquod a) non pauci circa virtutis *impedimenta* incurii christianam pietatem consequi se posse sperent; aut b) *subsidia* vel inepta prorsus, vel minus efficacia adhibeant; imo c) circa *ipsum finem remotum* vehementer errent. 2) Neque enim, ut falso quidam opinantur, *finis* asceseos est a) *sola*

a gravioribus criminibus delictisque expurgatio; aut b) *una* actuum legalitas decentiave exterior; nec c) *sola* prudentia agendique dexteritas; nec d) enthusiasmus circa *quasdam duntaxat* actiones, etiam morales religiosasque; nec e) propositum studiumque *quaedam solum* officia rite explendi; nec f) violenta sensualitatis per corporis afflictationes asperitatesque suppressio; sed g) *omnium* facultatum, virium, item status quoque externi, quatenus in hominis potestate est, ad possibilem *summam universalis* justitiae et ad virtutis christianae perfectionem reformatio, adaptatio, conformatio, atque inde consecuturum *supremum cujusvis et summum generis humani bonum.*

**) Nempe dum ascesis proprium cujusvis *moralem characterem* format figitque, hoc ipso utilitatem itidem praestat 1) ad moralem aliorum statum emendandum ac perficiendum; inprimis 2) *ad rectam educationem* et moralem *liberorum institutionem* (Kinderzucht, Erziehung); item 3) ad *publicam* per magistros juventutis institutionem (Volks- und Jugenderziehung); imo 4) ad *institutionem nationalem* per legislationem culturamque politico-moralem (moralische Nationalbildung); maxime 5) ad *institutionem religiosam* privatam publicamque (moralischer Religionsunterricht). Quare asceseos tum vulgaris tum erudita maxime notitia parentibus, magistris, reipublicae rectoribus summe utilis saltem; religionis autem ministris ad rite officio suo perfungendum est prorsus summeque necessaria. Cf. *C. Christ. Erh. Schmid* Versuch einer Moralphilos. §. 655.

***) His praemissis jam ad ipsas *asceseos christianae specialis partes* progredimur; primumque de virtutis christianae impedimentis tum a) *internis* immediatisque; tum b) *externis* ac mediatis (§. 150.) dicemus.

SECTIO I.

DE IMPEDIMENTIS VIRTUTIS ET PERFECTIONIS CHRISTIANAE.

CAPUT I.

DE IMPEDIMENTIS MORALITATIS, VIRTUTIS ET PERFECTIONIS CHRISTIANAE INTERNIS IMMEDIATISQUE.

§. 694.

Impedimenta interna varii generis: quatenus adversantur

Interna virtutis perfectionisque christianae impedimenta in varias classes distribui possunt. Nos illa consideramus, qua 1) culturae *rationis moralis*; 2) culturae *intellectus judiciique practici;* item 3) culturae *sensionis moralis;* et 4) *domationi sensualitatis affectuumque sensualium* adversantur; seu sensu biblico: quatenus *scientiae Dei, intellectui spirituali, prudentiae sapientiaeque,* item *temperantiae, fortitudini* et *justitiae christianae* (§. 145. n. 2. 4.) aut *contradictorie* aut *contrarie* opponuntur (§. 151.)

§. 695.

1) *Culturae rationis moralis.*

Porro, quae *culturae rationis moralis* adversantur, *virtutis impedimenta* inprimis sunt:

1) *Ignorantia* aut *imperfecta, confusa mortuaque* cognitio veritatum moralitatis fundamentalium, e. g. de lege rationis, de essentiali honesti inhonestique discrimine ac principio, de animae libertate et immortalitate, de virtutis indole, conditionibus, pretio; de Deo legislatore, judice, remuneratore; de destinatione et hominis fine ultimo etc.

2) *Errores* moralitatis fundamenta evertentes pervertentesque, quo referendus a) *indifferentismus scepticismusque* practicus crassior, quo naturale essentialeque mali bonive moralis discrimen dissimulatur, negatur, addubitatur; b) *materialismus fatalismusque*, quo animae immortalitas libertasve practica negatur; c) *epicureismus*, inprimis *crassior*, quo finis hominis in sensualis voluptatis fruitione; *subtilior*, quo in una felicitate promovenda reponitur; d) *deismus superstitiosus*, quo Deus aut hominum incurius, aut virtutem vitiumque perinde habens, aut bona malave pro arbitrio tribuens, aut praemia aeterna aliis, quam per morales actus merentibus, largiturus creditur etc.; e) *rationalismus naturalismusque practicus et religiosus*, quo rejecta aut omni aut positiva saltem religione revelationeque una cujusvis ratio tanquam moralitatis et religionis regula completa unicaque; aut moralitas autonomiaque omnis religionis expers tanquam perfectionis humanae apex venditatur; f) *libertinismus religiosus* eorum, qui »*circumferuntur omni vento doctrinae* in nequitia »hominum, in astutia ad circumventionem erroris » [1];« g) *dogmatismus superstitiosus*, seu error eo-

1) Ephes. IV. 14.

rum, qui sola fide, qua dogmata christianae religionis vera habentur, contenti de moribus reformandis nil cogitant, et nihilominus se prae quibusvis non christianis bonos esse, aut certo aeternum beatos fore confidunt *).

3) *Praejudicia perniciosa* circa virtutis perfectionisque christianae naturam et indolem (cf. §. 142. sq.), circa ejusdem media et horum vim varia, e. g. eorum a) qui *christianam virtutem* in una quasi a gravioribus delictis *immunitate* aut actionum *legalitate* repositam credentes moralitatis religiosae amorem et studium pensi non habent, de motivi intentionisque puritate parum curant; b) qui solis *externis*, aut verborum *formulis*, aut *solis immediatae religionis actibus*, aut omnino *certis* tantum *religiosis ceremoniis*, ritibus, aliisque hominum inventis; item *precibus* prolixis, multis jejuniis, corporis afflictationibus, peregrinationibus confidentes spiritum christianae virtutis, pietatis charitatisque negligunt; qui Deum labiis duntaxat colunt; qui c) *officia erga se aliosque* propter Deum perficienda ad religionem mundam [2]) inprimis pertinere dissimulant; qui d) *media* ac subsidia virtutis christianae, saepe parum idonea, loco virtutis aucupantur, cum ipsa virtute permutant, aut certe non sine virtutis detrimento ex consuetudine, aut certe citra dignam praeparationem frequentant; e) qui uni *rationis* effato, imperio, efficaciae, aut internae religioni omnia tribuentes, sub fallaci obtentu, quod pura moralitas sit sectanda, quod Deus *rationabile* obsequium exposcat, isque in spiritu et veritate sit adorandus, *externa* religionis ac virtutis exercitia praesidiaque, atque a Deo ipso

---

2) Matth. VI. 21. Rom. VII. 13. Jacob. I. 22—27.

praescripta subsidia nil pensi habenda arbitrantur; imo *motiva* a Deo et religione sumta, veluti *autonomiae* et moralitatis puritati periculosa inimicave aspernantur; qui f) aut dementi impioque *fastu* omnia suis viribus tribuunt, aut per falsam *humilitatem* nimis tenuiter aut abjecte de se sentiunt nec Dei juvantis potentiam gratiamque respiciunt.

*) **Enimvero non desunt inter christianos etiam homines, 1) qui sola dogmatum fide professioneve, aut publici religionis exercitii frequentatione freti, atque interim de cordis emendatione, de officiorum sibi, suis, ac proximis debitorum executione parum solliciti se favorem Dei demereri arbitrantur; imo 2) qui peccata varia, etsi nulla digna poenitentia fuerint retracta emendataque, per mechanicam sacramentorum receptionem purgari, aut per quarumdam exercitationum religiosarum frequentiam veluti compensari opinentur; 3) qui accidentalibus aut minus utilibus pietatis subsidiis inhaerentes essentialia substantialiaque atque finem ipsum negligunt; 4) qui onera varia suo arbitratu inventa sibi imponunt, et mandata Dei more pharisaeorum negligunt; 5) qui alios ab hac superstitione alienos severe dijudicant, sugillant, aspernantur, et nihilominus se ceteris meliores cum pharisaeo illo evangelico suspiciunt aut praedicant; 6) qui efficaci erga proximos charitate vacui, tamen veluti *devotos* se religiososque falso temereque existimant. Luc. XVIII. 9. sqq. cf. Matth. XXIII. 2. sqq.**

§. 696.

a) *Culturae intellectus et judicii practici;*

Culturae *intellectus judiciique practici* quae obstant, *impedimenta virtutis* et perfectionis christianae inprimis sunt 1) *neglectus* verae distinctaeque *cognitionis sui ipsius* (§. 304. sqq.), *hominum* (§. 487. sqq.) *Deique* (§. 233.), quibus officia de-

bentur; item *mundi physici et moralis*, quorum genuina notitia ad rite cognoscenda determinandaque officia et ad regulas agendi individuas formandas prorsus necessaria est (cf. §. 145. 324. sq.); 2) *falsa erroneave judicia* et naevi circa cognitionem a) *sui ipsius*; b) *aliorum*; et c) *Dei*, quoad eas maxime Dei perfectiones, per quas officia hominis determinantur reguntur que; item d) *mundi physici et moralis*; 3) *incuria inconsiderantiaque* circa actus suos liberos; *negligentia* in iis ad legem rationis evangeliique comparandis, dijudicandis; *praecipitantia judicii*; atque inde 4) *conscientiositatis neglectus* (§. 113.); *erronea falsaque, laxa* aut *scrupulosa conscientia* (§. 108); exin 5) *praejudicia moralia* varii generis circa officia communia aut status peculiaria, circa eorum regulas, ordinem, item circa officiorum praevaricationes, morum emendationem; demum 6) neglectus culturae facultatis intelligendi generatim (§. 324—333.), aut vitia et peccata huic culturae contraria, quae in scripturis *prudentia carnis et mundi, carnis sapientia, coecitas cordis, excoecatio mentis* appellantur [3]); postremo 7) *coeca aliorum judicia factaque* sine discrimine *sequendi* cupido; de qua mox sermo redibit.

§. 697.

3) *Culturae sensionis moralis et facultatis appetendi.*

Impedimenta virtutis christianae circa *sensionis moralis imperfectionem* perversionemque versantia sunt 1) imperfecta notitia, aut errores praejudiciaque circa *boni malive physici* aut *moralis* indolem, pretium, utilitatem, facilitatem, aut gravitatem, molestiam, nocendi vim; 2) *negli-*

---

3) Rom. VII. 6. sqq. Ephes. IV. 19.

gentia per rationis judiciique practici exercitationem et inprimis per sensionis *sensualis aestheticaeque* culturam et subordinationem perficiendi augendique *sensionem moralem* (§. 334. sq.); 3) *omissio abnegationis* sui ipsius, et *subordinationis* tum affectionum *primitivarum*, tum inprimis affectus inordinati fors in homine *dominantis*, quo brevi moralis sensio obtunditur pervertiturque *); item 4) *vehementia* et magna in- et extensio *affectuum, propensionum, libidinum sensualium* per actuum frequentiam, objectorum allicientium praesentiam, occasionum ad eas explendas opportunitatem, per humorum et temperamenti, ut vocant, indolem sustentata fotaque; 5) indomita *superbia, philautia sensualis*, habendi *cupiditas* (§. 151. n.), ex quibus omne vitiorum genus pullulat, et virtutis impedimenta nascuntur (§. 166. sq.); inprimis etiam 6) *respectus humanus*, ut ajunt, et *hominum metus*, quo immodico aliis aut placendi studio, aut displicendi metu ad ea, quae dedecent, agenda; ad ea vero, quae fieri debent, omittenda adduci nos patimur, aut certe non tam ob officii Deique reverentiam, quam ob hominum aliorum placitum etiam legaliter recta agimus **); quo affectu praesertim dominante virtuti vix perniciosius quidpiam esse potest, neque vanius etiam; 7) *coeca indomitaque alios imitandi cupido*; qua ducti a) omnia aliorum dicta, facta, imo gestiones etiam sine discrimine et dijudicatione imitamur; aut b) minutias, quin et exotica solum aliorum exempla veneramur; aut c) eorum, qui aetate, conditione, opibus a nobis magnopere distant, e. g. gravitatem levitatemve, auctoritatem, magnificentiam, luxum exaequare conamur; aut d) pessima etiam aliorum dicta fa-

ctave imitatione sequimur; quae imitandi coeca libido juventutem maxime, et homines gloriolae cupidos, respectu metuque hominum excoecatos facile pessimeque corrumpit, judicium morale plane pervertit; 8) *summa inconstantia*, quae *multa* bene proponit, et *nihil* vel quaedam solum imperfecte exequitur.

*) Interest quam plurimum, ut a) quisque *affectum* fors animo *dominantem* investiget; b) indolem, vires, ejusque in actiones influxum sagaciter exploret; c) eidem moderando subjugandoque primas curas impendat, utpote quo in ordinem nondum redacto omnia poene vera constansque emendatio et virtutis stabilimentum in irritum recidere solet.

**) Respectus humani *pessimos effectus* 1) describens S. Chrysostomus: »Hoc ergo, inquit, susque de»que facit omnia; hoc universum orbem terrae con»turbat, quod ad *homines aspicientes* omnia agi»mus, et in bonis nihil esse ducimus, quod habea»mus Deum admiratorem, sed a conservis requiri»mus famam et bonam aestimationem; in contrariis »Deo rursus despecto homines formidamus. . Pro»pterea etiam, quae vere sunt bona, quum multis »non videantur esse talia, fugimus, non rerum »examinantes naturam, sed ad vulgi aspicientes »opinionem. Et in malis itidem affecti, rursus quae»dam, quae non sunt bona, et vulgo videntur es»se bona, tanquam bona prosequimur ex eadem »consuetudine 4).« At vero 2) quid hoc respectu vanius? certo a) impossibile est omnibus placere; imo b) necessum est virum bonum displicere improbis. Unde Paulus, *Si adhuc hominibus placerem*, ait, *Christi servus non essem* 5). Item 3) quid instabilius breviusve hominum gratia, admiratione, quae in horas mutatur? Belle igitur 4) monet Epictetus 6): »Sapientiae studium suscipere

4) *S. Chrysost.* in I. ad Corinth. hom. 12.
5) Galat. I. 10. cf. Proverb. XXIX. 25. sqq.
6) *Epictetus* enchir. 29.

»cupis? Statim te para, quasi futurum sit, ut de»ridearis, ut multi te subsannent. . . Tu vero ea, »quae optima videbuntur, sic teneto, quasi a Deo »sis in ea statione collocatus. Ceterum memento, »te, si in eodem statu permanseris, iis tandem ad»mirationi fore, qui te prius deriserunt; sin eis »succubueris, dupliciter fore deridendum.« Quare 5) Christus non homines malos, sed Deum esse timendum 7) hortatur.

***) De remediis et modo impedimenta hucusque recensita removendi antehac plura jam commemoravimus, atque inferius, praesertim in aphorismis moralibus, recurret sermo. Dicendum igitur

---

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS MORALITATIS, VIRTUTIS ET PERFECTIONIS CHRISTIANAE EXTERNIS ET MEDIATIS.

---

§. 698.

Variae de his opiniones.

In assignandis recensendisque externis christianae virtutis impedimentis varius ac diversus plane est auctorum sensus. 1) Antiquiores de iis aut tacent, aut ad summum illa sparsim omnemque citra ordinem pertractant. 2) Alii pauciora tantum et *proximiora*, alii multo plura 8) enumerant. 3) Alii eadem certas veluti in classes

---

7) Matth. X. 28.

8) Vid. *Mosheim* Sittenlehre der heil. Schrift. I. Th. n. 454. *Müller* Auszug §. 53—67. *Doederlein* kurzer Entwurf der christl. Sittenl. §. 30—42.

dispescunt *), quorum vestigiis insistentes itidem quasdam eorum classes constituimus.

*) Ita e. g. 1) alius 9) id omne sub externorum impedimentorum numero censet, quidquid a) indigentias sensuales multiplicat; b) sensiones sensuales gratas auget, morales debilitat; c) praejudicia moralia procreat aut fovet; quidquid d) judicium morale pervertit; e) notitiam gustumque illecebrarum periculosarum et jucunditatis cum vitiis junctae propagat et extendit. Alius 2) ea dividit in impedimenta a) der gelehrten Welt; b) der vornehmen Welt; c) der politischen Welt; d) der religiösen Welt 10), cujus fere divisionem adoptamus.

**) Ceterum virtutis praecipua impedimenta et immoralitatis corruptioris causae insigniores censentur 1) *juventus* a) probae educationis impatiens; b) instructionis religiosae incuriosa; c) religionis devotionisque fastidiosa; d) otii jucunditatumque periculosissimarum avidissima; e) malis aliorum principiis exemplisque seducta. 2) *Parentes* a) rectae ac moralis maxime educationis ignari aut negligentes; aut b) id negotium male curantes; c) liberis nimium, imo perniciose indulgentes; d) sobolem mundo tantum, non Deo educantes. 3) *Superiores* rectoresque tum *politici*, tum *ecclesiastici* a) officii sui ignari; aut b) negligentes; e) quae sua sunt, non quae Dei aut salutis communis, quaerentes; d) bono exemplo haud praelucentes; imo e) vitiis indulgentes aut facem quoque praeferentes. 4) *Pseudoeruditi* a) religionem christianam, imo positivam quamque, varie impetentes; b) perversissima principia suis in scriptis propinantes; c) pessime irreligiositatis exempla praebentes; aut contra d) superstitionum varium genus imprudenter tuentes; e) omni, utili etiam ac necessariae reformationi pertinaciter aut insipienter se opponentes. 5) *Nobilitas* a) more perverse polito, b) sermone

---

9) *Chr. Erh. Schmid* Versuch einer Moralphilosoph. §. 649. pag. m. 805. sq.

10) *Mich. Sailer* Glückseligkeitsl. II. §. 106—228.

pessime corrupto; c) malis exemplis; atque d) luxu immodico a virtute religioneque alios avocans, in vitia pelliciens. 6) *Populus* a) morali imperfecta cognitione imbutus, aut mechanica religionis exercitatione contentus; b) mundi male politi vitiis in transversum actus; praesertim c) libertatis exlegis cupiditate ac libidine excoecatus: quo *libertatis libidine* itidem omnis fere ordinis homines *hodie* inprimis agitari videntur; dum jam nati parentum, famuli herorum, discipuli magistrorum, clerici episcoporum, regulares praelatorum, subditi alii superiorum, cives imperantium auctoritatem et justa etiam imperia veluti intolerabile jugum reputantes, arrepta quavis occasione naturae, civitatis, ecclesiae, pacti leges et vincula rumpere calcareque saepe nil dubitant. At vero haec generatim dicta haud eo sensu intelligimus, quasi vero universos singulosve omnis conditionis homines de vitiis his accusare, aut aevo nostro dicam famosumve scribere libellum velimus; aut nostrum aevo quovis superiore pejus credamus. Nam quaevis hominum conditio bonos malosve semper comprehendit, aevum quodvis suis et vitiis periculisque urgetur, sua et decora habet virtutisque incitamenta et exempla. Quo itidem sensu ea, quae deinceps dicturi sumus, intellecta volumus. Unde

§. 699.

Diversae eorum classes.

Placet nimirum impedimenta virtutis externa distribuere in impedimenta I. *mundi et status puerilis juvenilisque,* inprimis ratione *educationis;* II. *mundi et status litterarii* ac eruditi; III. *mundi et status religiosi;* IV. *mundi et status politici* maxime publici; V. *mundi et status nobilioris* politiorisque; VI. *mundi et status popularis.* Igitur sit

ARTICULUS I.

IMPEDIMENTA CHRISTIANAE VIRTUTIS RATIONE MUNDI STATUSQUE PUERILIS JUVENILISQUE.

§. 700.

Impedimenta moralitatis inprimis ex neglecta perversave juventutis educatione; cujus exponuntur

Virtutis impedimenta *mundi puerilis juvenilisque* equidem partim in ipsius puerilis genii ingeniique levitate, mobilitate, inconstantia, in omnem partem flexibilitate, summa in voluptates sensuales propensione etc. continentur (§. 678.): maxime vero educationis defectu vitioque augentur; quemadmodum enim educationis tum physicae, tum intellectualis moralisque recta ratio insigne ac summe necessarium est christianae virtutis tum fundamentum tum subsidium (§. 600. sqq.): ita e contrario 1) educationis puerilis juvenilisque a) *neglectus* praecipuum virtuti praesidium detrahit; b) ejusdem autem *perversitas* virtuti omnem poene aditum praecludit, aut certe vix non insuperabile objicit impedimentum *). Igitur hoc loco 2) educationis neglectae perversaeve a) *causas*; b) *naevos* et vitia praecipua; c) *effectus pessimos*; d) *remedia generalia* strictim recensenda.

*) *Educationem* sensu latiori acceptam non solum praecipuum tum corruptionis, tum culturae physicae moralisque, sed *primarium* esse fontem multis commonstrare nititur: *Weiler* über die gegenwärtige und künftige Menschheit, eine Skizze u. s. w. pag. 120 — 141.

§. 701.

1) *Causae praecipuae;*

Educationis autem tum *neglectae* tum *perversae* praecipui fontes causaeque sunt 1) *ignorantia, error,* aut *imperfecta* cognitio persuasiove de *momento educationis;* 2) *immodicus* parentum in liberos affectus et *sensualis amor;* 3) *bene ordinati in suos amoris inopia,* aut neglectus; 4) *ignorantia* praejudiciaque aevi falsa circa rectum *educationis modum ordinemque;* 5) *imprudens* malaque *electio* aut *tractatio* eorum, quibus educationis negotium vel totum vel partim committitur, e. g. *nutricum, institutorum institutricumve* et *magistrorum;* quibus aut justa scientia dexteritasve, aut diligentia aut auctoritas desunt; 6) *neglectus* certi, secundum quod educationis negotium suscipitur, *principii,* systematis aut rectae regulae *).

*) Nam vulgo non rationis evangeliique lex, sed 1) parentum genius ingeniumque; 2) mos seculi dominans; aut 3) casus quasi educationis normam modumque determinat.

§. 702.

2) *Naevi et vitia insigniora;*

Inde pullulant *naevi et vitia rectae educationi opposita,* inprimis 1) *educationis* praesertim moralis *procrastinatio neglectiove,* aut ejus negotii in alios, saepe minus aptos, *translatio;* 2) *indulgentia nimia* et mollior liberorum quoad corpus animumque tractatio (die Verzärtlung); item immodica dilectio et de prolium physica moralique perfectione imprudens fiducia et persuasio; aut contra 3) *durities* et *austeritas immodica* in proles, *despoticaque* eas tractandi ratio [11]); 4) *methodus educationis*

11) Coloss. III. 12. Ephes. VI. 4.

ratioque aut a) per se inepta, mechanica; aut b) genio, ingenio, aetati, indoli, futurae conditioni educandorum haud accommodata; aut c) moralitati eorum minus congruens; 5) *magisterii* et *magistrorum vilitas*, contemtio et neglectio; inde proveniunt

§. 703.

3) *Effectus pessimi;*

Ex neglecta autem et perversa educatione *perniciosi* prorsus *effectus* proficiscuntur; atque

I. *Educationis* quidem *neglectae effectus mali* inprimis sunt, ut 1) sensualium repraesentationum habitus, quin rationales eidem opponantur, indies augeatur; 2) stimuli sensuales usque et usque magis invalescant; 3) desideria sensualia vehementiora magisque indomita reddantur; inde 4) excolendae rationis practicae et intellectus judiciique practici perficiendi taedium enascatur; imo 5) omnis fere ratione, intellectu judicioque practico rite utendi facultas enervetur; 6) falsis autem judiciis, malis cupiditatibus et vitiorum illecebris via sternatur.

II. *Perversae* contra *educationis effectus* pessimi fere sunt, ut nativis hominis habilitatibus (§. 52.) varia vitia vitiorumve semina implantentur: nempe 1) *ex molliore indulgentia* (§. 702.) effaeminatio, cupediarum aviditas, gulae vitium, pertinacia superbiaque, praematuri veneris stimuli, exlex genio indulgendi licentia, otiique ac voluptatum amor nascitur *). 2) Ex nimia *duritie* et *austeritate*, item ex despotica agendi ratione (§. 702.) suppressio juvenilis activitatis in corpore et animo, genii asperitas, animi morositas et obstinatio, mentis stupiditas, apathia, scientiarum et

religionis odium, hypocrisis saepe consequitur. 3) *Ex inepta inordinataque* educationis et institutionis ratione, e. g. si finis, principia, motiva, incitamenta, exempla virtutis alia, quam debent, imo quae virtuti officiunt magis, quam adjumento sunt, proponantur, falsa *varii generis praejudicia* tum moralia religiosaque, tum litteraria et politica etiam, queis judicium morale pervertitur, aut ita occupatur, ut veritati ac virtuti jam remotae sint, aut viam in juvenum animos prorsus praecludant. 4) Ex *sinistrae educationis modo*, (praesertim si institutio non ad normam certorum rationi et evangelio consentaneorum principiorum, sed ad politiae externae, ad cultioris philautiae, ad ambitionis aut falsae existimationis amussim exigatur; si mala parentum magistrorumque exempla stimulum imitationis in juventute pervertant), brevi aut juvenum patens oritur perversitas, aut ad summum quaedam sub honestatis, humanitatis, officiositatis specie illudens actionum concinnitas elegantiaque enascitur, quae, dum pro genuina virtute venditatur aut habetur, virtuti potius impedimento, quam adjumento esse solet.

*) Porro 1) *praematuri veneris stimuli* excitari solent a) incautis corporis puerilis contrectationibus, motibus, blanditiis, lusibus, denudationibus; b) colloquiis minus cautis castisve parentum, domesticorum, aliorum; c) conversatione, cohabitatione utriusque sexus puerorum juvenumve, conventiculis eorum, item chorearum, spectaculorum frequentatione aut contemplatione etc. . . 2) *Superbia pertinaciaque* implantatur, a) dum puerorum dotes, progressus immodice extolluntur; b) dum nullius momenti qualitatibus actibusque, e. g. divitiis, nobilitati, dexteritati, ingenii praestantiae aut vanae scientiae nimium tribuitur; c) dum imperfe-

ctiones naevique morales impunes relinquuntur, excusantur, defenduntur; d) dum omnibus puerorum desideriis ceditur. Atque ita 3) teneris jam animis vitia, aut certe eorum semina inseruntur, non nisi difficillime deinceps eradicanda; nam *quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.* Et Sapiente teste 12): »Adolescens juxta viam suám etiam »cum senuerit, non recedet ab ea.«

**) Malae educationis, imo seductionis periculo inprimis expositi videntur illi pueri nobilium cubicularii (Kammerjunker, Jaquets), qui a) quoad institutionem moralem saepe neglecti et b) in iis summum, quae ad luxum pertinent mollitiemque sapiunt, instructi, c) cum servis aliis otiosis saepe petulantibusque sociati vivunt; d) plurima vident audiuntque, quae mentem animumque juvenilem non possint non corrumpere prorsusque pervertere; e) otio et vitae molli assuescunt; f) variisque deinceps vitiis diffluunt, rei publicae et familiari sunt oneri, et saepius frugis omnis expertes degunt.

§. 704.

4) *Remedia opponenda.*

Remedia educationis neglectui perversitatique opponenda inprimis sunt: 1) *naevorum,* queis educationis negotium (§. 702.) corrumpitur, diligens indagatio, justa aversatio, sollicita evitatio; 2) *causarum* (§. 701.), ex quibus inprimis educationis vitia nascuntur, investigatio, et cauta remotio; 3) *pessimorum,* quae ex educationis neglectu vitiove oriuntur (§. praec.), et contra *optimorum,* quae ex recta educatione proveniunt (§. 603.), *effectuum* ponderatio; 4) *officiorum,* quae parentibus (§. 600. sqq.) magistrisque et paedagogis incumbunt (§. 631. sq.), summa aestimatio et curata diligensque executio; 5) *institutionis re-*

12) Proverb. XXII. 6.

ctae tum privatae, tum publicae per varias vias promotio (§. 545.); 6) inprimis tum a privatis tum per potestatem publicam curanda optimorum *paedagogorum* magistrorumque *constitutio*, congruens largaque sustentatio, digna honoratio, in exercendo munere suo tuitio, et ad majorem in officio suo fervorem excitatio.

ARTICULUS II.

IMPEDIMENTA MORALITATIS VIRTUTISQUE CHRISTIANAE RESPECTU MUNDI AC STATUS LITTERATI.

§. 705.

Impedimentorum horum species: nempe

Impedimenta virtutis ratione *mundi eruditi* alia quidem sunt 1) ex parte *ipsius eruditionis;* 2) ex parte *doctorum;* 3) ex parte *librorum* et *lectionis.* De quibus singulatim pauca monemus.

§. 706.

I. *Ex parte eruditionis;*

Virtuti admodum perniciosa opponi impedimenta solent *ex parte eruditionis:* nimirum 1) per *spuriae eruditionis* cum *genuina* confusionem, aut loco genuinae (§. 687.) commendationem consectationemque; 2) per *genuinae eruditionis* neglectum suppressionemve; 3) per *ejusdem eruditionis* varium, non sine insigni moralitatis, religionis, boni publici detrimento, *abusum* ex hominum vitio imprudentiaque; queis fere in *spuriam* degenerare aut effectus huic proprios proferre solet.

§. 707.

1) *Spuriae eruditionis dominatus.*

Quemadmodum *genuina* riteque coordinata *eruditio* puram virtutem religionemque atque bonum publicum etiam quam maxime juvat, ita *spuriae eruditionis dominatus* eisdem perniciose nocet. Id quod a) *indoles* inprimis et b) *pessimi ejusdem foetus* et effectus satis eloquuntur. Atque 1) *indoles* ejus virtuti adversa jam ex dictis (§. 687. n. 2. et 688.) quodammodo innotescit; 2) *effectus* autem eruditionis spuriae insigniores fere sunt, ut a) animos inflet [13]); atque hoc ipso b) inutiles quaestiones, verborum pugnas litesque et varia inde mala [14]) excitet; c) scientiam salutarem et veram pietatem impediat; contra d) impietatem excusando tuendoque promoveat [15]); atque inprimis e) *errores praejudiciaque* culturae rationis et judicii practici adversa (§. 695. sqq.) seminet ac propaget; item f) varia pseudoeruditorum *vitia* (§. 688.) *gignat*, foveat, firmet; demum g) verae genuinaeque eruditionis aestimationem, amorem et culturam magnopere *diminuat* praepediatque.

§. 708.

2) *Genuinae eruditionis neglectus ac despectus.*

Atque hi ipsi pessimi *foetus spuriae eruditionis*, quae cum *genuina* a vulgo confunditur, aut a male sanis pro genuina vendidatur, praecipua quaedam aut causa aut occasio est, cur genuina eruditio, quae christianae virtutis insigne praesidium

13) I. Cor. VIII. 1.
14) I. Timoth. VI. 4. sqq. II. Timoth. II. 14. 23. Tit. III. 9.
15) II. Timoth. II. 26. III. 7.

esse potest *), aut negligatur aut male etiam audiat atque contemnatur. Is vero genuinae eruditionis aut a) *despectus* aut b), neglectus 1) *praecipua virtutis fulcra* subsidiaque tollit; et 2) *praejudicia* virtuti religionique inimica fovet; atque ita 3) *virtutis christianae auctoritatem* aestimationemque et amorem **) diminuit, progressumque vehementer remoratur.

*) Juvat hoc loco viri perpoliti 16) verba exscribere, quae in rem praesentem itidem applicari queunt: »Die Aufklärung (auch wahre Gelehrsamkeit) an »und für sich . . sichert vermöge ihrer Natur die »bürgerliche Ruhe, und hält Religion und Sitten »rein. Die höhern Stände und das Volk, in so »fern sie die Aufklärung ausschliessen, beunruhigen »den Staat und verderben Religion und Sitten. . »Aufklärung recht verstanden, und nicht mit schie»fen Vorstellungen vermengt, ist an allen den »Gräueln, die man damit verknüpfet, unschuldig. »Denn sie ist weder mehr, noch weniger, als das »Bestreben, . . . unseren Kenntnissen grössern Um»fang, grössere Deutlichkeit und mehr Zusammen»hang zu geben. Diese innere Vervollkommnung »ist Aufruf der vernünftigen Natur, und die wir »uns schuldig sind. . . Man muss aber unter *ächter* »und *unächter Aufklärung* unterscheiden. Jene »strebt nur nach Wahrheit und theilt sich nur reifen »Köpfen mit; diese verkauft für Wahrheit So»phistereyen, Witzeleyen zum Dienst der Sinn»lichkeit und der Leidenschaft, oder theilt Wahr»heit ohne kluge Auswahl mit.«

**) De eruditionis pretio vario et respectivo jam antehac (§. 687.) diximus. Ceterum eruditio genuina utile admodum virtutis parandae, perficiendae firmandaeque subsidium est; nam 1) generatim a) in-

16) *Franz Berg* Predigten über die Pflichten der höhern und aufgeklärten Stände. Würzb. 1793. pag. 16. et 36.

tellectum instruit, judicium acuit, rationem excolit; b) sensiones intellectuales rationalesque perficit; cupiditates temperat; atque ita c) virtuti (§. 154) mentem animumque quodammodo adaptat; dumque 2) omnis generis veritates certaque principia suggerit et praejudicia eliminat, a) ad veritates morum fundamentales eruendas firmandasque servit; b) Dei, hominum, mundi physici et moralis cognitionem perficit; c) fanatismum et superstitionem e religionis regno expellit; d) varia praejudicia religiosa moraliaque detegit; sicque e) subsidia virtutis proximiora (§. 155.) promovet et impedimenta ejus immediata (§. 694.) jam magnam partem tollit aut certo imminuit.

§. 709.

3) *Ejusdem abusus.*

Virtutis denique impedimentum esse solet *eruditionis de se genuinae abusus*, qui quidem variis contingere modis potest: e. g. siquidem 1) *ordo rectus* in certa eruditionis specie pro dignitate cujusque, aut pro variis rerum, personarum, temporum adjunctis potissimum excolenda non servetur (cf. §. 687.); 2) si forte eruditionis studium ab animi emendandi, excolendi conatu sejungatur, aut non sine aliorum officiorum neglectu et moralitatis detrimento nimium urgeatur; 3) si eruditio, quae respectivum duntaxat pretium habet, moralitatisque subsidium esse debet, veluti primarius finis habeatur, nec moralitati rite subordinetur; imo si eruditione, quae de se virtutis remotum saltem subsidium esse debeat, ad varii generis vitia eruditi abutantur; de quibus jam antea (§. 688. sq) diximus, et mox pauca quaedam monituri sumus.

§. 710.

II. *Ex parte eruditorum:* 1) *publica quorundam improbitas;*

Item virtuti impedimentum opponunt eruditorum, aut hoc nomen saltem affectantium, 1) *vitia quaedam* pseudoeruditis propria aut eruditos nonnunquam maculantia (§. 689.); 2) inprimis *fastus, superbia, omnia cavillandi libido;* malesana libertatis cupido, queis abrepti ad turbandum civitatis ordinem eruditione abuti solent; 3) *improbitas* colloquiis, scriptis factisque *manifestata,* quae eo majus ad alios pervertendos, corrumpendos, in malo firmandos pondus habet, a) quo major eorum auctoritas, aestimatio ac eruditionis fama fuerit; b) quo dicendi, scribendi agendique politior elegantia, concinnitas, festivitas et lepor; c) quo fraudulentior, sub varia boni specie illudens, alias pervertendi astutia malos eorum conatus sustentat; 4) *irreligiositas* tum *negativa,* ut ajunt, seu religionis neglectus, tum *positiva,* id est: actus, verba scriptaque religioni adversa, religionis, veritatumque et rerum religiosarum despectus, irrisio, impugnatio, queis nulla pestis solet esse perniciosior. Quare de his singillatim nunc quaedam monenda.

§. 711.

2) *Religionis moralitatisque varia impugnatio;*

Ingentem item christianae virtuti et religioni stragem infert, et impedimentum quam maxime perniciosum opponit varia, ad quam sua qualicunque eruditione quidam malesani abutuntur, *religionis moralitatisque oppugnatio;* nempe

1) Dum aut *aperto marte* et *ex professo* in colloquiis liberisque religio virtusque oppugnatur; aut 2) dum quasi per cuniculos, *per varias technas, fallacias, captiones* et *dolos* malos verbis scriptisque impetitur; 3) dum vitia ac peccata, inprimis varium impudicitiae genus, item errores religioni adversantes veluti innocui depinguntur, aut prorsus excusantur; contra libertinismus, scepticismus religiosus, infrenitaque sentiendi scribendique licentia etiam commendatur, et exlex tolerantia, aut sub tolerantiae nomine latens errorum ac impietatis favor, publicitatis jus, ut ajunt, imo petulantia ad astra usque extollitur.

§. 712.

5) *Religionem virtutemque christianam impugnantium doli mali;*

Christianae autem virtuti inprimis quam perniciosissime nocent scriptorum *moralitatem ac religionem christianam* impugnantium *malae artes, fallaciae* et *perversissimae*, quas veluti axiomata sumere sequique solent, *regulae et principia* [17]), quorum praecipua quaedam videntur:

1) Ut virtuti religionique certius pejusque noceant, eam vulgo *non aperto marte*, sed per insidias, per cuniculos et quasi aliud agendo impugnant, scriptisque et schediasmatis, quae in plurimorum manus delabi solent; item libris, quorum titulus omnia alia potius, quam religionis objectum despectumve enuntiat: comoediis, poëmatis et romanensibus fabulis principia moralitati et religioni exitiosissima, veluti condi-

---

17) Cf. *Mosheim* Sittenlehre I. N. 534. et *Joh. Pet. Müller* vollständiger Auszug §. 60. *C. Schmalfuss* Hist. Rel. et Eccles. Tom. VI. pag. 154. seqq.

menta, inspergunt. 2) Unum *veritatis* purae defoecataeque amorem profitentur, et religionis castae *genuinaeque*, christianae etiam, reverendissimos, generisque humani amicissimos se ostentant depraedicantque; imo religionis christianae dogmata se venerari simulantes, gravioribus dissimulatis, tam leviuscula pro iisdem argumenta proferunt, aut his tot objectiones, quin dissolvant, opponunt, ut lector minus cautus non possit non ea dogmata incerta putare, aut addubitare. 3) *Mysteria religionis, dogmata theoretica* ac *veritates historicas,* veluti rationi sanaeque philosophiae parum congruentia, multis litibus obnoxia, argumentis infirmis nixa, *universali,* quae omnibus hominibus *apta* totaque *practica* sit, *religioni invehendae* adversa, aut certo ad *moralitatem puram* promovendam inutilia saltem incommodaque depingunt; eaque non innoxio solum, sed prudenter dissimulari, negligi, aut negari posse tanquam rem apud cordatos sanosque viros in confesso positam asserunt. 4) *Scripturam sacram* in speciem laudibus extollunt, simul infinitas interpretum lites, hagiographorum contradictiones, christianorum de scripturae sensu dissensiones in immensum exaggerant; omnes sectas aequa veri specie ex ea defendi posse veluti rem omnium seculorum experientia testatam affirmant; medium quodvis scripturae sensum authentice interpretandi tanquam ineptum aut despotismi abominandi partum impudenter definiteque pronuntiant, inprimis vet. testamenti auctoritatem, miracula, prophetarum praedictiones, figuras, quae novum testamentum respiciunt, enervare, elevare, imo deridere etiam solent. 5) *Doctrinam Christi et apostolorum moralem* equidem excellentissimam et aevo illi accommo-

datissimam vulgo praedicant: simul tamen ab ethnicis philosophis, qui omnis generis morum praecepta sapientissima perfecte propinarint, quod ad substantiam attinet, jam antehac traditam et a Christo duntaxat infirmitati ruditatique, imo *praejudiciis judaici populi* comiter accommodatam pro certo affirment, indeque inferunt, doctrinam evangelii moralem haud per se esse absolutam perfectamque, sed ab orientalium severitate, a praejudiciorum judaicorum scoria, a praeceptorum temporaneorum mole, a motivorum, quae sensuali tantum rudique populo suggerenda erant, impuritate mundandam purgandamque; atque inprimis tum reipublicae hodiernae statui, tum seculi nostri genio, sapientiae, illustrissimae philosophiae adaptandam et ad hujus amussim esse emendandam, ac indies magis perficiendam *). 6) Omnimodam doctrinae christianae *theoreticae et practicae corruptionem* per *Patrum* ignorantiam, fanatismum, dogmaticismum; per *hierarcharum tyrannidem* et despotismum; per *poparum* fraudes, mendacia; per *scholasticorum* naenias tricasque; per *monachorum* hypocrisin, ementitae pietatis exercitationes, fallacias; per *infimae plebis* praejudicia superstitionesque; per seculorum ruditatem ac caliginem; paucis: per hominum tum ignorantiam tum malitiam, amare deplorant, ejusque integram purgationem reformationemque atque cumprimis *practici purique christianismi* restitutionem summe necessariam votis ardentissimis optare se, eamque unam sibi cordi esse profitentur. 7) *Ecclesiae christianae*, etiam *primaevae*, *statum* tetris falsisque coloribus pingunt: a) *fidelium* ruditatem, credendi levitatem, superstitiones, fanatismum; b) *martyrum* obstinationem, imprudentiam, legum

publicarum contemtum, ambitionem; c) *virginum et ascetarum* rigorem, morositatem, imprudentem austeritatem aut fastum; d) *ministrorum* ambitionem, avaritiam, tyrannidem ex male cortortis eorum factis et corrasis undique quisquiliis veluti rem certam demonstratamque venditant; quaecunque iis laudi verti possint, alto silentio premunt, aut leviter explodunt. 8) *Antiquorum ecclesiae primaevae monumentorum* et quorumcunque, quae christianam doctrinam commendare possent, factorum incertitudinem, corruptionem; summam historiographorum ignorantiam, simplicitatem, partium studium, contradictiones, sine teste et tabulis veluti rem maxime notam testatamque affirmant. 9) *Patres et ecclesiae praesules*, doctores ac scriptores tanquam viros omnis solidae doctrinae, verae philosophiae et critices prorsus expertes, homines male credulos, fanaticos, captiosos, ambitiosos, praejudiciis irretitos, imo veluti deceptores describunt dolenterque deplorant; atque prolatis etiam aliquorum naevis erroribusque suam sententiam adstruunt; interea, quae sapientissime verissimeque ab iis tradita sunt, alto silentio sepeliunt, aut ea a philosophis ethnicis expilata esse asseverant. 10) Contra *infidelium*, Sinensium aliorumque, *doctrinam moralem* sacraque; item ethnicorum, apostatarum, schismaticorum, religionis christianae oppugnatorum, deistarum aliorumque facta, dicta, scripta, sententias praedicatione amplissima efferunt, et laudibus onerant; eorum merita haud rite aestimata, imo male suppressa et injurias iis injustissime illatas flebiliter conqueruntur. 11) *Ministros religionis omnes* fallaciarum, fraudum, avaritiae, luxuriae, hypocryseos, ambitionis, despotismi,

et quibus non? vitiis plenos, prolatis quandoque *aliquorum* veris aut confictis sceleribus, publico contemtui, irrisioni abominationique exponunt; eos veluti lucifugos tenebriones exitiososque omnis verae sapientiae et illustrationis publicae hostes; credulae plebis fraudatores, tamquam reipublicae fucos sanguisugasque hirundines ac seditiosos turbatores infamant. 12) Ut dogmata theoretica practicaque christiana, aut saluberrimas ecclesiae leges generatim incerta, rationi haud congrua imo adversa esse hominibus minus cautis nec theologica scientia solide instructis persuadeant: *scholasticorum* naenias, absurdas dudumque explosas sententias veluti catholicae fidei dogmata; *casuistarum* quorundam malesanas opiniones, vel ab ecclesia damnatas, tanquam receptas moralis christianae regulas quasdam accidentales *ceremonias*, aut plebis opinationes exercitationesque, aliquando superstitionis non prorsus expertes, quasi praecipua ab orthodoxis omnibus agniti fidei virtutisque christianae capita fallacissime venditant, satyrice explodunt et derident; delusam orthodoxorum simplicitatem dolenter lamentantur. 13) De *christiana religione* nunquam *graviter, reverenter, serio*, sed *jocose, humiliter, contemtim, plebeis abjectisque* comparationibus adhibitis disserunt scribuntque; sacra, terminos nominaque falsarum religionum et absurdissimarum superstitionum ad christianae religionis sacra, ceremonias, doctrinas, personas transferunt, et utraque quasi aequiparant. 14) Graviora quaedam *morum praecepta* ac *consilia evangelica* veluti orientalis asceseos severioris placita explodunt; e contrario varias voluptatum illecebras, cupiditates, libidines ceu ex hominum stimulis

necessario sequentes, aut veluti infirmitatis humanae appendices excusant, nec eas a bono Deo acrius puniri posse pro demonstrato asserunt; imo de venereis libere, licenter, impudentissime dissertissimeque proloquuntur et scribunt. 15) Alii praefracte asserunt, a) religionem aut *omnem*, aut certe *revelatam* purae moralitati inutilem, imo noxiam fore; b) virtutem, aut *omnis* aut *positivae* saltem *religionis expertem*, purissimam ac veluti perfectionis apicem esse; c) omnem hominis vere sapientis religionem hoc uno dogmate: *Esto homo, esto vir bonus*, comprehendi; cetera secure negligi, aut in medio posse relinqui etc. etc. **). Demum 16) quasi ex condicto in recensionibus librorum et ephemeridibus litterariis, quarum monopolium affectant, eorum, qui religionem revelatam aperto marte aut subdolis artibus impetunt irridentve, scripta laudibus supra astra tollunt; reliquos aut alto silentio premunt, aut satyrico sale perfricant, aut injuste sugillant et deprimunt.

*) Neque tamen iis assentimur, a) qui omnia Patrum dicta ceu oracula exosculantur; qui b) eos omnis naevi et erroris prorsus expertes affirmant; nedum iis c) qui scholasticas naenias, historiolas traditionesque vulgares, exoticas devotiones et ceremonias et quidquid usus vel abusus invexit, pro aris et focis tuentur; qui d) nova omnia suspecta habent, antiquitatis praejudicio ceu idolo litant; e) qui, quidquid ipsi in scholis non didicere docuereve, rejiciendum arbitrantur; f) qui haeresificandi damnandique libidine agitantur (cf. §. 246. n. §. 543. sqq.).

**) In hos similesque furfuris ejusdem homines quadrant illa s. apostolorum effata monitaque: »In novissimis temporibus discedent quidem a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinae daemonio-

»rum in hypocrisi loquentium mendacium et cau»teriatam habentium suam conscientiam 18). In »novissimis diebus instabunt tempora periculosa. »Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, »superbi, blasphemi .... habentes quidem speciem »pietatis, virtutem autem ejus abnegantes ... sem»per discentes, nunquam ad scientiam pietatis per»venientes 19).« Item: »Venient in novissimis die»bus in deceptione illusores, juxta proprias con»cupiscentias aemulantes, dicentes: Ubi est pro»missio, aut adventus ejus 20).« Unde monet Judas: »Vos autem, charissimi, memores estote ver»borum, quae praedicta sunt ab apostolis D. nostri »Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in no»vissimo tempore venient illusores. . . Vos autem »charissimi superaedificantes vosmetipsos sanctissi»mae vestrae fidei, in spiritu sancto orantes, vos»metipsos in dilectione Dei servate, exspectantes »misericordiam D. N. J. Christi in vitam aeternam. »Et vos quidem arguite judicatos: illos alios vero »salvate de igne rapientes 21).« Quibus verbis jam indicantur

§. 713.

4) *Cautiones et remedia adversum adhibenda.*

Contra has religionem christianamve virtutem directe indirecteve impugnantium fallacias quaedam cautiones remediaque adhibenda ratione a) *nostri;* b) *decipientium;* c) *aliorumque;* et quidem

1) *Ratione nostri,* ne per illas fraudes pervertamur, inprimis secundum Judae apostoli monitum mox laudatum necessaria est a) *cauta circumspectio* et *perpetua vigilantia* contra mille malesanorum hominum fallacias; b) *perfecta cognitio,* fir-

---

18) I. Timoth. IV. 1. sqq.
19) II. Timoth. III. 1—7.
20) II. Petr. III. 3. sqq.
21) Judae 18—23.

ma persuasio, summa aestimatio *religionis christianae;* c) fiducialis fervensque ad Deum *oratio*, efficax *Dei amor* et mandatorum ejus fidelis observatio, vitaeque aeternae certa exspectatio; d) consuetudinis cum religionis hostibus, aut lectionis impiorum scriptorum, quantum fieri potest, devitatio, praesertim iis necessaria, qui solida scientia, remediis, praesidiis ad fraudes illorum dignoscendas refutandasque praemuniti non sunt.

2) *Ratione impugnatorum* religionis christianae: opponenda iisdem a) christianae fidei virtutisque cordata professio et erga eam summae reverentiae amorisque contestatio significatioque; b) *prudens solidaque* et per christianam mansuetudinem, charitatem miserationemque rite temperata errantium *correctio confutatioque*, si facultas, vires et adjuncta suadeant (§. 545. n.); sin: c) *gravitate plena declaratio*, religionem esse majoris momenti, ponderis et firmitatis, quam ut sophismatis, jocis, vanis irrisionibus ludibriisve, quae hominum imbecillium arma sunt, concuti queat; aut d) *taciturnitas constans consultaque*, et displicentiae abominationisque versus eorum impietatem non dubia significatio, exclusa tamen omni imprudenti ira, indignatione, contumelia secundum Sapientis monitum[22]: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam* (stultitia pari), *ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxta stultitiam suam* (eam prudenter refutans), *ne sibi sapiens esse videatur.*

3) *Ratione aliorum*, ne forte improborum fallaciis devinciantur aut capti teneantur, opera impendenda, a) consuetudinem cum impiis impediendo, dissuadendo; b) *impia scripta* tacendo,

---

22) Proverb. XXVI. 4. sqq.

removendo, lectionem eorum impediendo, salubriorem lectionem commendando, promovendo *); c) fallacias eorum, malos dolos, sophismata detegendo, confutando; d) eadem remedia, quae *ratione nostri* esse adhibenda mox diximus, aliis suadendo, usumque eorum promovendo (cf. §. 545—553.).

*) Nam ut bonorum librorum lectio recte instituta insigne adjumentum: ita improborum lectio virtutis christianae oppido perniciosum est impedimentum.

§. 714.

III. *Ex parte librorum scriptorumque, nimirum*

Virtuti christianae impedimentum opponunt *scriptorum librorumque* 1) *inutilium,* periculosorum, improborum *numerus,* eos parandi *facilitas* legendique cupiditas; 2) *bonorum* solidorumque tum *defectus,* tum *neglectus;* aut 3) *lectio* ex fine, modo et usu virtuti non congruens aut repugnans *).

*) 1) De singulis notanda quaedam et suggerenda adversum remedia. 2) Dantur autem libri a) inutiles, b) periculosi; c) noxii ratione moralitatis, religionis et civitatis.

§. 715.

a) *Inutilium noxiorumque numerus, indoles, lectio;*

Atque moralitati quidem virtutique christianae vehementer officit

1) *Numerus* librorum inutilium saltem, aut noxiorum; nam a) infinitus prope numerus immodicam legendi curiositatem excitat, sciolorum jactantiam alit, polymathiae vitium procreat; b) mentem distrahit, magis utilium librorum taedium contemtumve parit, horumque lectionem, imo saepe editionem etiam praepedit; c) eruditionem

difficillimam, imo multis prorsus impossibilem reddit; d) opes in usus salubriores expendendas absorbet, familias quandoque ad inopiam redigit, et officiorum variorum executionem difficiliorem aut impossibilem quoque reddit etc.

2) *Argumentum ipsum*, stylus, reliquaque indoles: etenim a) *argumentum* plurimorum *inutile*, aliorum summe plerisque legentibus *periculosum*, aliorum etiam pudendum *exitiosumque* *); non raro b) *stylus et scribendi* ratio elegantia, concinnitate, lepore, festivitate, at simul impudentia, petulantia, impudicitia, mordacitate, improbitate est insignis; item c) *indoles* eorum scriptorum, brevitas, vilitas, seu ut ita dicam, parabilitas, editionis nitor ac commoditas saepe sunt ejusmodi, ut mirifice promoveatur inutilium, pessimorum librorum lectio.

3) *Lectio*, quae virtutem aut magnopere impedit, aut prorsus corrumpit et vertit: nam a) *inutilium lectio* tempus pessumdat, negotia impedit, vanitatem fovet, curiositatem alit, mentem distrahit; b) *periculosorum* scriptorum, ad quae plurium fabularum romanensium, comoediarum, lubricorum poëmatum libri referri merentur, *lectio* mentem fictis ideis perturbat, animum effaeminat, sensionem corrumpit immodiceve tendit (überspannt die Gefühle, verbreitet die Seuche der Empfindeley), phantasiam falsis omnemque modum excedentibus imaginibus replet; judicium morale vitiat, veneris stimulos praemature aut vehementius excitat, omnem officii et virtutis, imo simplicis parabilisque jucunditatis honestae gustum evertit (cf. §. 386.); c) *improborum, religioni virtutique adversantium lectio* firmam de fundamentalibus religionis moralitatisque veritati-

bus fidem concutit, mentem in varios perniciosos errores abripit, morale judicium pervertit, sensum moralem corrumpit, aut prorsus obtundit, phantasiam pudendis speciebus inquinat, animum cupiditatibus turpibusque desideriis mancipat, eumque contra veritatis virtutisque sensum studiumque vehementer indurat.

*) 1) Incredibilem librorum aut inutilium et periculosissimorum, aut aperta etiam fronte improbitatem protervitatemque profitentium copiam *numerumque* nemo, qui vel librorum catalogos, aut recensiones ephemeridesque litterarias inspexerit, poterit ignorare. 2) Nemo, qui experientia et aliqua hominum cognitione non prorsus destitutus est, ingentia, quae eorum lectio virtuti infligit, vulnera quiverit nescire. Atque 3) inde colligere licet, quid judicandum sit a) de inexhausta illa cupiditate et licentia, qua utriusque sexus juventus, et puellae mulieresque inprimis, longe aliis negotiis occupandae, libros periculosos summeque noxios (§. 602. n.) nocturna diurnaque versant manu; item quid sentiendum b) de bibliothecis illis, in quibus maxime ejus generis scripta prostant, quae passim *omnibus* pro levi pretio legenda porriguntur.

§. 716.

2) *Librorum salutarium inopia, indoles, aut neglectus, aut*

Quemadmodum librorum optimorum tum numerus, tum indoles, tum aestimatio frequensque lectio praecipuum, quod suo loco articulatius monstraturi sumus, virtutis perfectionisque christianae est adjumentum: ita ejus impedimentum esse solet *librorum salutarium* 1) *defectus*, aut certe, si cum inutilium improborumque copia comparetur, *minor numerus* *); 2) *indoles*, eoquod plerique nec ea, qua improbi saepe solent,

styli elegantia, concinnitate, nec typographica venustate, nec invitamentis aliis se commendent et ad legendum alliciant; imo, quum eorum aliqui scholasticas tricas obscuritatesque, fabulas aniles, item preces, exercitationes superstitionem fanitismumque alentes complectantur, ceteri etiam melioris notae libri morales vilescunt aut despiciuntur; 3) *neglectus despectusve*, qui non solum ex mox dicta ratione, sed vel maxime etiam ex religionis moralibusque praejudiciis, ex practici judicii et moralis aestheticaeque sensionis per improborum librorum lectionem malaque exempla invalescente corruptione, ex salutarium veritatum taedio, quin et odio proficiscitur.

*) Et vero 1) rite ordinata totius *Ethicae* christianae systemata aevi nostri indigentiis accommodata et catholicorum principiis congruentia an praesto sint, multi dubitant. 2) Idem fere de catechismo, qui saltem receptus sit, non desunt, qui arbitrentur. 3) Ad ceteros pios moralesque libros quod attinet, licet ab aliquot abhinc annis scriptores catholici plurimos pro omni hominum classe aptissimos in lucem ediderint prorsus insignes et saluberrimos: eorum tamen lectio nedum ea, qua deberet, ratione aut extenditur aut frequentatur; eoquod ii libri ex mox dictis causis nobili politiorique hominum classi parum arrideant; a plebe autem, quae antiquioribus assueta affectaque est, aut ignorentur, aut minoris, quam par est, aestimentur.

§. 717.

3) *Lectio haud recte instituta.*

Impedimentum item virtutis christianae est *librorum*, etiam *salutarium*, *lectio haud eo*, quo deberet, a) *scopo*; b) *delectu*; c) *modo* suscepta. Nempe siquidem 1) *finis lectionis*, quae ideo, ut sapientior meliorve evadas, instituenda est, prae

oculis non habeatur; aut si lectio curiositatis, vanae gloriae, cavillandi gratia suscipiatur; si 2) *delectus libri*, qui legentis genio, ingenio, indigentiae sit optime accommodatus, negligatur; si 3) *modus legendi*, qui dicto fini obtinendo servire valeat, haud servetur, e. g. si lectio sit a) *immodica*, quae inflet potius, quam aedificet, imo aliis officiis adversetur; b) *praepropera tumultuariave*, quae mentem confundat oneretque magis, quam illustret aut moveat; c) *superficiaria*, quae distinctam cognitionem impediat; d) *haud practica*, quae in sola cognitione sistat, nec ad actus liberos praeteritos futurosve referatur, nec ad mores emendandos efficaciter impendatur *).

*) Inde per se colligitur, in lectione salutari has esse servandas regulas: 1) ut libros nunquam, nisi optimo fine, arripias, eumque finem semper prae oculis geras; 2) ut in deligendis libris cognitas rationis ac prudentiae regulas, aut certe prudentum consilia sequaris; 3) pauca potius, quam multa, cum paucis, et habito ad te ipsum respectu, non sine praeteritorum examine et cum firmis in futurum propositis legas. At hac de re inferius redibit sermo.

ARTICULUS III.

MORALITATIS VIRTUTISQUE CHRISTIANAE IMPEDIMENTA RATIONE MUNDI ET STATUS RELIGIOSI.

§. 718.

Impedimentorum horum classes: nempe

Illorum, quae ratione *mundi et status religiosi* occurrunt, *impedimentorum* quatuor statui possunt

classes, nimirum impedimenta ex parte 1) *potestatis legislativae*, judiciariae executoriaeque; ex parte 2) *ministrorum ecclesiae*, seu cleri superioris et inferioris; ex parte 3) *institutionis religiosae*, atque moralis, publicae et privatae; ex parte 4) *publici religionis exercitii*, liturgiae, administrationis sacramentorum.

*) De quibus singillatim pauca admonenda.

§. 719.

I. *Impedimenta respectu potestatis ecclesiasticae legislativae, gubernatricis executoriaeque.*

Potestas ecclesiastica et sacri imperii functio primis proximum, qui est virtutis christianae ac perfectionis in fideli populo promotio, ecclesiae finem respicere debet, proinde ita exequenda est, ut ei fini obtinendo optime serviat. Nihilominus hominum vitio imbecillitateve non nunquam contingit, ut virtuti potius officiat *legum ecclesiasticarum* 1) *numerus* a) *nimius* praesertim ceremonialium, ritualium, judicialium, ut eas vel scire, nedum observare aut urgere difficillimum, ut non dicam, impossibile fere sit; b) *vix sufficiens* earum, quae essentialia religionis, inprimis efficacia virtutis christianae subsidia satis determinent, sustentent, urgeant; 2) *objectum*, si a) non nunquam toti ecclesiae aut indigentiae finique ejus primario non satis sit accommodatum, aut non necessarium; si b) politicam magis, quam spiritualem salutem; aut c) accidentalia minorisque momenti res ritusque potissimum respiciat; 3) *indoles et modus*: e. g. si a) *earum obligatio incerta*, non satis determinata quoad sensum, receptionem, vigorem; unde lites, eruditorum dissensus, legum neglectus; si b) *poenae*, praesertim la-

tae sententiae excommunicationes, adjiciantur, quas urgere aut exequi nec expedit nec licet, aut quae ipsa frequentia aliis vilescunt, aliis scrupulos, aut virtuti noxios animi angores injiciunt 23); 4) *executio* aut a) *neglecta* prorsus; aut b) *languida;* aut c) per nimiam *dispensationum* frequentiam *) indecentemve modum *sufflaminata;* aut d) justo fors *severior.*

*) Vel enim 1) leges communiter utiles et necessariae sunt: atque tum rarior videtur esse concedenda relaxatio; sin: leges prorsus abrogandae, tollendae; aut 2) certe pauperibus aeque ac divitibus largienda dispensatio; 3) quodsi de vigore legis sensuque communis fere est disceptatio, aut justa dubitatio: non res relinquenda in dubio, sed authentica legis edenda declaratio, ne ipsa incertitudo sensim legum contemtum inducat.

§. 720.

II. *Impedimenta respectu ministrorum ecclesiae; nempe 1) minus dignorum ordinatio promotiove.*

Quemadmodum promovendae moralitatis et virtutis christianae subsidium praestantissimum est *ministrorum ecclesiasticorum optimorum* delectus: ita ejusdem noxium oppido impedimentum esse solet *ordinatio promotiove ministrorum ecclesiae* 1) haud satis *habilium, praeparatorum* probatorumve, item 2) *minus dignorum* prae magis dignis, aut etiam 3) *omnino indignorum,* qui dotibus ad statum tam sublimem necessariis carent aut forte oppositis naevis laborant (§. 642.).

*) *Causae praecipuae,* cur non optimi usque ecclesiae ministri inveniantur promoveanturve, praeter alias sunt: 1) clericalis status despectus; 2) *candidatorum* incuria ac temeritas circa status clericalis cel-

---

23) Cf. meas jur. eccl. instit. tom. II. §. 799.

sitatem, finem, gravissima officia, circa explorandam vocationem, urgendam praeparationem necessariam (§. 641—652.); item 3) *studiorum sacratiorum* deproperatio, imperfecta, sterilis confusaque cognitio; 4) negligenter aut sinistre instituta ordinandorum *praeparatio probatioque*; 5) *seminariorum*, in quibus clerici praeparantur, aut inopia aut minus apta constitutio et disciplina; 6) *episcoporum* circa ordinandorum praeparationem delectumve negligentia aut impotentia; 7) *juris patronatus* aut a) non sat restrictus *usus* merito legibus aut certis limitibus arctius circumscribendus, quibus caveatur b) *abusui*, quo e. g. homines in cura animarum minime exercitati, nec a solida virtute commendati praesentantur, digniores negliguntur.

*) Alicubi 24) haec candidatorum *probatio triplex* praescribitur: 1) *praeparatoria*, in qua textus biblici expositio exegetica, dogmatica, polemica; 2) *finalis theoretica* ex a) *dogmatica*, in qua e. g. de articulo fidei definitio, propositio, probatio praecipua exquiritur; b) ex *ethica christiana*, in qua e. g. principium ethicae christianae supremum, ejus a naturali discrimen etc., virtutis cujusdam et vitii oppositi definitio, origo, subsidia, impedimenta, remedia declaranda proponuntur; c) *ex exegesi* similis expositio; d) *ex polemica* e. g. certae religionis alienae articuli praecipui et eorum confutatio; e) *ex pastorali* casus ad curam animarum pertinentis resolutio adjectis resolvendi rationibus requiritur; 3) *finalis practica probatio* per sermonis sacri compositionem et pronuntiationem; item catecheseos specimen etc. etc.

§. 721.

2) *Clericorum minus aequa dignaque sustentatio tractatioque.*

Item virtuti christianae impedimentum afferre videtur *ministrorum ecclesiae sustentatio et tra-*

24) Cf. Neu theol. Journal. A. 1795. V. St. N. 1.

ctatio. Atque I. *sustentatio* quidem vel 1) *inaequalis nimium,* nec *meritis* laboribusque consentanea, quae clericorum a) aliorum fervorem minuit; b) aliorum desidiam fovet; c) aliorum invidiam excitat; d) beneficiorumque pinguiorum ambitionem provocat; vel 2) *tenuis nimium et illiberalis,* quae a) candidatos idoneos a statu clericali absterret; b) clericos non raro in munere suo languidos reddit; c) eosdem subsidiis scientiarum privat; d) iis exercendae in pauperes misericordiae et liberalitatis facultatem adimit; e) auctoritatem cleri diminuit, atque officii pastoralis energiam et in eo exercendo libertatem frangit; f) per victus quaerendi curam animum distrahit [25]); vel 3) *pinguis nimium,* aut per *oeconomiae* gravioris ampliorisque curas conquirenda, quae a) potentum, licet indignorum, cupiditatem sollicitat; b) negotiorum curarumque temporariarum mole obruit, et a spiritualibus officiis abstrahit; c) acediam quorundam luxumque aut fastum fovet; d) invidiam laicorum aut pauperum clericorum excitat; e) beneficia usque pinguiora aucupandi cupiditatem accendit. II. *Illiberalis, indigna, minus reverens, imo abjecta tractatio;* qua a) cleri ordo vilescit; b) auctoritas necessaria elevatur; c) officii clericalis utilitas minuitur aut prorsus perimitur; d) religionis ipsius aestimatio debilitatur.

§. 722.

3) *Clericorum mala vivendi ratio et exempla.*

Virtuti christianae in populo fidei promovendae remoram ponunt, et perniciosum impedimentum objiciunt *) cleri *minus religiosa vivendi*

---

25) Cf. meas instit. jur. eccl. p. I. §. 355. not.

ratio, aut mala etiam exempla, inprimis 1) *cleri superioris*, qui clero etiam reliquo praeesse, proinde praeclaris vitae exemplis praelucere tenetur, luxus, otium, supercilium, licentia; item 2) *pastorum ac curatorum*, qui vi officii et muneris suos non verbo solum, sed exemplo cumprimis docere et instruere obligantur, in officio negligentia; demum etiam 3) *clericorum reliquorum*, qui vi dignitatis, status et vocationis (§. 641 — 646.) ad insigniorem virtutis gradum eluctari, atque ad ejus exempla (§. 651.) aliis praebenda obstringuntur**), *vita statui* et vocationi *haud consentanea*, otiosa etc.

*) Equidem 1) quaevis vitia a clerico summe vitanda sunt, inprimis vero vitia a) crapulae; b) incontinentiae; c) avaritiae et d) incuriae negligentiaeque in obeundis status clericalis officiis. 2) Effectus pessimi horum maxime vitiorum, item malorum cleri exemplorum sunt, quod a) cleri contemtum procreent; b) auctoritatem perimant; c) officii pastoralis utilitatem tollant; d) doctrinae christianae efficaciam enervent; e) populi christiani fidem pietatemque concutiant; f) infirmis scandalo sint; g) malos in vitiis securos obduratosque reddant etc.

**) Nempe, 1) ut bene advertit synodus Burdigalensis, 26) »vita clericorum tanquam lucerna super »candelabrum sic omnium oculis exposita est, ut »inde bene vel male vivendi exempla duci soleant; »ex quo sicut vitiosi principes, sic flagitiosi sacer»dotes perniciose de republica merentur, quod non »solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in »civitatem . . quod efficit, ut ipsa dignitas cleri»corum odio et contemtui apud impium et malitio»sum genus habeatur.« Unde 2) s. Bernardus 27):

---

26) Synod. *Burdigal.* A. 1583. can. 21. de vit. et mor. cler.

27) Sermone in convers. s. Pauli.

»Misera sacerdotum, inquit, conversatio plebis do»minicae miserabilis subversio est;« et s. Gregorius 28): »Nullum majus, ait, ab aliis, quam a »sacerdotibus praejudicium tolerat Deus (virtus), »quando eos, quos ad aliorum correctionem po»suit, dare de se exempla pravitatis cernit.« Quorsum quadrat illud 29): *Propheta* (clericus) *laqueus ruinae factus est.. Vos recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege ....* Item illud: *Vae vobis, scribae et pharisaei, quia clauditis regnum caelorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Matth. XXIII. 13.

§. 723.

III. *Impedimenta ratione institutionis religiosae et moralis; quae deficit*

Uti ex recta institutione morali religiosaque virtutis christianae incrementum et perfectio quam maxime pendet; ita eam impedit summopere, imo corrumpit etiam *imperfecta sinistraque institutio* tum 1) *quoad argumentum* ipsum, regulas morales harumque principia; tum 2) *quoad modum ordinemque,* quo illa fieri assolet; tum 3) quoad *frequentiam tempusque* et adjuncta.

§. 724.

1) *Vel quoad* a) *argumentum;* b) *principia;* c) *motiva;* d) *media;* e) *exempla;*

Institutio autem moralis et religiosa virtuti incommoda saepe esse poterit 1) ex parte *argumenti,* si a) *theoretica* dogmata *fere sola* exponantur aut prorsus negligantur; si b) *moralia* minus frequenter explicentur urgeanturque. 2) Ex parte *fundamenti aut conceptus officiorum et virtutis:*

---

28) Homil. 17. in evang.
29) Oseae IX. 8. Malach. II. 8.

e. g. si a) imperfectus sinisterve de officiis, aut virtutis natura conceptus aut suggeratur foveaturve, aut non corrigatur; si b) officia tanquam *arbitraria* Domini omnipotentis, auctoritatem suam exercentis, *mandata*, aut solum veluti felicitatis subsidia proponantur; quin ea simul in ipsa rationalis naturae humanae et in Dei supremae rationis sanctitatisque essentia fundata esse ostendantur; si c) virtutis christianae indoles, conditiones, requisita (§. 142. sq.) non rite exponantur, sed potius praejudiciis moralibus (§. 695.) occasio aut causa praebeatur; si d) virtus inprimis tanquam *Dei servitium*, quo homines Dei *gloriam augeant*, voluntatemque ejus quasi officio, ut ne dicam, beneficio sibi *devinciant*, depingatur commendeturque. 3) Ex parte *supremi officiorum principii* (§. 129.): siquidem e. g. id aut a) in institutione prorsus negligatur, et ne saltem derivatum generale principium, ex quo officia pleraque deduci et dijudicari queant (§. 133.), practice explicetur; quo fit, ut vaga duntaxat imperfectave officiorum specialium, nec pro omni casu sufficiens notitia exsurgat; aut si b) *principium felicitatis* adoptetur (§. 131.), quod non modo obscurum, indeterminatum vagumque ac insufficiens est: sed moralitatem etiam corrumpere facile potest (cf. §. 131. n.), eoquod philautiam habendique cupedinem et immodicam sese perpoliendi et ad omnis generis commoditates, jucunditates fruendas sese adaptandi libidinem (übertriebene Verfeinerungssucht) excitare et accendere, atque pessimorum vitiorum origo esse possit, atque, ni cautiones adhibeantur, etiam esse soleat[30]. 4) Ex parte *rationis obligantis, moven-*

30) Vid. Prüfung des kathol. praktisch. Religionsunterrichts. §. 21—63.

tis, incitantis ad officia et virtutem: siquidem nempe a) rationes solum *extrinsecae,* et non ex hominis natura sumtae; aut b) *non morales*, e. g. ex solis consectariis actionum gratis molestisve petitae; aut c) *non sufficientes*, quales sunt e. g. felicitas propria communisque [31]; aut d) *solae philosophicae,* e. g. reverentia legis rationalis, dignitas virtutis (§. 11.), iis, quae ex religione revelationeque petuntur, neglectis, suggerantur; aut demum e) plures haud recte sibi *subordinentur* (cf. §. 144.); nec *cujusvis*, e. g. rudis cultive, improbi aut jam emendati, sed adhuc imperfecti infirmive, vel jam magis in bono firmati captui, indigentiae ac viribus *accommodentur*. 5) Ex parte *mediorum subsidiorumque virtutis,* si a) media subsidiaque minus apta; aut b) *accidentalia* solum neglectis substantialibus; aut c) quaedam prae aliis nimium commendentur; si d) iis nimia, imo necessaria ac quasi *physica efficacia* adscribatur; ac proin e) *proprius* proficiendi conatus per ea minuatur potius, quam juvetur; aut f) mechanicus solum eorum usus promoveatur, qui adeo virtutem veram non foveat, ut potius, tum falsam virtutis ideam, aut persuasionem, item praejudicia moralitati adversa (§. 695.) inducit, verae virtuti impedimentum maxime noxium objiciat. 6) Ex parte *remediorum* contra peccata, vitia et virtutis impedimenta adhibendorum; dum nempe a) idem, quod mox de mediis (n. 5.) diximus, hucque itidem trahi et applicari nullo negotio potest, intuitu remediorum praescribendorum fiat; aut b) si ea, quae de impedimentis virtutis (§. 151. sq.), de occasionibus causisque peccatorum removendis (§. 210—214), de refor-

31) Ibid. §. 18—20.

matione characteris mali supra (§. 221 — 227.) et alibi docuimus, negligantur, aut non rite proponantur urgeanturque. 7) Ex parte *exemplaris* et *idealis*: e. g. dum a) exemplaria nullam ad imitationem provocandi vim habentia; b) exotica nimis, nec vulgo proin apta; aut c) non undequaque imitatione digna; aut d) *imitatu impossibilia* proponuntur; imo saepe ea ad imitandum proferuntur; quae vix cum sanis evangelii aut rationis principiis componi recte possunt; item e) *incerta*, qualia saepe sunt ex sanctorum actis legendisque depromta.

§. 725.

2) *Vel quoad modum ordinemque*;

Item virtuti officit, siquidem *institutio moralis religiosaque* quoad *modum ordinemque deficiat*; nempe quae 1) *haud practica* satis sit, et *pragmatica*, sed a) theoreticis forte primo aut unice occupata; aut b) instruendorum aetati, captui, indigentiis non rite accommodata; c) obscura, vaga nimisque generalis ac indeterminata; aut d) confusa; si forte sit 2) *mechanica*, quae a) verba sola inprimit; b) unam memoriam exercet; c) nec intellectum, nec judicium practicum, nec sensionem rationemque excolit; nedum d) animum efficienter movet; 3) *male fundata aut mere scholastica*, quae a) fabulas, omnis generis historiolas, prodigia incerta pro argumentis regulisve profert; b) quaestiones litesve aut sententias scholasticas, item hypotheses hermeneuticas, criticas, doctorum opiniones institutionis loco venditat; 4) *arida frigidaque*, quae nec a) verborum gravitate dignitateque, nec b) motivorum pondere, nec c) dilucido satis et ad movendum

apto modo animum afficit movetque; aut contra 5) *vehementior fanaticaque*, quae a) nec solide distincteque docet, nec aptas ad movendam affert rationes; sed b) varias solum ad phantasiam vehementius concitandam, et ad subitos affectus exciendos artes admovet; c) clamore, objurgatione, minis parum fundatis terret, obtunditque; 6) *inculta, plebeja, horrida,* aut contra *sublimior, comtior affectataque*, minime popularis; aut demum 7) *inconstans, nec sibi satis consentiens*, quae nempe ex certi systematis principiique supremi inopia, aut ex confusa imperfectaque cognitione in proferendis principiis regulisque moralibus titubat, aut sibi repugnantia profert *).

*) Quae quidem inconstantia et contradictio omnem prorsus institutionis fructum pessundat, imo moralitatem concutit; dum e. g. a) vita praesens jam velut exilium, jam tanquam paradisus; b) sors proborum in hac vita jam infelix, jam beatissima; c) via salutis jam facilis amoenaque, jam difficillima horridaque; d) conversio jam nimis ardua, jam expeditissima aut a diversis aut ab eodem etiam, prout fert occasio, pingi solet. Cf. *von den Widersprüchen* der Prediger als einer Ursache, warum die Predigten so wenig nützen. *Kleines Magazin* für Religionslehrer. Ingolstadt 1800. Monath April. pag. 62.

§. 726.

3) *Vel quoad tempus et adjuncta.*

Virtuti obstat sinistra institutionis moralis religiosaeque ratio *quoad tempus* inprimis et *adjuncta* alia; nempe si illa sit 1) *nimis sera*, et in aetatem adultiorem procrastinata *); 2) *citius*, quam par est, *abrupta*, nec continuata, aut raro frequentata; 3) *inopportuna*, quae rerum, temporis, loci, personarum adjunctis haud sit apta, ac pro-

inde ad finem obtinendum minus idonea; 4) *inordinata*, nec per gradus, nec recto, quo veritates cohaerent seque excipiunt et sustentant, et ad finem suum, nempe virtutis studium amoremque ducunt, ordine suscepta [32]).

*) Institutio moralis religiosaque 1) cum primis juventutis annis mature inchoando, a) dum mens animaque ad omnem institutionem directionemque cerea; b) a praejudiciis malisque propensionibus affectibusque vacua; c) doctrinae recipiendae retinendaeque aptior ac cupidior est; 2) neque tamen illa ad solos puerilis juvenilisque aetatis limites coarctanda est, sed in virili, et omni deinceps aetate continuanda; item 3) moralis notitia semper pura et incorrupta servanda, imo usque et usque distinctior, vividior, efficacior reddenda; et 4) cujusvis statui, aetati, indigentiis cumprimis accommodanda.

§. 727.

IV. *Impedimenta ratione publici religionis exercitii: quatenus*

Quam utile necessariumque christianae virtutis subsidium sit *externae religionis, et cultus divini communis exercitium* rite institutum, jam supra (§. 281. 287.) observavimus et deinceps dicturi sumus; at vero idem *exercitium* (et *sacramentorum etiam receptio*) in virtutis christianae impedimentum degenerat, siquidem ratione *modi* aut *adjunctorum* suo, qui in promovenda fovendaque christiana virtute et interna religione repositus est, *fini* obtinendo *haud sit aptum* atque *accommodatum* (zwecklos); imo etiam 2) eidem *incommodum* ac *indirecte* saltem adversum (zweckwidrig.)

---

32) Cf. Prüfung l. cit. §. 133. sq.

§. 728.

1) *Fini suo haud congruit; imo* 2) *eidem officit adversaturve:*

Porro *religionis externae* et *cultus communis exercitium*

I. *Fini suo haud congruit*, nec virtutis christianae adjumentum est, siquidem 1) ex *mente cordeque* haud prodeat, a) non in spiritu et veritate fiat; sed b) labiorum aut corporis solum sit opus [33]; 2) si aut per se et natura sua aut ex modo, quo adhibetur, nec *mentem instruat* nec *animum* excitet, accendat firmetve a) ad perfectiorem *Dei* cognitionem, venerationem, amorem, ad internam religionem; b) ad fraternam *hominum* omnium efficacemque charitatem; c) ad *propriae mentis animique* emendationem sanctificationemque, verbo: ad christianam virtutem, perfectionem sanctitatemque studiosius consectandam urgendamque; utpote ad quae medii rationem (§. 281.) habere debet [34]; demum si 3) aut a) quoad omnes suas *partes*: ritus, ceremonias, *idioma*, comitantem fors cantum *musicamve*; item b) quoad loci situm, ornatum, conditionem, quoad temporis, durationis, personarum adjuncta ad finem eum parum conferat. Porro

II. Externae religionis exercitium non tantum hoc nomine indignum erit, sed inter praecipua virtutis christianae impedimenta censeri debet, siquidem ita comparatum sit, vel saltem ita peragatur, *ut fini suo*, ad quem tendere deberet, *adversetur*; nimirum 1) si pro *servitio* Dei aperte taciteve habeatur eo crudo sensu, quasi a) glo-

---

33) Matth. XV. 8. sq. Joan. IV. 20. sq.
34) Luc. I. 27.

ria Dei interna per id augeatur; aut b) Dei favor per illud, etsi a christiana virtute sit sejunctum, possit captari; aut c) neglectus aliorum officiorum suppleri; aut d) *ejus solius* virtute salus aeterna obtineri; 2) si *pro fide* habeatur, a) adeoque ordo pervertatur; b) si injustum ei pretium statuatur; atque, c) licet etiam a vera cordis emendatione alienum, tamen pro Dei offensi placandi remedio; imo d) pro ipsa christiana virtute falso habeatur; proin e) ad eam consectandam et ad efficacia ejusdem media adhibenda desides potius faciat homines superstitiosos; f) hosque falsa virtutis persuasione, quin fastu insuper perverso efferat; ac saepe g) versus alios etiam intolerantes iniquosque censores efficiat; 3) si per ceremoniarum rituumque exteriorum aut formularum indolem, obscuritatem, copiam, repetitionem mentem dissipet, attentionem impediat, taedium animi potius, quam fervores procreet, aut solum phantasiam rapiat nimiumque figat; 4) si *mechanismum* religiosum inducat foveatque, atque ita a) *spiritualismum* seu internam religionem et virtutem non modo non juvet; sed b) prorsus impediat [35]); imo c) irreligiositati infidelitatique viam paret [36]); 5) si *religiosa praejudicia falsa* aut per se aut ex vitio hominum foveat; aut *abusibus superstitionibusque* ansam dare soleat*); 6) si a publicis religionis ministris a) negligenter, luride, irreverenter, propere, leviter; b) aut certe sine decente intentionis puritate, animi devotione, actionis gravitate peragatur: quo fit, ut non tantum finis ejusdem non

---

35) Cf. Prüfung des kathol. prakt. Religionsunterrichtes. §. 130—133.
36) Vid. ibid. §. 138—144.

obtineatur, sed vehementer in populo fideli praepediatur.

*) Id genus 1) *praejudicia* falsa sunt, si a) sacramentis physica quasi vis adscribatur, qua etiam citra praeparationem dignamque susceptionem prodesse credantur; praesertim 2) si soli peccatorum *confessioni* et *sacerdotis absolutioni*, absque animi immutatione, conversione et efficaci emendationis proposito, studioque peccatorum remissio falso adscribatur, cujus praejudicii signa sunt a) indulgentissimi, imo insciti confessarii inquisitio; b) peccati excusatio; c) absolutionis eblanditae et subdolis artibus obtentae aestimatio; d) cura anxia soli peccatorum enarrationi intenta, quasi in ea totum obtinendae veniae pondus inesset etc.; e) formularum, queis contritio animique propositum exprimuntur, arida, materialis mechanicaque recitatio 37); quae 3) *pessima praejudicia* item fovere solent a) *confessariorum* incuria, laxitas et circa poenitentis dispositionem explorandam urgendamque emendationem supina negligentia; contra b) circa unam solum peccatorum explorationem sollicitudo; c) absolvendi quasi arbritraria aut facilitas aut difficultas; quo confert item 4) hominum in certis solum festis confitentium ingens concursus, imo tumultus; demum 5) immodica in indulgentiis fiducia, qua se a poenitentia et peccati reliquiis delendis exemtos quidam male arbitrantur. De *praejudiciis religiosis liturgicis* aliis vid. *Theol. prakt. Monathschrift.* Linz. I. 1803. IV. Heft. pag. 265—291.

**) *Abusus* autem et *superstitionis species* quaedam sunt e. g. a) cultus sanctorum et eorum invocatio sine debita ad Deum et christianam virtutem relatione; b) cultus imaginum ecclesiae decretis et pietati parum congruens; c) precum mechanicarum multiplicatio 38); et d) amuletorum, rituum, precum, rerum benedictarum, quae nunquam ecclesia

37) Cf. ibid. §. 13. 103. sq.
38) Cf. ibid. §. 107. sqq. 73. sqq.

probarat, usus saepe superstitiosus, aut certe vanus, nec ad pietatem ullo modo aptus, et ob fiduciam in iis repositam eidem non raro summe noxius (cf. §. 252 et 695.).

ARTICULUS IV.

IMPEDIMENTA MORALITATIS VIRTUTISQUE CHRISTIANAE EX PARTE MUNDI ET STATUS POLITICI MAXIME PUBLICI.

§. 729.

Impedimenta praecipua: nempe

Regimen politicum, etsi fors imperfectum, ingens certe prae *anarchico* quovis atque tumultuario *libertatis aequalitatisque falso* depraedicatae *statu* tum ad veram hujus *vitae felicitatem* tum etiam ad *moralitatem* promovendam pondus et momentum habet (cf. §. 612—618.). Attamen *abusus regiminis politici* moralitati quoque impedimentum opponit, siquidem id insigniter fors deficiat 1) vel quoad exercitium potestatis *legislativae, rectoriae, executoriaeve;* 2) vel quoad *officialium politicorum* constitutionem, sustentationem, gubernationem; 3) vel quoad *politiam* et *disciplinam publicam*, et educationem nationalem; 4) vel quoad exercitium *potestatis politico-ecclesiasticae.*

§. 730.

1) ***Quoad exercitium potestatis legislatoriae, rectoriae, executoriae politicae;***

Moralitati remoram nonnunquam ponit *exercitium potestatis*

1) *Legislatoriae;* si a) *salus publica* securitasque, et *vera* atque adeo moralitati et fini ultimo subordinata hujus vitae *felicitas* non praecipuus sit legum scopus et mensura; b) si *privatae utilitatis* studium aut *despotismum* leges sapiant; si c) *nimius* est legum numerus; aut d) si leges circa praecipua salutis publicae privataeque objecta (§. 613. sq.) forte *desint*; si e) *crebra* legum *mutatio*, aut contra pertinax illis, licet salus publica et justa populi desideria aliud poscant, insistendi *obstinatio* populi vel levitatem foveant, vel indignationem provocent;

2) *Rectoriae executoriaeque;* si a) aut ejus exercitium non sit ad legum normam exactum; si b) illud aut remissius sit, aut justo rigidius; si c) non secundum rectam proportionem, sed forte cum partium studio executioni detur; si d) onera, favores, poenae et praemia haud juste aequeque tribuantur; si e) punitiva potestas aut langueat aut modum excedat; si f) vindictam potius, quam reorum emendationem et salutem publicam spectare videatur;

3) *Bella gerendi, pacem, foedera faciendi,* si a) non tam securitatis publicae causa, quam immodica novas regiones acquirendi, occupandi cupiditate exerceatur; si b) inordinato bellandi studio salus tranquillitasque publica postponatur; si c) uni fere militiae honos habeatur, scientiarum vero, artium, opificiorum, commerciorum, agriculturae, moralitatis incrementa negligenter promoveantur.

*) **Abusus tales publicae potestatis 1) recti justique aestimationem in aliis minuunt; 2) moralitati summe perniciosa praejudicia gignunt; 3) virtutis studio impedimenta opponunt.**

§. 731.

2) *Quoad officialium publicorum constitutionem, sustentationem tractationemque;*

Moralitatem item impediunt, et vitiis variis portam aperiunt *muniorum publicorum distributio* et *officialium politicorum*

1) *Constitutio;* nempe si a) numerus eorum aut justo major, aut minor sit; si b) desit institutum et recta ratio, queis officiales futuri rite praeparentur; si c) electio eorum aut constitutio non ex uno veroque candidati merito, sed ex aliis causis pendeat; si d) indignis, improbis, irreligiosis per commendationes, pecunias, fallacias via ad munia publica pateat; atque ita e) perniciosae ambitioni, malis artibus, injustis persecutionibus, abjectae adulationi, assentationi, simulationi, corruptionibus (Rang- und Amtsucht, Cabalen, Verfolgungssucht, Schmeicheley und Heucheley, Bestechungen), et quibus non? injustitiis subditorumque expilationibus ansa praebeatur,

2) *Sustentatio et salarium* aut a) justo minus, nec ad officialis ejusque familiae sustentationem sufficiens, aut b) nimium inaequale; nec c) viri meritis nec muneris gravitati consentaneum; ex quo consequuntur d) sportularum, ut ajunt, donorumque mala cupiditas, partium studium, subditorum pauperum oppressiones, aerarii expilationes defraudationesque; aut certe e) tepor in officio exequendo; f) aliorum muniorum aucupationes;

3) *Tractatio et gubernatio;* si a) officialium tum optimorum tum imperfectorum aut malorum etiam fere par sors sit; si b) nulla aut rara in eos instituatur inquisitio; si c) negligentes aut impro-

bi, qui mille modis sibi subjectos torquent et expilant 39), impunes manent; si d) boni praemiis favoribusque ad constantiam, perfectionem non exstimulentur; unde e) eadem fere, quae mox recensuimus, mala pullulare pronum est; f) inprimis autem populi mores malis officialium publicorum exemplis corrumpi prorsus et pessumdari solent.

§. 732.

3) *Quoad politiam disciplinamque publicam;*

Uti pluribus vitiis, saltem externis, viam obstruit et moralitati faciliorem aditum aperit bene ordinata *politia et disciplina publica:* ita virtuti insigniter *officit* ejusdem 1) *immodicus rigor,* quo a) justa populi libertas, sese perficiendi opportunitas, et innocuis gaudiis vitaeque commodis perfruendi facultas nimium constringitur; b) dicendi scribendique moderata libertas supprimitur; c) commerciorum saluti publicae congruens libera exercitatio plus aequo coarctatur; unde d) libera activitas, animi aequitas, mentis cultura, industria, hilaris obedientia in subditis supprimitur; et e) ignaviae, animorum aegritudini, ruditati cruditatique, murmurationibus publicisque querelis, item simulationi, hypocrisi et variis, queis severior disciplina eluditur, fallaciis dolisque ansa datur; 2) *remisso nimiaque relaxatio;* qua a) moralitati et religioni adversa aut summe periculosa, e. g. typi, publicitatis, libellorum famosorum infrenita licentia, comoediarum, recreationum et ludorum, saltuum, nocturnorum diurnorumque conventuum petulantia et proca-

39) Cf. *I. A. Weppen* Briefe eines Beamten über das Justizwesen auf dem Lande.

citas, imo effroenatae libidinis improbitas impune tolerantur, aut certe justis modis poenisque non reprimuntur; qua b) religionis per verba, scripta, actiones explosio, contemtus, imo persecutio dissimulatur, et tolerantia potius in falsae religionis patrocinium convertitur; qua c) fraudes, doli, monopolia in publicis commerciis et opificiis haud comprimuntur castiganturve; qua d) educationis publicae et nationalis negotium non sustentatur emendaturve; atque adeo e) omni vitiorum generi porta lata aperitur, et virtuti ingentia obstacula ponuntur.

§. 733.

4) *Quoad exercitium potestatis politico-ecclesiasticae.*

Virtutem religionemque equidem *auctoritas profana* per *advocatiae* ecclesiasticae *rite* exercitae officium mirifice fovet et sustentat [40]: at vero eandem quoque impedit magnopere,

1) Siquidem religionem veluti subsidium duntaxat *politicum* existimet et eo uno respectu eandem aut promoveat aut negligat; 2) *si limites suos excedat*, et sacra involet: unde a) inter civilem ecclesiasticamque potestatem discordiae, lites dissensionesque oriuntur; b) sacra profanis miscentur; c) auctoritas ecclesiae et ministrorum ejus pessumdatur; 3) si *officium advocatiae et protectionis* ecclesiasticae circa religionem, personas et jura ecclesiae negligatur: si a) justa religionis libertas supprimatur, aut religionis contemtus impunis maneat; si b) personarum ecclesiasticarum auctoritas, et in exercendo pastorali munere morumque emendatione promovenda conatus, jura,

40) Cf. meas instit. jur. eccl. tom. I. § 33¼. not. 2.

privilegia non sustententur; si c) iis et ecclesiis liberaliter de subsidiis temporalibus non provideatur; unde demum d) irreligiositas, cleri despectus, ministrorum ecclesiae in suis officiis negligentia, populi ruditas contumaciaque consequi solet; 4) si *jus cavendi* justo severius nec servato justo ordine exerceatur: si a) a religione ecclesiave diffidentius mala timeantur; si b) jus istud latius, quam par est, extendatur; aut c) simile jus ecclesiae prorsus negetur [41]; quo fit, ut d) mutuum sacrae et profanae potestatis adjutorium, et imperii ac sacerdotii concordia tollatur, atque adeo *imperium fulcro* firmissimo, et *religio ecclesiaque sustentaculo* maxime salutari *privetur.*

ARTICULUS V.

IMPEDIMENTA MORALITATIS ET PERFECTIONIS CHRISTIANAE EX PARTE STATUS ET MUNDI NOBILIS AC POLITIORIS.

§. 734.

Impedimentorum horum praecipuae classes:

Ingens obstaculum multiplexque impedimentum moralitati ac christianae virtuti opponunt *status ac mundi nobilis aut politioris* 1) *inordinata sese perpoliendi libido* (die Verfeinerungssucht) et moris politioris summa aestimatio, moralitati ac virtuti christianae quam maxime inimica; 2) *sermo* his praejudiciis malis innixus et summe corruptus; 3)

41) Cf. ibid. §. 330. sqq. 344. sqq.

exempla religiositati et virtuti christianae adversa perniciosaque; 4) *luxus* et prodigentiae vitium.

§. 735.

1) *Inordinata moris politioris aestimatio et cupiditas.*

Moderatum decentiae exterioris, concinnitatis, comitatis, morisque politioris studium, quod bene ordinata erga Deum, se ipsum aliosque amore nititur regiturque, esse felicitatis propriae alienaeque promovendae subsidium, atque christianae virtutis adjumentum ornamentumque, nulli quidem dubio obnoxium est, et ex dictis (§. 354. 363. 518. 560. sqq.) facile colligitur. At vero a) illud concinnitatis et *moris politioris studium*, quod una cupiditate, ambitione animatur, simulatione corrumpitur; item b) immodica et *inordinata moris politioris aestimatio* moralitati et virtuti christianae summopere officit: nam

1) *Judicium morale plane pervertit:* dum nempe a) *mos politior exteriorque concinnitas* (guter Ton, Ton der feinen Welt, feine Lebensart, das einnehmende Wesen) immodice atque non sine virtutis christianae contemtu aestimatur [42]; dum b) solida scientia, praecipua probitas, in exequendis officiis integritas fidelitasque minoris habetur, quam haec concinnitas exterior; dum c) ex hac de hominis dignitate pretioque fere statuitur, atque vir politus (der viel Welt hat, der sich gut gemacht hat, der zu leben und einschmeichelnde und unterthänige Aufwartungen zu machen weiss), etsi ceteris boni hominis dotibus vacuus, viro solide docto, vere religioso,

---

42) Cf. *Mich. Sailer* Glückseligkeitslehre. 2. Th. n. 128. sqq. et 219. sqq.

per omnia integro et probo, cui fors minus elegantiae inest, praefertur; imo dum d) parum pudica jocandi dexteritas, licentior de morum religionisque regulis, earumque praevaricationibus sentiendi loquendique libertas, iniqua acquirendi artificia, alios belle decipiendi, deludendi, criminandi vafrities, omnia, etsi mala, approbandi, per omnia assentandi adulandique facilitas ad moris politioris summam et ad viri perpoliti qualitates pertinere errore perversissimo creduntur; dum contra e) solida eruditio et profundius indagandi contentio, loquendi agendique modestia, candida religionis et virtutis christianae professio intrepidaque defensio, in exequendo officio summa integritas, fidelitas, aperta sinceritas, candida detractionibus, calumniis, injustitiis contradicendi libertas tanquam concinnitati politiori adversa traducuntur et probrosis etiam appellationibus (als Schulfuchserey, Pedanterey, rauher Schulton, als Mangel an Welt und Lebensart, als Unart, Rest von Pöbelsitte, als Aengstlichkeit, Mönchsstolz, Verdammungssucht, Bigotterie, Heucheley) vituperantur.

2) *Sensionem moralem pervertit, sensualem aestheticamque vitiat:* nempe a) corrumpendo judicium morale, itidem sensionem moralem obtundit aut invertit; dum b) sensionem sensualem aestheticamque et sympathiam nimium tendit, in objectis periculosis aut futilibus defigit; atque ita in animi mollitiem levitatemque, in luxum et voluptatum cupiditatem (in Empfindeley, Weichlichkeit, Ueppigkeit, Prasserey, Lüsternheit und Wohllüstigkeit), similiaque vitia abripit.

3) *Educationem vehementer corrumpit:* nimirum haec, de qua mox, perversa de politiori more

idea summaque ejusdem aestimatio causa est praecipua, cur a) politioris hujus genii ingeniique homines ceu nobilis juventutis magistri, etsi ceteris viri probi dotibus careant, prae reliquis quaerantur; cur b) parentes jam teneram juventutem perversis fictae politionis principiis imbuant, et innocuas hoc a more aberrationes severius, quam pessima vitia, in suis reprehendant, puniant; cur c) litteraria ac morali institutione vix pensi habita omnis fere cura in iis, quae ad splendorem, ad concinnitatem, ad ostentationem pertinent, reponatur; cur ita d) in pueris judicium morale prorsus vitietur; cur e) iidem falsa dignitatis, nobilitatis opinione inflati solidam eruditionem, morum integritatem, pietatem, et eos, in quibus haec admirari imitarique deberent, aspernentur; cur f) verae pietatis exempla etiam derisui habeant, praesertim si ea in minus cultis observent; cur denique g) ea, quae sub larva politioris moris male excusantur, peccata nil curent, imo vero ceu status sui privilegia habere videantur.

4) *Scientiarum solidarum culturam et amorem impedit:* inordinata enim politioris moris aestimatio et cura efficit, ut a) ea solum scripta, quae proxime ad eam politiorem culturam pertinere videntur, aestimari, emi et legi soleant; ut b) proin libri romanenses, curiosi, amatorii, ad luxum pertinentes, lubrici, et ludicra tractantes, et qui similis sunt furfuris, fere soli in mundi politioris manu versentur; ut c) ceteri, qui ad severiores scientias, ad mores pertinent, despecti jaceant, et ipsa eruditio ad status officia rite obeunda plane necessaria negligatur; ut d) homines his cupediis gustum corrumpentes jam so-

lidum cibum, et quidquid serium est, aut profundiorem certe inquisitionem, majorem animi contentionem exigit, aut ad delectationem, ad luxum, ad vanitatem, ad splendorem non pertinet, jam cum stomacho ac nausea adspiciant; aut e) certo vana legendo pretiosum tempus scientiarum salutarium studio subtrahant.

5) *Religiositatem ipsam invertit:* nimirum a) mundi politioris, qui per omnia, atque etiam in eo, quod ad religionis exercitium attinet, praecipui quidpiam et a populari simplicitate eximium quid habere cupit, palato parum saepe arrident ea, quae ad religionem pertinent; b) displicet religionis christianae sancta simplicitas severitasque; c) improbantur clericorum, saepe hominum de plebe, auctoritas, modestia aut candida sinceritas; d) aegre feruntur justae eorum admonitiones, correctiones, intercessiones item, et consilia; e) utque species justitiae non desit, clericos generatim ceu superstitiosos stupidosque, aut hypocritas et avaros plebis deceptores, ceu homines luxuriae coeno immersos traducere, eosque ignominiosis appellationibus (Pfaffen, Bonzen, Dümmlinge) notare, politum, ingeniosum ac generosum habetur; rursus f) contemnuntur carpunturque sacri sermones, quos veritas quidem simplicitasque, aut certe religionis fervor commendat, non item sermonis concinnitas politiorque elegantia, aut doctrinae, propensionibus commodae, blandimenta condiunt; g) fastidiuntur conventus sacri communes, in quibus gens politior ac nobilis impolitae plebi misceri debet; h) irridentur sugillanturque exercitationes piae, jejuniorum ac festorum observatio, sacrae ceremoniae, quae solius plebis ruditati, non

item hominum politiorum excellentiae, perspicacitati culturaeque ac dignitati satis accommodae habentur; i) ipse sacramentorum, poenitentiae inprimis eucharistiaeque usus aut tanquam res a politiori more aliena parvi penditur, aut summum semel in anno, aut morte jamjam imminente, ubi consuetudo aut mos imperat, ad speciem ac veluti politice adhibetur.

6) *Sinceritatem* perimit, *mutuam confidentiam* concutit, *amicitias suspectas* reddit: scilicet dum a) male politi moris libidine ducti nulla virtutis habita ratione omnibus placere perdite cupiunt, displicere, potentibus inprimis, immensum metuunt, assentando, adulando, dissimulando finem suum, nempe proprium commodum gloriamque, obtinere quaerunt, veritatemque proferre vix unquam, simulate autem agere fere semper solent; item b) dum eodem spiritu acti se omnibus obsequiosissimos simulant, amplissimis spebus, promissionibus ac sanctissimis pollicitationibus homines passim lactare ac ludificare amant, in fide danda liberalissimi, in solvenda infidissimi esse consuevere, atque hunc agendi modum ad morem politiorem referre videntur, mutua fides fiduciaque prorsus pessundatur; denique c) dum male politi ficta amicitiae specie passim homines decipere, imo sub hac larva fallacias, fraudes, insidias etiam et inimicitias dolose obtegere sciant soleantque, sincerae amicitiae dignitas minuitur, aut suspecta redditur, ejus utilitates fere tolluntur (§. 537.); contra d) vitia sinceritati, veracitati et fiduciae opposita (§. 522.) provehuntur.

§. 736.

2) *Sermo mundi politioris moralitati ac virtuti exitiosus;*

Inprimis autem summam virtuti calamitatem inferre solet *sermo mundi politioris moralitati ac virtuti inimicus* *), quo scilicet

1) *Boni malive moralis discrimen, aut finis destinatioque hominis dissimulatur, aut honestum cum bono jucundo, inhonestum cum malo molesto pessime confunditur;* quorsum referuntur varia politioris mundi *axiomata:* a) *Quid Dei interest, quid agunt homines!* Certe Deus nostri haud indigus solum nos maxime felices cupit; quidquid ergo delectat, hominis bonum est. b) Cur tot jucunditatis objecta bonus Deus praebuit, cur organa dedit, nisi ut fruamur utamurque? c) Fruamur bonis, dum sunt: erit, dum frui non liceat. d) Qui sibi nequam, cui bonus? e) Nunquid hominem exuam? aut exoticus (Sonderling) sim? Concorda tempora, et concordabis jura. Quis antiquum rigorem ferat? f) Hoc sapientiae compendium: Jucunde vivito et beate morere (lustig gelebt, selig gestorben). — Sed enim Deus non est, ni sanctus sit, ni honesta probet, inhonesta reprobet, prohibeat. Aeternum est boni malique moralis, jucundi et honesti discrimen. Excelsior hominis finis et alia ad finem praesidia (§. 5 — 10.): »Quae seminaverit homo, haec et »metet: quoniam, qui seminat in carne sua, de »carne et metet corruptionem; qui autem semi»nat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. »Verbum Domini manet in aeternum. Qui ergo »solvit (male docendo agendove) unum de man»datis istis minimis et docuerit sic homines,

»minimus vocabitur in regno caelorum (eoque »excludetur) 43).«

2) *Veritates moralitatis fundamentales elevantur aut exploduntur:* quo referri possunt mala axiomata: a) illud Psalmistae 44) malo sensu usurpatum: Coelum coeli domino, terram dedit filiis hominum; aut contra: b) Coelum non anseribus, sed hominibus destinatum (der Himmel ist nicht für die Gänse gebaut). c) Popae coeli portas angustiores et inferni ignes acerbiores pingunt. d) Quis unquam ex inferis has in terras redux testimonium perhibuit? e) Quid poparum nugis opus? *esto vir honestus;* ita Deo mundoque fecisti satis. — Sed enim aliud scriptura asseverat: a) *In manibus Dei sortes hominis* sunt. b) *Non omnis, qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum. — Intrate per angustam portam . . . quam angusta porta et arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci sunt, qui inveniunt eam.* c) *Ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* d) *Habent Moysen et Prophetas; audiant illos . . . Neque, siquis ex mortuis resurrexerit, credent.* e) *Qui vero non crediderit, condemnabitur. Sine fide autem impossibile est placere Deo* 45). *Justus ex fide vivit* (§. 11. sq.).

3) *Bono morali species mali falso illinitur:* e. g. a) religionis christianae intrepidus assertor et religionis etiam exterioris cultor amare irridetur et contumeliose (als ein Orthodox, Pedant, Schulfuchs, Mönchsgesinnter, als ein Obscurant, Bigot, Nachbether, Bethbruder, Andächtler, Gleissner etc) traducitur; dum b) tenerae conscientiae

---

43) Gal. VI. 8. Matth. V. 19. cf. Jac. II. 10.
44) Psalm. CXIII. 16.
45) Psalm. XXX. 16. Matth. VII. 13. sqq. 21. XXV. 46. Luc. XVI. 29. Marc. XIX. 16. Hebr. XI.

studium *scrupulositatis anxietatisve;* patientia et mansuetudo *hebetudinis et meticulositatis;* morum gravitas *cruditatis;* justitiae invictum studium *rigiditatis;* pura a partium studio integritas *inurbanitatis pertinaciaeque* appellatione ac veluti ignominia notantur; c) dum modestus *castimoniae* cultor et intrepidus *spurcitiarum, calumniarum, obtrectationum, criminationum* ac *injustae assentationis* osor tanquam inurbanus sexus alterius aspernator, et tetricus hilaritatis communis inimicus, veluti jucundae, liberioris politiorisque conversationis hostis, ceu agrestis, inconcinnus, insulsus homunculo irridetur, aut contemtui propinatur (§. 735.). — Quasi vero non aeterna immutabilisque rationis et evangelii lex, sed perversae hominis cupiditates, abusus ac consuetudines *liciti, recti, boni* dignitatisque humanae *norma* ac mensura essent constituta. *Lex et verbum Domini manet in aeternum.* — *Vae, qui dicitis malum bonum et bonum malum; ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.* . . *Vae, qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobis ipsis prudentes* 46).

4) *Malo morali boni aut innocui larva inducitur:* e. g. dum a) verba *omnis spurcitiae plena, et petulans, flagitiosum* ac turpiter obscoenum *jocandi genus,* si modo allegoricis, symbolicis, aequivocis verbis sententiisque, veluti involucris, tecta ac superinducta in variae etiam aetatis ac sexus hominum conventu proferantur, tanquam facetum, ingeniosum ac concinnum jucunde politeque conversandi artificium putatur; imo in pretio et admirationi habetur, atque ceu hominis perpoliti (eines feinen, artigen Gesellschafters) qualitas ac dexteritas aestimatur; dum b) blanditiae ama-

---

46) 1. Petri I. 25. Isaiae V. 20. sqq.

toriae, gestionesque impudentes etiam et petulantes, simodo ad concinnitatem moremque compositae, venustatis ac concinnitatis nomine quasi purgantur, et, qui eas dexterrime exercent, concinni homines (galante Männer, artige Gesellschafter, die das Frauenzimmer fein zu bedienen, gut zu unterhalten wissen u. s. w.) laudantur; dum c) fornicationis et pejora luxuriae peccata monstraque tanquam humanae aut vividioris certe naturae appendices, ceu venia indulgentiaque dignae imperfectiones, quas ipsa aetas abstergit, excusantur; dum d) *meretrices* et *adulterae adulterique* aut conjugis *adulteriis faventes* honestissima (Freudenmädchen, galante, gefällige Frauen, Hausfreunde, tolerante Eheleute) appellatione honorantur; dum e) *insectationis*, iniquitatis, *injustitiae* et *laesionis* varium genus sub obtentu prudentiae providique erga se suosque amoris, aut receptae consuetudinis, aut urgentis necessitatis excusantur, imo prolatis falsissimis aut pessime usurpatis defenduntur adagiis quasi oraculis, e. g. Man muss auch zeigen, dass man sich rühren kann. Nur der Thor lässt sich mit Füssen treten. Man muss den Dreisten klug machen; ihm die Leviten lesen; ihn so behandeln, wie ers verdient. Wer nichts sucht, der hat nichts. Man ist seinem Glücke manche kleine Unregelmässigkeit schuldig, ohne die man es nicht weit bringen würde. So lang das Eisen glüht, muss mans schmieden. Der Tod ist umsonst. Ein Thor lässt die gute Gelegenheit unbenützt. Jeder sieht auf seinen Vortheil. Wer das nicht thut, werfe mit Steinen auf mich. Ein jedes Handwerk hat seinen Vortheil. Man muss sein Metier, sein Amt zu nützen wissen. Wer

schmiert, der fährt. Der Weise kehrt den Mantel nach dem Winde. Schuldenmachen ist adelich, zahlen bäurisch u. s. w. Mundus vult decipi: ergo decipiatur. Amor incipit ab ego etc. etc. — At vero alia rationis, alia evangelii sunt axiomata: »*Omnis immunditia* ... *nec nominetur* »in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut »stultiloquium, aut scurrilitas . . . Omnis forni- »cator, aut immundus . . non habet haereditatem »in regno Christi et Dei. Omnis, qui viderit »mulierem ad concupiscendum eam, jam moecha- »tus est eam in corde suo. Haec est enim volun- »tas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos »a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum »(corpus suum) possidere in sanctificatione et »honore. — Et ne quis supergrediatur, neque »circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam »vindex est Dominus de his omnibus. Quaerite »primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur »vobis. Quid prodest homini, si universum mun- »dum lucretur etc. 47).«

5) *Actionis ad legem moralem relatio penitus dissimulatur aut invertitur;* quo referuntur varia mundi politioris axiomata, queis scelera, e. g. fornicatio, criminatio, fraus, caedes, quasi actiones mere indifferentes efferuntur; e. g. Einem Mädchen die Taille verderben, einen characterisiren, klug machen, einem die Augen auswischen, einem den Staar stechen, in die andere Welt expediren u. s. w.

*) 1) Nulla fere perniciosior virtutis pestis, quam sermo corruptus. Et si is civitate donatus est, certissimum publicae immoralitatis est indicium. 2)

---

47) Ephes. V. 3. sq. Matth. V. 28. I. Thess. IV. 3—6. Matth. VI. 33. XVI. 26.

Cujus rei rationem vir acutus 48) his dedit verbis: Die wesentlichsten Bedingungen, unter welchen die Aeusserung der Moralität dem Menschen möglich ist, sind: 1) genaue *Kenntniss* seiner moralischen *Bestimmung*; 2) richtige und deutliche *Begriffe* von *Recht* und *Pflicht*, vom *Guten* und *Bösen*, von *Tugend* und *Laster* . . . Was also die Vollkommenheit dieser Einsicht hindert oder einschränkt, das ist subjectives Hinderniss der Moralität. Da nun aber die *Begriffe* des Menschen so nahe mit der *Sprache* verbunden sind, dass Fehler in der Sprache sich über seine Gedanken verbreiten: so folgt, dass in jeder Sprache so viele subjective Hindernisse in der Moralität liegen, als sie Ausdrücke für moralische, oder auf Moralität sich beziehende Gegenstände hat, die nur dunkle, halbwahre, oder ganz unrichtige Begriffe von diesen Gegenständen erwecken . . . Nach diesen Bestimmungen kann mit gleicher Sicherheit zum Maafsstabe für den Grad der Moralität der Nation, die diese Sprache spricht, dienen, als, nach Sulzers Behauptung, die grammatikalische Vollkommenheit einer Sprache als Maafsstab für den Grad der Vernunft und des Genies eines Volkes gebraucht werden kann. — Erroneus igitur, falsus, subdolus de officiis et eorum praevaricationibus sermo intellectum practicum moraleque judicium prorsus vitiat, sensionem moralem obtundit ac pervertit, sensualitatis ac perversae cupiditatis principia pro agendi regulis (Maximen) obtrudit; idolum moris politioris, imo vitium commune in throno collocat, virtutis dignitatem supprimit, moralitatem pessumdat. Hinc recte monet vir sapiens: »Tunc »consummata est infelicitas, ubi turpia non solum »delectant, sed etiam placent, (laudanturque); et »desinit esse remedio locus, ubi, quae fuerant vi»tia, mores fiunt.«

48) *Hauff* über Sprachmangel in moralischer Hinsicht. Philos. Journal für Moralität, Religion und Menschenwohl. I. B. 3. Heft. p. 407—435.

§. 737.

3) *Mala mundi politioris exempla.*

Nec verbo solum moralitati officit mos politior; sed maxime eam corrumpit *pessimis exemplis* 1) *circa religionis externae exercitium* tum privatum tum publicum inprimis, quod a) saepe fastiditur; ac b) parvi penditur; c) negligiturve, aut irreverenter tepideque non raro obitur (§. 735. n. 5.). 2) *Circa conventus, societates, recreationes,* in quibus veluti politioris moris sermonisque corrupti et licentioris agendi rationis palaestris saepe vitium quasi concinne decenterque personnatum in scenam prodit, plausum refert, imitatoresque provocat. 3) *Circa agendi cum aliis rationem,* dum adhibitis dolosis blanditiis, fallendi mille artibus, belle alios eludendi dexteritate, simulatione, justi probique hominis species praefertur, et simulata virtute laus hominumque admiratio captatur; imo apertum, e. g. immisericordiae, injustitiae, calumniae vitium involucris ac concinnitate quadam tegitur, ac moris innocui, decentiae, necessitatis, prudentiae veluti pigmento obductum quandoque triumphat. 4) *Circa luxus vitium;* dum nempe in victu, vestitu, habitatione, supellectili, famulitio, in recreationibus, conventiculis nulla vel status vel rei familiaris, inopiae *aut aeris* alieni, ne dicam, beneficentiae erga pauperes, habita ratione omnia ad splendorem, ad magnificentiam, ad fastum, ad ostentationem, ad mollitiem, ad luxum ultra omnem modum componuntur opesque profunduntur. Unde varia alia peccata et mala (§. 371. n.), inprimis moralitatis publicam corruptionem oriri necesse est . . 5) *Circa vestitum, conversationem cum sexu altero,* otiosam vitam; dum nempe a) vestitus vestien-

dique modus non mollitiem solum et luxum olet, sed modestiam laedit, et ad libidinem vehementer provocat (cf. §. 349. n.); dum b) liberior cum sexu altero jocandi, loquendi, agendi ratio veluti politioris moris appendix castitati ac pudori exitium parat; dum c) vita aut otiosa, aut nugis, imo periculosis animi relaxationibus, inutilibus malisque colloquiis dicata cujusvis utilis occupationis, nedum virtutis taedium inducit, variisque vitiis latam portam aperit (§. 374.). 6) *Circa matrimonia et fidem conjugalem;* dum a) illa magis ad rationum politicarum, quam prudentiae christianae regulas nectuntur; dum b) in iis fidei conjugali inimica quaedam veluti tolerantia ad morem politum pertinere videtur; dum c) concinnum solenneve habetur, ut uxor alienos cultores, maritus suas, quas impensius colat, faeminas habeat etc.

*) Ceterum his, quae ex politioris mundi aestimatione, sermone et exemplis moralitati adversa proveniunt, impedimentis varia opponi possunt remedia: inprimis 1) ut de vera hominis dignitate et decentia justissima *veraque idea* ex *rationis* et *evangelii lege* figatur; ut 2) ad hanc legem moris male politi, sermonis item et exemplorum vanitas, malitia, pessimi effectus examinentur; ut 3) saepe perpendatur, nec peccantium numero, nec auctoritate actionem moraliter malam mutari, nec coram Deo excusari: sed quemque non secundum morem et axiomata mundi, sed *secundum Dei legem fore judicandum,* et vel praemio vel supplicio aeterno adficiendum; 4) ut cogitemus, *spiritum*, *sapientiam*, *amicitiam mundi* in maligno positi a Christo et apostolis (§. 152.) conceptis verbis damnari; 5) audiamus s. Joannem monentem: »Nolite diligere mundum . . si »quis diligit mundum, non est charitas Patris in »eo. Quoniam omne, quod est in mundo, con»cupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum,

»et superbia vitae 49):« quare 6) opprimenda immodica et temeraria aliis placendi, alios temere imitandi cupiditas; ponenda ante oculos exempla virorum, qui in medio malorum Deo virtutique fideles perstitere, e. g. Noe, Abraham, Tobias; demum 7) praeparandus animus, imo excitanda quaedam cupido ad ludibria, ad contumelias, persecutiones, opprobria propter Deum et virtutem sortiter toleranda: imo eadem sorte perpessi cum apostolis 50) gaudeamus, simusque prorsus persuasi, quoniam *obedire oportet Deo magis, quam hominibus* 51).

ARTICULUS VI.

IMPEDIMENTA MORALITATIS ET VIRTUTIS CHRISTIANAE EX PARTE MUNDI CIVILIS POPULARISQUE.

§. 738.

1) *In vita inprimis urbana;*

Equidem cives in urbibus degentes cultior ad morum honestatem educatio, politior decentiae sensus, et multae ad mentem animumque excolendum et ad humanitatem virtutemque formandum tum opportunitates tum exempla insigniter juvant 52): at vero altera ex parte haud desunt in *vita urbana* admodum perniciosa virtutis impedimenta, nimirum 1) *exemplorum malorum*, quae a corrupto statu politiori sumta sensim cives imitantur (§. praec.), *frequentia* et trahendi nocen-

49) I. Joan. II. 15.
50) Act. V. 41.
51) Act. V. 29.
52) Cf. *Mich. Sailer* Glückseligkeitsl. p. I. §. 287. sq.

dique vis; 2) *moris male politi* ac *sermonis* corrupti (§. 735. sq.) imprudens aestimatio coecaque *imitatio*; 3) variae *societates*, *oblectationes*, *invitationes* moralitati periculosae, inimicae; 4) *respectus humani* et *moris recepti*, etsi corrupti, *indololatria*, ac quasi despotismus, cui omnes cultum adhibent, et servitutem serviunt; 5) *luxus immodici lues* et *libertatis* religiosae politicaeque, male intellectae, effroenata aviditas.

*) Contra haec impedimenta 1) fere eadem, aut similia, de quibus mox diximus (§. praec. n.), remedia adhiberi recte possunt debentque; 2) item ad melioris notae exempla horumque effectus animum advertere inprimis utile erit.

§. 739.

2) *In vita rurali;*

Vitam ruralem liberior naturae contemplatio, aut ejus certe opportunitas, animi morumque candor, victus, vestitus, habitationis simplicitas, laboris amor, multarum indigentiarum, quae cives prèmunt, ignorantia aut contemtus commendant et ad virtutis exercitationem felicius adaptare videntur. Neque tamen desunt, quae *moralitati* remoram aut periculum creare *in vita rurali* solent, inprimis 1) *institutionis* educationisque liberalioris honestiorisque, et cultioris societatis *inopia*; 2) agendi *ruditas* cruditasque, atque animi obstinatio; 3) *crassiorum oblectationum* et conventiculorum minus decentium *pericula*; 4) vitae *ruralis taedium* ex moris luxusque urbani invidentia et imitatione natum.

§. 740.

3) *In singularibus vitae humanae statibus.*

Omnia illa, quae in singularibus hominum classibus, conditionibus, statibus occurrunt, virtutis christianae impedimenta recensere velle aut impossibile, aut certo nimis foret longum, neque etiam necessarium, quum illa fere ex iis, quae de variorum statuum officiis ac periculis etiam diximus (§. 590. sq.), intelligi possint. Igitur generatim notasse sufficiat, quod moralitati ac virtuti christianae saepius ingentia objiciant impedimenta 1) *conditionis et status mala*, aut non secundum rationis et prudentiae regulas *facta electio* (§. 588.) aucupatiove; aut hominis ad statum *non* congruentem *destinatio;* 2) neglecta ad futuram vitae conditionem decens *praeparatio;* 3) *status semel electi minor aestimatio*, aut libere conceptum maleque nutritum *taedium;* aut *conditionis alterius* immodica *cupiditas;* 4) *officiorum status sui* imperfecta tepidaque executio, aut etiam neglectio; 5) inter conditionis ejusdem homines *maligna aemulatio invidiaque;* aut sui ipsius non nisi cum pessimis ejusdem status hominibus *comparatio*, aut arctior cum iisdem *conjunctio* eorumque imitatio; 6) *abusuum variorum malarumque praxium*, quae inter certae conditionis homines frequentius serpunt, sub vano receptae consuetudinis praxeosque (als Amts - Gewerbs - Handwerks - Stands-Sportel, Vortheile, Gebräuche, Moden) obtentu *iniqua excusatio*, coeca imitatio, pessima frequentatio.

*) 1) Hoc loco idem, de quo supra (§. 737. n.) diximus, remediorum genus applicari nullo negotio potest. 2) Ceterum iis impedimentis objicienda sunt virtutis perfectionisque christianae subsidia, de quibus jam dicendum.

SECTIO II.

DE CHRISTIANAE VIRTUTIS PERFECTIONISQUE SUBSIDIIS.

§. 741.

Dicendorum ratio et ordo.

Quidquid ad virtutem plantandam, promovendam perficiendamque servit, generatim *subsidium* virtutis dici potest. Porro virtutis perfectionisque christianae adjumenta varii varia assignant, et vario ordine modoque exponunt *): 1) illa a quibusdam a) in *remotiora* et praeparatoria; b) in *proximiora* et immediata; et c) in *mediata* subsidiariaque; item in a) *naturalia* et b) *revelata;* rursus in a) *communia* et b) *specialia* distribui jam antehac (§. 153—156.) observavimus; 2) alii eadem in a) *pure rationalia*, et b) *mixta;* alii 3) in ea, quae ad homines aut a) emendandos; aut b) perficiendos (zum Gut- und Besserwerden) pertinent, distinguere solent: alii aliis modis ea dividunt [1]); nos 4) hunc observabimus ordinem, ut I. de N. L. *sacramentis* ceu virtutis subsidiis a Christo institutis; deinceps II. de reliquis virtu-

1) Cf. *Ch. Erh. Schmid* Versuch einer Moralphil. §. 645. sq. *Joh. Wil. Schmid* theol. Moral. §. 153. — 170. *Mich. Sailer* Glückseligkeitsl. II. Th. *Schwarzhueber* Religionshandbuch. IV. B. §. 179. *C. F. Städlin* Grundrisse der Tugend- und Religionslehre. §. 132.

tis christianae subsidiis *communibus*; demum III. de *specialibus* perfectionis christianae adjumentis: *consiliis* nempe *evangelicis*, agamus. Ceterum 5) hoc loco aliqui de *gratia Christi* ad opus salutare quodvis, atque adeo ad virtutem christianam prorsus necessaria dicere plura solent: at vero haec tanquam in theologia christiana theoretica jam pertractata heic sumimus [2]), solumque quaedam monita practica subnectenda putamus **).

*) Nempe 1) id genus *subsidia* in a) *genuina*, et b) *spuria* dividere quidam solent; eoquod aliqui quaedam *subsidia virtutis christianae* assignent, quae vel a) ex natura sua, vel saltem b) ex praepostero eorum usu et hominum vitio virtutem christianam promovere reapse haud possunt; qua de re jam supra (§. 695) injecta mentio est. Ceterum 2) etiam optima saluberrimaque virtutis subsidia vel sinistro modo intellecta, vel ultra justum pretium aestimata, vel ad suum scopum non rite usurpata omni fructu saepe carere, imo in virtutis impedimenta etiam degenerare possunt. Id quod ex dicendis evidentius patescet.

**) Quum 1) *gratia divina* ad omne opus salutare prorsus sit *necessaria*, eaque ex sola Dei *miserentis* bonitate homini quidem eveniat, attamen *largior* iis, qui gratiae motibus obsecundantes coeleste hoc donum a bono Deo *petierint*, concedi soleat, patet: a) *quam demisse* homo se a Dei bonitate prorsus dependentem, infirmum et impotentem agnoscere, sibique ac suis viribus diffidere debeat; b) *quam grato animo* divinam erga se bonitatem revereri, in solo Deo gloriari, eique omne opus bonum adscribere; c) *quam fidenter* a Deo gratiae auxilium petere sperareque; et d) *quam fideliter* divinis gratiae illustrationibus impulsibusque obsequi homo christianus debeat; item e) cur, quum Deus nemini desit, gratiae necessitas nostram

2) Cf. *Ildeph. Schwarz* Handb der christl. Relig. 3. B. VII. A. §. 1—6.

socordiam minime excusare queat. Quoniam vero 2) *gratia Dei*, quantumvis *efficax*, humanae facultatis usum et *liberum* hominis *arbitrium* conatumque haud excludit, sed maxime ad excitandum, stimulandum sustentandumque hominis conatum et studium conceditur, intelligimus, illos nequaquam Dei gratiam commendare, sed potius ea abuti, qui a) illius efficaciae male confisi minus sibi conandum, pugnandum laborandumve existimant, pigre ac socorditer agunt; qui b) occasiones mali non caute fugiunt, aut naturalia quasi virtutis media adhibere negligunt; qui c) conversionis, justificationis ac sanctificationis negotium esse obvium ac facillimum arbitrantur; qui d) ad arduum hoc negotium non omni conatu nec diu multumque se praeparent, aut prima fundamenta posuisse contenti vitiorum radices penitus evellere, veterem hominem cum actibus suis prorsus exuere, novum, qui secundum Christum creatus est, hominem induere negligunt, aut certe parum laborant; denique qui e) quibusvis a Deo datis gratiis, et oblatis ad bonum occasionibus sollicitius uti, et indies in melius proficere, ac ad perfectionis moralis ideale appropinquare vix leviter curant. 3) Nimirum equidem a Deo bono gratiae auxilia certo speranda: simul tamen ita conandum, laborandum, decertandumque est, ac si ex solo conatu nostro omnia pendeant. Cf. *De imitatione Christi* lib. II. c. 10.

CAPUT I.

DE N. L. SACRAMENTIS TANQUAM CHRISTIANAE VIRTUTIS SUBSIDIIS.

ARTICULUS I.

DE N. L. SACRAMENTIS GENERATIM.

§. 742.

Sacramentorum N. L. a) *scopus;* b) *notio et* c) *numerus;* d) *essentialia;*

Christus Dominus non modo propositis salutaribus veritatibus ea, quae homini agenda fugiendaque essent, docuit, agendique fortissima motiva suggessit, gratiasque, queis animus hominis illustretur moveaturque, promeruit: sed exteriora etiam quaedam signa symbolaque religiosa, ceu gratiarum fontes et salutis subsidia instituit. Quae quidem sensibilia efficaciaque religionis et gratiae divinae symbola *novae leges sacramenta* appellantur. Atque haec quidem 1) *sacramenta a Christo Domino instituta sunt eo fine,* ut servirent a) ad homines suae religioni et ecclesiae *initiandos,* eosque ab infidelibus discernendos; b) ad eosdem de salutaribus veritatibus officiisque perpetuo *commonendos;* c) atque tum inter se, tum cum suis pastoribus arctiori vinculo *connectendos;* inprimis d) ad homines a peccatis praeservandos ac expurgandos, ad eos *in fide et charitate* roborandos, et in arduis maxime vitae statusque conditionibus muniisque *speciali gratia sus-*

tentandos; verbo: ad *hominum sanctificationem* ac christianam perfectionem promovendam *). 2) Igitur *N. L. sacramentum* est *res sensibus subjecta, quae ex Dei (Christi) institutione sanctificationis et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet* [3]. Cujus generis 3) *sacramenta* ex scripturae et traditionis auctoritate a concilio Tridentino [4]) *septem numero* recensentur: *baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium* **). Porro, ut ex ipsa sacramenti notione colligitur, 4) ad *essentialia sacramenti* pertinent a) res sensibus subjecta; b) divina institutio; c) vis divinitus insita, gratiam et hominis sanctificationem non significandi solum, sed promovendi etiam; si modo ea, qua divinus Servator voluit, mentis animique comparatione ac dispositione recipitur. Ceterum 5) in his sacramentis attentionem inprimis meretur a) *ritus sensibilis*, quo Christus et nostrae a sensibus dependentiae et ecclesiae ceu societatis visibilis rationem habuit; b) *veritas fidei* et officium pietatis, quam utramque promovere Christus per ea voluit; c) *gratia*, qua nostris indigentiis misericorditer medelam paravit. Deinde 6) sacramenta esse *signa ethica* inde colligitur, eoquod a) *praeparationem* moralem requirant; b) *officia* moralia determinent; et c) ad ea explenda roborent. Demum 7) in sacramentis administrandis quaedam *ceremoniae* adhiberi solent ***).

*) Itaque sacramenta sunt 1) *signa characteristica* et distinctiva hominis christiani a judaeo gentilique; 2) *rememorativa* summae Jesu Christi in nos charitatis, et praecipuorum divinorum beneficiorum promissorumque, item, officiorum hominis christiani;

---

3) Catechism. Rom. p. II. n. 9.
4) Sess. VII. de sacram. c. 1.

3) *excitantia* ad fidem, spem, charitatem erga Deum Christumque, et ad sanctum hominum amorem; 4) *efficacia* gratiae tum sanctificantis, ac divinorum auxiliorum, queis bonum morale tum totius christianae societatis singulorumque membrorum, tum etiam inprimis quorundam statuum, nempe *clericalis* et *conjugalis*, promovetur.

**) *Ceremoniae sacrae* cumprimis illae, quae in sacramentorum administratione susceptioneque adhibentur, equidem a) *accidentales* sunt et mutabiles: attamen b) quaedam semper erant *receptae;* quumque c) utiles sint et ad fovendam pietatem et internam quoque religionem promovendam collineent: d) reverenter, et modo ad scopum accomodato sunt adhibendae; proin e) populo christiano rite explicandae; et f) cum auctoritate publica sint praescriptae, nec omitti nec privata auctoritate mutari absque piaculo possunt 5).

***) Haec generatim breviterque indicare magis, quam exponere volui, utpote quae in theologia theoretica, et quod ad eorum administrationem attinet, in theologia pastorali curatius exposita heic sumimus.

§. 743.

e) *Eorum aestimatio et receptio.*

Haec autem a Christo ad salutem nostram instituta *sacramenta* 1) in *maxima veneratione* sunt habenda; ut nempe a) eorum vim ex Christi institutione insitam certa fide credamus; b) in Christi promissis immotam fiduciam reponamus; c) divini beneficii per ea nobis conferendi magnitudinem maxime aestimemus; 2) secundum Jesu Christi voluntatem et consilium sunt *rite usurpanda*, ut nimirum a) eas veritates aut beneficia divina, ad quorum memoriam renovandam insti-

5) Catechism. rom. p. II. c. 1. n. 10. Concil. Trid. sess. VII. can. 13. XXII. c. 5.

tuta sunt, item effectus sacramentorum quorumque in animum studiose revocemus et articulatim perpendamus; b) ut ad nobilissimos sacramentorum effectus percipiendos omne illud, quod rei natura et dignitas exigit, aut Christus per se aut ecclesiam suam praescripsit, *praeparationis ac dispositionis genus* quam diligentissime adhibeamus; c) ut gratiis per dignam sacramentorum receptionem acceptis ad morum sanctitatem promovendam rite utamur.

*) 1) Qui sua propria culpa sacramentum *invalide* recipit, *omni ejus fructu effectuque* caret, et contemtum specialis divini beneficii admittit, divini redemtoris voluntatem ac beneficentiam, quantum in ipso est, irritam inanemque reddit, ac proin insignis culpae se reum facit. Ceterum 2) *sacramenta mortuorum* etiam, ut vocant, baptismi nempe et poenitentiae, quae ad hominem a peccatis purgandum proxime instituta sunt, recipere citra piaculum nequit, qui non a) per fidem salutarem spemque in Christi meritis conceptam; b) per serium efficacemque de peccatis gravibus dolorem; atque c) firmum, et cum quodam praedominante imperfectae saltem charitatis affectu junctum servandae deinceps christianae legis propositum se ad illa recipienda praepararit 6). Quare 3) multo magis is gravioris se culpae reum reddit, qui *sacramenta vivorum*, ut vocant, seu reliqua praeter baptismum et poenitentiam sacramenta recipit in statu gravioris peccati positus, nisi prius contritionis, seu serii de peccatis doloris actum saltem elicuerit, ac firmum melioris vitae propositum animo conceptum habuerit: nam hoc qui neglexerit, sacramenti effectum impedit remque sacram irreverenter tractat. Porro 4) ut ad fidei, spei, amoris, reverentiae, humilitatis aliosque pios, queis ad sacramenta digne recipienda disponimur, actus excitemur, a) ante cujusvis sacramenti susceptionem semper praecat

---

6) Concil. Trident. sess. VI. c. 6.

necesse est quaedam consideratio ac meditatio de Deo, de infinita ejus bonitate et seria nos sanctificandi voluntate; item de fine et virtute sacramenti, de animi nostri dispositione praesenti, de fructu inde capiendo; quem in finem b) sacramenti symbola, ceremonias, partes, attento animo recolamus, ut eas veritates et sanctas affectiones, ad quas denotandas excitandasque tendunt, reapse in mente repraesententur et in animo excitentur.

**) Igitur 1) qui, sacramentorum *vim intimam* commendaturi, iisdem absolutam ac veluti independentem a subjecti praeparatione dispositioneque homines rationis compotes sanctificandi vim adscribunt, a) a Christi mente scopoque prorsus aberrant; b) imo praejudicia Christi honori ac christianae pietati adversa vovent; c) homines sacramenti recipiendi spe fretos vitae emendandae incurios faciunt; aut d) eos solo mechanico sacramentorum usu contentos de salute male securos reddunt. Unde 2) animo tum suo tum aliorum alte inculcandum, a) vanam esse eorum in sacramentis fiduciam, qui haud moraliter, sed legaliter solum aut prorsus mechanice sacramenta recipiunt, item pro certo habendum, b) sacramenta haudquaquam supplere, nedum superfluos reddere hominis pios actus, aut conatus; imo c) ea maxime ad contentionem sustentandam, ad infirmitatem impotentiamve nostram divina gratia roborandam esse instituta; d) nec per ea subjectis dispositionis capacibus, nisi rite dispositis, atque secundum propriam cujusque dispositionem ac cooperationem, ut ait Tridentinum 7), promissos effectus conferri. Quocirca 3) maxime *ex praeparatione et fructibus* de digna sacramentorum participatione erit judicandum; atque a) is demum, qui ex eorum usu se a *peccatis vitiisque magis alienum* et ad communia specialiaque christiani officia magis paratum expertus fuerit, se sacramentis rite usum esse juste poterit sperare; contra b) qui inde pietatis ac virtutis christianae incrementum nullum capit, vane sibi de fructus sacramentalis participatione blandi-

7) Trident. sess. VI. de justit. c. 2.

tur; potius praeteritam negligentiam esse reparandam, ac deinceps sibi diligentiori praeparatione opus esse admonetur.

ARTICULUS II.
DE SACRAMENTO BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS.

§. 744.

I. *Baptismi* 1) *notio;* 2) *scopus;* 3) *effectus;*

Christus Dominus baptismum sacrum, cujus genus quoddam jam apud Judaeos in recipiendis proselytis receptum erat, novis accessionibus solennem ipse instituit, et in ecclesia sua perpetuo retineri jussit. Porro *baptismus* ex N. L. sacramentis *primum*, et reliquorum velut janua, dici recte potest

1) *Sacramentum spiritualis regenerationis per ablutionem aquae sub expressa Dei Patris, Filii et Spiritus sancti invocatione factae.*

2) *Scopus finisque*, ob quem a Christo est institutus, eo fere redit: nempe institutus est, ut sit a) *publica professio fidei in Deum Patrem*, qui se per Filium revelavit; *in Dei Filium*, meditatorem ac Dominum nostrum; *in Spiritum sanctum* homines renovantem sanctificantemque [8]); item b) *solennis veluti pactio ac foedus* cum Deo (der Taufbund), vi cujus homo peccatis vitiisque veluti moritur, iisque et eorum illecebris renuntians in christiana fide, secundum Christi exemplar no-

8) Matth. XXVIII. 19. Ephes. IV. 5. sqq. Philipp. II. 9. Tit. III. 5. sqq.

vam sanctamque vitam se victurum, et per omnia Christi praescriptis exacte perpetuoque se obsecuturum esse 9) spondet *); ut sit c) *legale signum symbolumque associationis ac receptionis* in Dei regnum, in moralem ac religiosam societatem a Christo fundatam, seu ecclesiam christianam [10]; inprimis vero, ut sit d) *signum efficax spiritualis regenerationis*, vi cujus homo rite dispositus non modo a peccato originali, sed a peccatis quoque actualibus mundatur, justificatur, membrum Christi capitis, regni coelestis haeres Christique cohaeres efficitur, et veluti jus quoddam ac certam spem ad capiendas, queis vita spiritualis in baptismo accepta conservari valeat, gratias actuales nanciscitur [11]; demum e) *signum sensibile gravissimarum obligationum*, quas christianus in foedere baptismali suscipit, nempe ut *mortuus peccato* cum Christo *in novitate vitae ambulet* et sanctum ac immaculatum se Deo consecret [12]. Atque inde intelliguntur

3) *effectus baptismi* rite suscepti, qui sunt a) *participatio jurium*, quibus christianus gaudet; b) *gratia sanctificans* prima regenerationis; et c) *character* perpetuus, ob quem repeti baptismus nequit; d) obligatio leges Christi et ecclesiae servandi etc.

*) Olim baptismi suscipiendi candidati 1) ad baptismum praeparabantur per *quatuor gradus:* a) *audientium*, queis solum evangelii expositioni ac s. sermoni interesse licuit; b) *genuflectentium*, qui pri-

9) Rom. VI. 2—4. I. Petri III. 21.
10) Matth. XXVIII. 19. Joan. III. 5.
11) Act. II. 38. I. Cor. VI. 11. XII. 13. Rom. VIII. 17. Col. 12. sqq.
12) Rom. VI. 2. sqq. Col. II. 12. Ephes. V. 26. sqq.

mae liturgiae parti adesse permissi, in genibus positi orationibus expiabantur; c) *competentium*, qui in priori gradu probati ad baptismum petendum ab episcopo admissi exorcismis, jejuniis, sacris ritibus ad baptismum praeparabantur; d) *electorum*, qui in praecipuis fidei mysteriis instituebantur. Hos demum gradus vulgo duorum pluriumve annorum spatio emensi ad baptismi gratiam fuere admissi. 2) *Proximior* ad baptismum *praeparatio* tribus maxime actubus absolvebatur; nempe a catechumenis ad baptisterium perductis exigebatur a) *renuntiatio* satanae et operibus pompisque ejus verso ad occidentem vultu facienda; b) *sponsio ac stipulatio* obedientiae Christo et legi ejus praestandae verso ad orientem vultu, oculis in coelum quasi ad Christum sublatis fieri solita; c) *professio fidei christianae*, alicubi etiam manu subscribenda 13). Ceterum 3) inter baptismi ceremonias jam antiquissimis ecclesiae temporibus receptas praecipua erat *patrinorum* seu *sponsorum* adhibendorum consuetudo. Porro hi, a) qui adultis quasi testes assistebant, inprimis suorum filiorum ante et post baptismum institutionem et ad vitam christianam exhortationem curare debebant; b) *qui parvulis* aderant aut infirmitate oppressis, pro iis respondentes sponsiones faciebant, eosque deinceps piis monitis ad explendas initi cum Deo foederis conditiones urgere et adhortari tenebantur 14): quod idem officium hodieque patrinis incumbit.

**) *Ceremoniae* hodiedum in baptismo adhiberi solitae pleraeque antiquissimae sunt sequentes: 1) baptizandus ad *templi januam* exspectat, et instructionem in fide petit; ut sibi per fidem et baptismum januam ad regnum Dei et Christi reclusum iri admoneatur: 2) *nomine Sancti* cujusdam insignitur, ut ad ejus

13) *Cyrill. Hierosolym.* catech. myst. I. n. 2. et 6. *Hieronimus* in Amos VI. 14. *Ambros.* de initiat. c. 14. cf. *Bingham* orig. eccl. et *Paleotimus* l. XI. c. 7. *Schwarzhueber* Religionshandb. 2. Th. §. 160. sqq.

14) Cf. *Paleot.* origin. eccl. l. XI. c. 8.

mores imitandos 15) excitetur; 3) *halitu afflatur*, ut se vita spirituali animari 16) moneatur; 4) *cruce* saepius signatur, ut se sub crucifixi lege militaturum meminerit; 5) *exorcismis* adhibitis baptizandum a peccati et diaboli jugo liberari 17) innuitur; 6) *sal ori* imponitur, ut ipsum a vitiorum putredine liberum servari et christianae sapientiae gustu imbui debere 18) significetur; 7) *saliva* ori, naribus auribusque baptizandi admovetur, ad Christi exemplum, qui surdum mutumque ac coecum adhibita saliva sanaverat 19), ut hominem baptizatum a spirituali morbo sanari, et membrum verae ecclesiae *audiendi* evangelii, et gustandi odoris boni exempli cupiditate incensum esse debere, innuatur; porro baptizandus 8) *fidem christianam* profiteri; 9) *satanae* renuntiare; et 10) baptismi *recipiendi voluntatem* declarare jubetur; item 11) ante baptismum *s. oleo* in pectore et intra scapulas; post baptismum chrismate in capitis vertice ungitur; demum 12) baptizatus candido amictu induitur; 13) eique cereus accensus porrigitur, ut nempe per fidem christianam se peccatis et diaboli operibus rejectis, Christi regno se adsociari velle declaret, et se tanquam *pugilem* et Christo initiatum fortiter pugnare, *candidum* innocentiae baptismalis *vestem* servare immaculatam, et ceu filium lucis bono vitae exemplo praelucere debere meminerit 20).

15) *S. Ambr.* l. II. de sacr. c. 2. *S. Greg. Naz.* in s. lavacr.

16) *S. Chrysost.* homil. de Adam. et *S. August.* l. de nupt. c. 17.

17) *S. Chrysost.* hom. 55. in Matth. *Greg. Naz.* orat. III. in s. lavacr.

18) Origin. hom. VI. in Ezech.

19) Marc. VII. 32. sqq. Joan. IX. 6. sqq.

20) *Tertull.* de coron. milit. c. 3. *S. Ambros.* l. I. de sacr. c. 2. cf. Matth. V. 16. Ephes. V. 8.

§. 745.

4) Necessitas; et 5) dispositiones ad eundem necessariae.

Baptismus, tanquam spiritualis regenerationis et associationis in Christi ecclesiam sacramentum, 1) omnibus hominibus ex Christi praescripto *necessarius*[21]) est, a) *parvulis* etiam mature conferendus; et b) *ab adultis*, ubi primum ejus necessitatem cognoverint, riteque fuerint instituti et praeparati, necessario recipiendus, nec ultra differendus; ut qui c) non nisi perfecto charitatis actu aut martyrio suppleri potest. 2) *Dispositiones* ad hoc sacramentum percipiendum *in parvulis*, ut qui rationis usu non pollent, nullae quidem requiruntur: at vero *in adultis* ad baptismum *valide* recipiendum equidem sola ejusdem accipiendi voluntas sufficit; ad eum autem *licite* et *cum fructu* percipiendum tum ex rei natura tum ex scripturae et ecclesiae auctoritate *) necessaria sunt a) *cognitio praecipuarum* fidei christianae veritatum; b) *fides*, qua quis iisdem firmiter assentitur; c) *spes*, qua Deum propter Christum ipsi propitium fore confidit; d) animi contritio, seu *poenitentia* de vitae anteactae peccatis; et e) *vitae melioris firmum propositum*; quod utrumque cum quodam Dei amore, initiali saltem, conjunctum, atque ex eo profectum esse debet; uti antehac (§. 743. n. 1.).

*) »Euntes *docete* omnes gentes, baptizantes eos. — »Qui *crediderit* et baptizatus fuerit, salvus erit. »*Poenitentiam* agite et baptizetur unusquisque ve»strum. Si quis non *amat* D. Jesum Christum, ana»thema sit. Quicunque baptizati sumus in Christo

21) Marc. XVI. 16. Joan. III. 3.

»Jesu, consepulti sumus cum ipso, ut in *novitate* »*vitae ambulemus* 22).« Idem 2) dilucide definit et exponit Tridentinum 23); et per praxin ecclesiae antiquam itidem (§. praec. n.) confirmatur.

§. 746.

6) *Ejus ad virtutem christianam promovendam efficacia.*

Baptismus ex eo etiam insigne christianae virtutis erit subsidium, si 1) *insignes et excelsos ejusdem effectus* (§. 744.) et Christi promissa frequenter cum animo grato perpendentes ad Dei et Christi amorem nos exstimulemus; si 2) *foederis baptismalis*, ac susceptarum per id gravissimarum obligationum memoriam saepius, inprimis e. g. in die natali, aut ubi ad s. synaxin accedimus, ubi aliorum baptismo adsumus etc., singillatim et considerate repetamus, cum iis officiis vitam hucusque actam comparemus et deinceps ceu Patri, Filio et Spiritui sancto initiati tanquam Dei filii, Christi membra et templa Spiritus sancti vitam novam, Christi exemplo consentaneam sanctamve nos victuros esse proponamus; si 3) saepius, quantum in hoc proposito exequendo fuerimus progressi, nobiscum perpendamus, idem propositum renovemus, ac adhibitis fortioribus subsidiis executioni dare satagamus.

*) Id praecipue tum *ipsi* facere debent, tum ut id faciant, a patrinis, aut pastoribus animarum admonendi sunt, *qui* ad *s. confirmationis sacramentum* accedere parant.

---

22) Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. Act. II. 38. I. Cor. XVI. 23. Rom. VI. 3. sq.
23) Trident. sess. VI. de justif. c. 6.

§. 747.

II. *Sacramentum confirmationis: ejus* 1) *notio;* 2) *effectus;* 3) *necessitas;*

Christianae perfectionis insigne adjumentum item est s. *confirmationis sacramentum;* nam renatis per baptismum hominibus per impositionem manuum episcopalium, chrismatis unctionem et orationem conferri robur ad fidem christianam constanter ore opereque profitendam, omnis ab apostolis usque credidit ecclesia; quae sacra ceremonia *confirmationis sacramentum* appellatur. Igitur

1) *Confirmatio* est N. L. sacramentum, vi cujus homini baptizato per manus impositionem, chrismatis unctionem et orationem episcopi Spiritus-sancti gratia specialis ac robur ad fidem christianam firmiter tenendam et intrepide profitendam confertur [24]).

2) *Effectus hujus sacramenti* sunt a) *gratiae sanctificantis,* quae ad id licite recipiendum in subjecto requiritur, *augmentum;* b) *certa spes* ac veluti jus consequendi suo tempore gratias actuales ad fidem intrepide profitendam necessarias; c) *perfectio ac character,* vi cujus homo christianus perfectus regni Christi civis ac veluti miles inauguratur.

3) *Necessitas hujus sacramenti* ex dictis colligitur. Nam quum salutares, ob quos Christus hoc sacramentum instituit, effectus negligere nemo absque piaculo possit, id quidem sacramentum oblata opportuna occasione a fidelibus recipiendum esse dubium non est. Erit autem eo urgentior ejus recipiendi obligatio, quo magis Spi-

---

24) Act. VIII. 14—17. Concil. Trid. sess. VII. c. 1. de confirm. cf. *Schwarzhueber* l. c. §. 163—166.

ritus s. gratia ad fidem tenendam profitendamque cuiquam fuerit necessaria *).

*) Etsi vero hodie *cruentae* contra fidem persecutiones fidei nostrae non minitentur: in tanta tamen irrisorum christianae religionis et librorum religionem impugnantium copia, inter tot vitiorum illicia, et vitae virtutique christianae e diametro opposita exempla *specialem gratiam*, qua ad fidem christianam non solum ore profitendam, sed moribus inprimis tenendam roboremur, fore necessariam, quis inficias iverit? cf. *Schwarzhueber* P. C. Religionshandb. p. II. §. 169.

§. 748.

4) *Dispositiones ad rite suscipiendam confirmationem.*

Equidem quicunque baptizatus hujus sacramenti recipiendi capax est, quum olim episcopi solenniter baptizantes mox post baptismum etiam infantibus confirmationem administrarint: per hodiernam tamen ecclesiae disciplinam utriusque sacramenti collatio a se disjuncta est; nec vulgo nisi rationis usum adepti ad sacramentum confirmationis admittuntur, ut id majori cum fructu et rite dispositi recipiant. Requisitae autem ad ejus susceptionem *dispositiones praecipuae* censentur, ut

1) Confirmandus non modo sit baptizatus, sed vulgo septimum aetatis annum jam attigerit; 2) a gravioris peccati reatu immunis existat: proin peccati talis sibi fors conscius, nisi prius per poenitentiae actus, aut, si copia non desit, sacramentum purgatus, accedere prohibetur; 3) in fidei christianae morumque dogmatibus atque praesertim de confirmationis virtute scopoque rite sit instructus; 4) per preces, per repetitos fidei, inprimis de hujus sacramenti efficacia conceptae, speique ac charitatis actus, per

renovationem foederis baptismalis (§. 746.), per sancta christianae fidei insuper habitis quibuscunque obstaculis ore opereque constanter profitendae proposita praeparatus; demum 5) summa cum *reverentia, fiducia* ac *desiderio*, atque, quod decet, si mane ministretur, etiam *jejunus* accedat; deinceps vero 6) acceptae gratiae, obligationis sibi impositae, ac piorum propositorum saepius memor, illa rite uti, haec sanctissime exequi nunquam non satagat.

*) 1) *Parentes*, *patrini*, atque inprimis *animarum pastores* ad dignam hujus sacramenti receptionem mature suos instruere, praeparare atque excitare debent; 2) quod si rite fiat, quin major sacramenti hujus fructus sit consecuturus, dubium non est; 3) de *modo instituendi* praeparandique confirmationis candidatos vid. *Simpert. Schwarzhueber P. cath. Religionshandb. II. B.* §. 170.

ARTICULUS III.
DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE ET S. COMMUNIONE.

§. 749.
Eucharistiae 1) *institutio*; 2) *scopus*; 3) *effectus*.

Excellentissimum N. L. sacramentum est *Eucharistia*, quod Christus Dominus descessurus e mundo tanquam praecipui sui in nos amoris testimonium pignusque reliquit. Cujus tum institutionem, tum scopum, item recipiendi rationem receptique effectum breviter describit Paulus apostolus in hanc sententiam: »Dominus Jesus, in »qua nocte tradebatur, accepit panem, et gra-

»tias agens fregit, ac dixit: *Hoc est corpus meum*, »*quod pro vobis tradetur*, (quod pro vobis ac co»ram vobis [25]) frangitur); hoc facite in meam »*commemorationem*. Similiter et calicem, post»quam coenavit, dicens: *Hic calix novum testa»mentum est in meo sanguine*; hoc facite, quoties»cunque bibetis, *in meam commemorationem*. Quo»tiescunque enim manducabitis panem hunc et cali»cem bibetis, *mortem Domini* annuntiabitis, donec »(ad judicium) veniat. Itaque quicunque man»ducaverit panem hunc, vel biberit calicem Do»mini *indigne*, *reus* erit (profanati) corporis et »sanguinis Domini. *Probet* autem seipsum homo »et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui »enim manducat et bibit *indigne*, judicium sibi »manducat et bibit, non dijudicans (non discer»nens a vulgari cibo) corpus Domini etc. [26]).« Jam vero ex hoc testimonio aliisque analogis scripturae locis intelliguntur a) *institutio* eucharistiae; b) *scopus praecipuus* et c) *effectus saluberrimi*. Atque 1) *institutio eucharistiae* quidem, in qua sub panis vinique speciebus vere, realiter, substantialiter corpus et sanguis Jesu Christi ad spiritualem animarum refectionem continetur, a Christo facta, quam perpetuo retineri voluit; 2) *scopus ac finis* hujus sacramenti praecipuus; nempe ut esset a) *signum ac pignus ardentissimi*, quo Christus erga homines flagrabat, *amoris* et benevolentissimae, qua salutem in nobis coeptam promovere absolvereque cuperet, voluntatis [27]); item b) *signum rememorativum*, imo incruenta veluti re-

25) Ex graeco et syriaco.

26) I. Cor. XI. 23—29. cf. Matth. XXVI. 26. Luc. XX. 17. sqq. Joan. VI. 54. sq.

27) Joan. XIII. 1. I. Cor. XI. 26.

petitio *passionis et mortis Christi,* quam in remissionem peccatorum subiit [28]); deinde c) *novum testamentum, foedus; ac* d) *verum N. L. sacrificium* (§. 278.) veterisque testamenti et sacrificiorum abolitio [29]); rursus e) *symbolum* et subsidium fraternae inter omnes christianos charitatis, ut qui *unum corpus* sunt, et omnes de uno pane participant [30]); demum f) *cibus et alimonia vitae spiritualis,* qua gratia Dei et virtus christiana in homine servetur nutriaturque, ut propter Christum et in Christo vivat maneatque, et vitam habeat aeternam; atque ita g) *pignus* etiam futurae resurrectionis et gloriae [31]): unde etiam colliguntur 3) *effectus ejusdem* saluberrimi; nimirum ut a) ad reciprocam erga Deum et Jesum Christum ardentissimam charitatem nos excitet; b) fidem fiduciamque de J. Christi meritis ac redemtione confirmet et augeat; c) sincerum erga homines omnes, praesertim erga fideles, *fraternum amorem* foveat et perficiat; d) propositum studiumque christianae virtutis et perfectionis sustentet et accendat; e) homines a peccatis magis alienos et ad quaevis officia fortiter alacriterque explenda promtiores reddat constantioresque. Quos quidem effectus ille solum sibi jure promiserit, qui congruentes tanto sacramento attulerit dispositiones.

§. 750.

4) *Necessariae ad id suscipiendum dispositiones:*

Praecipuae, quae ad sanctissimum hoc sacramentum digne recipiendum requiruntur, *disposi-*

28) Matth. XXVI. 28. I. Cor. XI. 24.
29) Luc. XXII. 20.
30) I. Cor. X. 16. sq.
31) Joan. VI. 54—59.

tiones sunt: 1) *animi puritas*, a) *status gratiae*, ut ajunt, immunitasque a peccato saltem graviori; nam, jubente apostolo, *probet seipsum homo*, et si se gravioris fors culpae reum invenerit, non solum per contritionem et virtutem poenitentiae, sed, quod Tridentina synodus expresse declaravit decrevitque [32]), etiam per poenitentiae sacramentum conscientiam debet expiare: nisi forte confitendi copia desit, simulque gravis missam celebrandi vel communicandi urgeat necessitas; qui id neglexerit peccative gravioris reus accesserit, *judicium sibi manducat*, et *reus erit corporis et sanguinis Domini* *); insuper ut plenus sacramenti fructus referatur, necessaria est b) *immunitas a peccatis venialibus*, aut certe *animus ab affectu ad ea* alienus. Porro 2) *viva fides*, vi cujus coelestis hic cibus a profano rite discernatur, corpus Christi *dijudicetur*, et sacramenti hujus excellentia ac virtus firmiter credatur justeque aestimetur. Idcirco per hodiernam disciplinam, nisi *annos discretionis* habentem et de ejus dignitate satis instructum, ecclesia accedere non sinit. 3) *Mentis animique praecipua devotio*, quae maxime continetur a) pia Jesus patientis et sese pro mundi salute offerentis *memoria*; b) summa animi contriti humilitate ac filiali fiducia; c) ardenti se cum Christo arctius conjungendi desiderio; d) votorum baptismalium recordatione, seu foederis in baptismo initi (§. 744.) innovatione; et e) firmo totum se Christo conformandi proposito etc. 4) Ex parte *corporis reverentia exterior*; ut quis a) ea totius *corporis* compositione, ea vultus, cultus gestusque modestia, quae animi reverentiam religionemque reapse exprimat foveatque; item b)

32) Sess. XIII. c. 3.

a media saltem nocte *jejunus* **) ad tantum sacramentum accedat. Demum 5) *continuata* post receptum sacramentum *animi devotio*, qua a) fidei, spei, charitatis, gratiarum actionis; item b) adorationis, deprecationis, optimorum propositorum ac fervide petitionis actus continuentur et ardentius repetantur.

*) 1) »Quodsi necessitate urgente sacerdos absque »praevia confessione celebravit, *quamprimum* con»fiteatur 33).« Quo Tridentini jussu obligatur talis, ut *primam*, quam sine notabili incommodo habere queat, peccata confitendi occasionem statim arripiat. Ceterum 2) quum concilium de eo loquatur, qui post commissum grave peccatum conscientiam per poenitentiae sacramentum nondum expiavit: eum, qui peccati gravis in confessione exponendi *citra culpam oblitus* fuerat, et nunc ejus recordatur, *necessario etiam debere* ante sumtam eucharistiam hoc peccatum in confessione exponere, haud ausim affirmare. Negantem sententiam pro iis maxime adjunctis, in quibus confitendi adest difficultas, et praesertim quoad peccata pridem jam commissa et exosa tuto usurpari posse viri pii et eruditi docent; qui tamen, ne forte mali et incurii homines ea sententia abutantur, cavendum esse monent 34).

**) Nimirum 1) lex et perantiqua ecclesiae consuetudo jubet, ut nemo, qui a media nocte aliquid per modum cibi, potus medicinaeve sumserit, ad eucharistiam accedat, quae lex, licet servari sancte debeat, prudenter ex ipsius ratione et scopo intelligi explicarique debet; a quo aberrare, et, dum in ceteris saepe camelum deglutiunt, hac in re culicem excoriare videntur casuistae, qui minutias venantur, et num per nebulae, fumi tabacei, nivis attractionem aut per muscae in guttur illapsum

---

33) Concil. Trid. l. cit.

34) *Petr. Collet* instit. theol. mor. tom. IV. tract. de euch. c. 6. §. 3. q. 2. pag. m. 482.

violetur jejunium acriter disputant; aut hominem cetera bene dispositum ob guttulas aquae in oris ablutione fors defluentes absque gravi piaculo accedere ad communionem non posse docent. Certe 2) quoniam *lex haec humana* est, quae legi divinae aut nobiliori cedere debet, etiam *non jejunus* communicare potest, quoties id lex nobilior jubet. Unde 3) non jejunus eucharistiam sumere potest a) aegrotus, viaticum recepturus; ubi necesse est b) ad sacramenti irreverentiam vitandam; c) ad gravem infamiam aut scandalum declinandum; d) ad procurandam integritatem sacrificii, quod perficere potest sacerdos non jejunus, si alius deficiat, aut desit etc. Imo 4) quum lex ob reverentiam eucharistiae lata in devotionis pietatisque impedimentum cedere haud debeat, aegroto, qui a cibo medicinave jejunus perdurare nequit, eucharistia non solum per modum viatici, sed quandoque etiam, si diutius hoc sacro epulo praeter morem carere deberet, idque ardenter desiderat, ob singularem devotionem porrigi recte posse videtur.

§. 751.

5) *Necessitas eucharistiae, seu ejus suscipiendae obligatio.*

Ad consequendos fines affectusque, propter quos a Christo Domino eucharistia est instituta (§. 749), atque inprimis quia est necessarium alimentum et vitae spiritualis conservandae subsidium, omnes fideles discretionis annos adepti 1) *lege divina obligantur ad hoc sacramentum saepius in vita recipiendum*; id quod colligitur partim a) ex Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.. Hoc facite in meam commemorationem etc.* [35]); partim b) ex continua ecclesiae praxi, vi cujus fideles saepius hoc sacramentum tum frequentant ipsi, tum, ut id facerent, ab ecclesia moniti jussique sunt. 2)

35) Joan. VI. 45. Luc. XXII. 19.

Lex haec urget inprimis omnes in articulo et periculo mortis positos; nam a) eo in articulo ad vitam spiritualem servandam hoc salutis subsidio maxime opus est; b) hanc obligationem agnovit semper ecclesia, et ursit; id quod conjicitur ex canone concilii Nicaeni statuentis: »De his, qui recedunt ex »corpore, antiquae legis regula etiam nunc ob»servetur, ut necessario vitae suae viatico non »fraudentur *).« Quod item alii canones et communis ecclesiae sensus confirmat [36]. Demum 3) *lex ecclesiastica*, convenienter legi divinae tempus et modum determinans, obligat omnes, qui ad annos discretionis pervenerint, fideles, ut a) *saltem semel in anno*, et b) quidem circa *tempus paschale* »eucharistiae sacramentum reverenter »suscipiant, nisi de consilio proprii sacerdotis ob »aliquam rationabilem causam ad tempus duxe»rint abstinendum [37].« Quapropter qui vel legitime impeditus vel ex culpa hanc legem non impleverit, ad eam, quo primum poterit, tempore explendam tenetur; nam et *annua* et *paschali tempore* facienda communio praecipitur; unde hoc tempore etiam praeterlapso adhucdum lex urget (§. 94. not.). Ceterum 4) *frequens et quotidiana* etiam communio a) haud quidem prohibita laicis; immo communio saltem hebdomadaria praxi antiquae ecclesiae confirmatur [38]; et concilium Tridentinum [39] optat: »*ut in singulis missis* »fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed »sacramentali etiam eucharistiae perceptione com-

---

36) Concil. Nicaen. c. 13. cf. can. 6. 7. 8. caus. 26. q. 6. apud Gratianum.
37) Concil. lateran. A. 1215. can. 21.
38) Cf. Act. II. 42. 46.
39) Sess. XXII. de sacrif. missae c. 6.

»municarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacri»ficii fructus uberior perveniret;« sed b) ad *quotidianam communionem* magna animi puritas a peccatis etiam levioribus, deliberatis certe, et magnus pietatis fervor, ac fructus praecipuus ex hac frequentia consequens requiritur; nec hac dispositione carentes ad quotidianam ac frequentiorem, nisi forte sacerdotes sint, qui sacrificent, admitti prudenter possunt. Interim c) tum nausea *hujus divini cibi*, tum *abstinentia diuturnior*, quam frequentia nimia, s. Patribus periculosior visa est: quocirca monent, christianos sic debere vivere, ut quotidie aut frequentius hoc sacramentum rite percipere mereantur; item d) s. Salesius, insignis spiritualis vitae magister, cum Gennadio Massiliensi [40]) suadet, ut fideles *singulis diebus dominicis* communicent; simodo omnem actualem ad quodvis peccatum affectum prius exuerint, et cum debita reverentia, animi praeparatione devotioneque, non ex consuetudine accedant; *singulis* autem *mensibus* quosvis christianae virtutis devotionisque cupidos ad hoc sacramentum recipiendum ita hortatur, ut longiorem dilationem, si suppetat copia et opportunitas, vix cum sincero christianae pietatis et perfectionis studio componi posse arbitretur [41]).

*) Quare 1) communio *aegrotis* saepius per modum viatici post aliquot dierum intervallum petentibus, etiam non jejunis, danda est. Imo 2) iidem in novum mortis periculum relapsi eam, saltem si jam longius post acceptum viaticum tempus intercesserit, rursus recipere debent. 3) Eucharistia itidem

---

40) *Gennadius Massil*, sec. V. auctor l. de dogmat. eccles. c. 53.

41) *S. Salesius* philothea seu introit. ad vitam devotam p. II. c. 20.

pueris morituriéntibus, simodo in rebus fidei satis instructi ejus desiderium habeant, per modum viatici administranda est. Ceterum 4) nec communio, nec ejus frequentia, nisi diligens praeparatio praecesserit, eademque tanquam pietatis ac virtutis subsidio quis usus fuerit, christianae justitiae, nedum salutis signum est. Neque tamen probandi sunt ii, qui non nisi excellente pietate ornatos ad eam accedere posse statuerunt. Unde rectissime damnatae sunt duae propositiones: »a) Communio »et confessio frequens etiam in iis, qui gentiliter »vivunt, est nota praedestinationis; b) Arcendi sunt »a s. communione, quibus nondum inest amor pu»rissimus et omnis mixtionis expers [42].« Demum 5) sacrilega communione nec Dei nec ecclesiae legem impleri nemo sanus dubitat. Quare nemo gravioris delicti reus ad hoc s. mysterium audeat accedere, nisi antehac per poenitentiae purgatus sit sacramentum. De quo jam paullo antea. (§. 750. n. 1.).

**) De devotione erga Christum Dominum in eucharistia, et qua haec *N. L. sacrificium*, et qua est *sacramentum permanens*, jam antehac (§. 79.) quaedam monuimus atque posthac pauca dicturi sumus.

ARTICULUS IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE ET UNCTIONIS EXTREMAE.

---

§. 752.

Poenitentiae necessitas generalis.

Quicunque legem graviter obligantem libere violaverit, et neglecta legis Deique reverentia

---

42) Damnat. ab Innocentio XI. prop. 56. et damnat. ab Alexandro VII. prop. 23.

ac amore animum a Deo avertit, proindeque Dei gratia excidit, is 1) in statu peccati manet (§. 215.), nec moraliter bonus, nec Dei gratia dignus reddi potest, nisi per *poenitentiam* (§. 218.) 221.), id est, per eam *animi revolutionem*, qua a) non solum perversa illa a lege Deoque animi aversio damnetur retracteturque; sed et praevalens servandae legis firmum propositum restituatur; seu qua b) habituali vitiosae affectioni retractatae dominans legis reverentia Deique amor substituatur *). Certe 2) id a) ipsa *rei indoles* loquitur; idem b) *sanctitas* et *justitia Dei*, quae non nisi conversos emendatosque in gratiam recipere queat, exigit; illud c) scripturae V. et N. testamenti [43]) auctoritas; et d) ecclesiae itidem, quae etiam in ipso baptismo poenitentiam requirit, sententia confirmat: »Fuit, ait Tridentinum [44]), »*poenitentia* universis hominibus, qui se mortali »aliquo peccato inquinassent, quovis tempore »ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, »illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut *perversitate abjecta et emendata*, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur.« Ceterum 3) poenitentia distinguitur tum a) *perfecta;* tum b) *imperfecta* (§. 121.); citra illam nunquam ad notabilem virtutis christianae gradum ascenditur; imo saepe etiam magnum relabendi manet periculum. Porro

*) *Poenitentia* 1) generatim duo requirit: aversionem a peccato et conversionem ad Deum; seu: ut vitiosae affectionis praedominium destruatur, et dominans legis divinae reverentia ac divini amoris im-

43) Isaiae LV. 7. Joel. II. 12. sq. Luc. III. 8. Act. III. 19. Apocal. II. 5.

44) Concil. Trident. sess. XIV. de poenit. c. 1.

perium restituatur. Id vero 2) vulgo fit per plures actus, quorum praecipui sunt sequentes: nimirum in homine per Dei gratiam excitato adjutoque, succurrentibus saepe variis adjunctis, oritur a) quaedam ad se ipsum attentio et veluti reversio, *consideratio status sui immoralis* ac miseriae status peccati; cujus vivam cognitionem consequitur b) *remorsus conscientiae*, *disciplicentia quaedam*, et dolor de peccatis, cordisque compunctio 45); item c) *timor divinae* justitiae 46); dumque d) *fides* divinarum promissionum et divinae misericordiae eum admonet, exoritur e) *spes*, Deum per Jesum Christum sibi fore propitium 47); ex divinae autem bonitatis ac misericordiae contemplatione nascitur f) *Dei summe boni* et misericordis, qui omnis justitiae fons est, *amor* quidam; et g) *odium* ac peccati, quatenus Dei infinite perfecti ac optimi Patris offensa est, detestatio, ardensque votum, ut ne unquam peccata fuissent admissa, aut ut infecta reddi possent (§. 162. n.); demum h) fixum *firmumque propositum* novae meliorisve vitae, seu non modo non peccandi deinceps, sed praeteritorum quoque peccatorum effectus pro possibili destruendi, omnesque, quas ad plenam eorum remissionem Deus Christusque exigit, conditiones explendi, seu *satisfaciendi* 48); proin leges divinas exactius servandi, Jesu Christi doctrinae et exemplo se prorsus conformandi. Hos actus describit concilium Tridentinum 49); quam in rem antehac (§. 222 — 224.) a nobis dicta itidem recolenda sunt.

**) *Indolem poenitentiae* insigniter illustrat a) *parabola evangelica* de filio prodigo; item b) exemplum Pau-

---

45) Luc. XV. 17. sq. XVIII. 13. Act. II. 37. cf. II. Cor. VII. 8. sq.

46) Cf. Matth. III. 7. Hebr. X. 29 — 31.

47) Matth. XVIII. 11. Joan. III. 16. Luc. XIX. 10. Rom. III. 24. sqq. X. 6. seq.

48) *Ezechiel* XVIII. 21—31. Ephes. IV. 22. Col. III. 9. sq. Rom. XIII. 14.

49) Sess. VI. c. 6. et 14. de justif. sess. XIV. c. 4. et 8. de poenit.

li, qui licet conversus se peccatorem, nomine apostoli indignum, asserens *poenitentiam perpetuam* esse debere monstravit; et c) doctrina ejusdem, qua tristitiam secundum Deum commendat, quae poenitentiam in salutem stabilem, quae sollicitudinem, quae defensionem, indignationem contra peccatum, timorem, desiderium, imo aemulationem et vindictam de peccato operetur. I. Cor. XV. 8. II. Cor. VII. 9. seq.

§. 753.

Sacramenti poenitentiae 1) *institutio*; 2) *notio*; 3) *partes*; *nempe*

Ut hominis post baptismum in gravia fors delicta lapsi poenitentia, conversio et cum Deo per peccatum offenso (§. 162. n.) reconciliatio esset expeditior, certior securiorque, 1) *Christus Dominus sacramentum poenitentiae* instituit. »Quod praecipue tunc fecit, cum a mortuis excitatus »insufflavit in discipulos dicens [50]): Accipite Spi»ritum sanctum, quorum remiseritis peccata, re»mittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta »sunt . . . Quibus verbis tam perspicuis potesta»tem remittendi et retinendi peccata ad recon»ciliandos fideles post baptismum lapsos aposto»lis et eorum successoribus fuisse communicatam, »universorum patrum consensus semper intelle»xit [51]).« Quum autem 2) peccata remitti a) nisi *serio poenitentibus* nequeant (§. praec.); item b) quum constet, eos, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiare debeant, »praesides, judices, sacerdo»tes judicium hoc *incognita causa* exercere non »potuisse . . . si in genere duntaxat et non potius

50) Joan. XX. 22. sq. Matth. XVIII. 18.
51) Concil. Trident. sess. XIV. c. 1. de poenit.

»in specie ac singillatim sua ipsi peccata decla»rassent:« consequitur secundum Christi institutionem ad peccatorum gravium remissionem requiri a) *veram poenitentiam, contritionem* cum *melioris vitae* et satisfaciendi proposito (§. praec.); item b) *confessionem omnium peccatorum mortalium,* quorum post diligentem discussionem conscientia habetur, etsi illa occultissima sint [52]. Inde intelligimus, 3) *sacramentum poenitentiae* esse N. L. sacramentum, *quo lapsis post baptismum iisque contritis* (poenitentibus), *confessis ac satisfacere volentibus absolutio a legitimo ministro impenditur.* Igitur 4) quasi *materia* et *partes* hujus sacramenti sunt poenitentis actus: »nempe a) *contritio;* »b) *confessio;* c) *satisfactio;* qui, quatenus in poe»nitente ad integritatem sacramenti, ad plenam et »*perfectam peccatorum remissionem* ex Dei insti»tutione requiruntur, hac ratione poenitentiae par»tes dicuntur [53].« De quibus jam singillatim quaedam monenda.

§. 754.

a) *Contritio cum vitae melioris praeposito;*

Contritio, uti concilium Tridentinum [54] docet, »animi dolor ac detestatio est de peccato »commisso, cum proposito non peccandi de ce»tero.« Hujus porro contritionis notanda 1) *requisita praevia,* quae inprimis sunt a) peccatorum et totius status immoralis vera, distincta, viva *cognitio;* quem in finem necessarium est b) *examen accuratum conscientiae,* et rememoratio omnium

52) Concil. Trident. sess. XIV. c. 4. 5.
53) Trident. l. c. c. 3.
54) Ibid. c. 4.

peccatorum quoad totam eorum malitiam omnesque malos effectus (§. 222.); quod examen ea diligentia, quae negotii scopo gravitatique, item peccatorum numero, variae speciei, et vitiosi status durationi, paucis: morali hominum cujusvis statui congruat, instituendum est; contritionem item praeire aut comitari debet c) veritatum salutarium notitia seu *fides*, ac veniae *spes;* atque d) *amor quidam Dei* saltem initialis (§. 752. n.), quo sine vix cogitari potest animi ad Deum conversio, et efficax, quo imperium bonae affectionis restituatur, melioris vitae propositum. 2) *Partes essentiales:* nempe a) *odium detestatioque peccati*, quatenus est legis divinae praevaricatio, inobedientia, offensa Dei (§. 162. n.), atque affectionis vitiosae retractatio destructiove; b) servandae legis divinae et *satisfaciendi* firmum propositum, seu affectionis bonae praedominantis inductio: quarum illa item efficax a) *animi aversio a peccato;* haec b) *conversio ad Deum* dici solet (§. 223. sq.). 3) *Indoles:* nempe a) haud quidem requiritur contritio *perfecta*, quae sine sacramento etiam justificat; sed b) *imperfecta*, quae *initiali saltem Dei charitate* animetur, et ad peccata ceu *Dei offensas* serio detestanda atque ad dominantem legis divinae reverentiam inducendam ope saltem aliorum incitamentorum par sit; atque hinc c) *attritio* mere *formidolosa*, ut vocant, seu ex solo poenarum inferni metu concepta etiam cum sacramento haud sufficere videtur *). Ceterum *imperfecta* quoque *contritio* debet habere certas dotes seu 4) *proprietates;* nimirum contritio debet esse a) *supernaturalis* 55) ratione et originis et motivi (§. 223. n.), quae non a taedio ob bono-

55) Cf. II. Cor. VII. 10.

rum temporalium jacturam, aut a malorum effectuum peccati naturalium horrore imperetur, sed peccatum tanquam legis divinae violationem detestetur; item b) *universalis*, quae efficax *omnium gravium saltem* peccatorum odium et eorum deinceps vitandorum seu totius legis servandae propositum contineat; proinde c) *satis intensa et efficax* tum ad priorem affectionem perversam destruendam, tum ad praedominantem legis divinae reverentiam inducendam (§. 223. sqq.) **). Ut autem dolor justas qualitates habeat, adminicula quaedam eam in rem adhibenda sunt ***).

*) 1) *Contritio* vario apud varios sensu dicitur a) *perfecta*, si animatur charitate Dei *perfecta*; sin: b) *imperfecta* audit. Porro 2) charitas Dei aliis dicitur *perfecta* a) ex *motivi diversitate*; aliis b) ex majori *intensionis* gradu (cf. §. 254.). Nobis 3) videtur ea *contritio* a) *perfecta*, quae *eo Dei amore* perficitur, qui *se solo* ad perversam affectionem destruendam et ad inducendum firmum efficaxque servandae totius legis divinae propositum sufficit; b) *imperfecta*, quae *initiali* solum *Dei amore* movetur, nec per solam charitatem, sed nonnisi aliorum motivorum, inprimis timoris, adminiculo id efficere potest. Porro 4) destingui potest *timor* a) *pure filialis*, quo quis Deo veluti sanctissimo legislatori et optimo patri displicere timet et peccatum tanquam inobedientiam et ingratitudinem versus eundem horret; vel b) *filialis mixtus* (initiali amori junctus), quo quis peccatum, Deo displicens, simulque poenas illius justas timet; vel c) *servilis*, quo poena solum timetur. Uterque prior sane ad hominis justificationem proxime disponere; at vero timor mere servilis idem efficere nequaquam poterit 56). Quare 5) *attritio* ex solo metu gehen-

56) Vid. Rom. VIII. 15. Galat. IV. 6. II. Timoth. I. 9. Matth. X. 28. Hebrae. III. 7. sqq. IV. 1—13.

nae concepta, aut cui nulla initialis saltem charitas accedit, etsi *bona* sit et *salutaris*, imo fors aversionem a peccato seu peccati odium inducere queat, tamen a) *animi ad Deum conversionem*, et firmum legis divinae servandae *propositum* haud videtur efficere posse; b) *timor* certe ex natura sua ad legis divinae et Dei amorem, qui summam legis conficit, non movere valebit, nisi amor Dei initialis accesserit; deinde c) Tridentinum concilium 57) etiam ad baptismum salubriter recipiendum veluti conditionem necessariam praescribit, ut *Deum tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiant.* Igitur idem magis multo ad eorum, qui post baptismum lapsi sunt, reconciliationem erit necessarium. Imo si nec mortis perpessio *sine charitate* secundum Paulum prodest quidpiam, quomodo confessio citra eandem justificabit? unde d) Augustinus 58) bene monet: *Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati et amor Dei.* Neque sane 6) quicunque amoris Dei actus, ut plures volunt, etiam extra sacramentum jam justificat; nam a) nec qualiscunque Dei amor sat efficax est, ut affectioni malae dominetur, et firmum legis divinae propositum per se efficiat; hinc b) cum ipso peccati habitualis statu quidam minus intensus boni Deique amor consistere potest (§. 215.); sane e) teste s. Thoma 59): »Amor potest »adeo esse remissus, ut ad rationem charitatis non »sufficiat. Deliberat homo suam cum Deo recon»ciliationem, et firmiter proponit ad sacramentum »poenitentiae accedere, et dum in hoc studium in»cumbit, *dilectionis* actus elicit. Dilectio haec »communiter remissa est, eoquod ab extremo amo»ris erga creaturam non statim transilit homo ad

---

XII. 28. sqq. Rom. VIII. 6. II. Cor. V. 8. sqq. Cf. *Bened. Stattler* theol. christ. theor. p. VI. §. 561. sqq. et *Schwarzhueber* prakt. cathol. Religionshandb. p. III. §. 208.

57) Sess. VI. c. 6. de justif. et can. 8.

58) I. Cor. XIII. 31. s. Augustin. sermon. VII. de temp. append. n. 117.

59) *S. Thomas* in supplem. p. V, Art. 3.

»oppositum ardentissimae charitatis.« Saltem 7), sententia de sufficientia attritionis mere formidolosae est nova, atque ante seculum ecclesiae XIII. incognita 60), a pluribus improbata; hinc, cum de sacramenti *valore* agatur, in praxi *tuta* non est. Unde missis speculationibus necessario curanda exigendaque *contritio* saltem *imperfecta;* imo ad perfectam connitendum omnibus, quibus salutis cura et virtus cordi est 61). Demum 8) quum ex *contritionis et propositi conjuncti perfectione* omnis efficacia et fructus poenitentiae inprimis pendeat, illa praecipue et ante omnia curari et urgeri debet. Proinde errant illi, qui quidem de peccatis in memoriam revocandis et curate confitendis summe sollíciti contritionis propositique perfectionem minus curant, aut prolatis fors formulis, vel qualiscunque animi motibus excitatis rem omnem esse absolutam male arbitrantur.

**) Quod ad *contritionis proprietates* attinet, notandum insuper: 1) licet ad contritionem nec motiva naturalia, nec poenarum timor per se sufficiat: saepe tamen per has similesque rationes rudium praesertim ac peccatis profundius immersorum hominum animi concutiendi et a mala affectione absterrendi sunt, ut paullatim ex nobilioribus motivis ad peccata detestanda, et ad concipiendam legis divinae reverentiam praeparentur. 2) Etsi dolor debeat esse *universalis*, qui in omnia peccata gravia feratur: tamen a) non plures numero distincti doloris actus, nec ad *singula* numero et specie distincta peccata *singillatim* et *reflexe* relatus dolor requiritur; sed sufficit, ut unus universe efficax, praedominans omnium peccatorum odium, et omnia peccata eorumque occasiones deinceps vitandi, et legis totius servandae propositum comprehendat; b) nihilominus perquam utile, si dolor propositumque ad singulas saltem diversas peccatorum species singillatim referatur, atque pro gravitate peccato-

60) Vid. *Schanza* de theol. moral. positiones 803. sqq.
61) Cf. praeter innumeros *Simp. Schwarzhueber* prakt. cath. Handbuch p. III. §. 201. sqq.

rum *ardentius diutiusque* urgeatur, ut ita animus in odio adversus specialem cujusvis peccati malitiam et in proposito eam vitandi magis firmetur 62). Quare 3) *neo remissior nec abruptior* sit, quam ut sufficiat non solum ad malam affectionem retractandam, et ad praedominantem legis divinae reverentiam implantandam; sed etiam ad illam quoad omnes suos effectus deinceps eliminandam, ad hanc vero continua morum emendatione constanter perficiendam (§. 223. n.). Item 4) vulgo parum efficax esse solet *generale* peccata vitandi, se emendandi, satisfaciendi propositum 63): quocirca opus erit *proposito magis determinato*, quod singillatim respiciat a) *certas* peccandi occasiones illiciaque fugienda; b) *certos* peccatorum effectus destruendos, damna scandalave reparanda, compensanda; c) *certa* remedia contra relapsum adhibenda; d) *determinata* subsidia ad bonum propositum firmandum, et perfectius exequendum impendenda (§. 224.). Demum 5) *contritio*, ut vera sufficiensque judicari queat, vulgo debet esse *quodammodo efficax* non modo ad concipiendum, sed etiam ad exequendum propositum; nam licet firmum etiam animi decretum immutari possit, iteratusque lapsus haud sit certum semper deficientis doloris serii indicium: tamen, quum experientia communi constet, propositum, quo firmius est, eo difficilius rariusque mutari: si id statim, aut facile denuo mutetur, aut vix quidpiam ad mores emendandos efficaciae habeat, recte praesumitur, id sufficiens sincerumque non fuisse, atque totam poenitentiam summe dubiam saltem ac suspectam esse debere. Ceterum 6) contritio, et peccatorum suorum coram Deo confessio, item propositi tum generalis tum specialis renovatio non solum proxime ante confessionem, sed saepe antea et deinceps, imo *quotidie*, praesertim vespere, dum conscientiae examen instituitur, facienda est.

---

62) Cf. *Bened. Stattler* ethic. christ. comm. p. III. sect. III. append. §. 136.

63) Cf. *Schwarzhueber* l. c. §. 205.

***) Inter *adminicula poenitentiae* et *salutaris contritionis* censetur inprimis 1) *distincta vivaque cognitio* malitiae peccati (§. 162.); item miseriae status peccati (§. 222.); 2) *genuinus conceptus* et distincta notitia *divinae sanctitatis, justitiae, misericordiae:* atque illi respondens 3) reverentia ac *timor Dei efficax* et filialis, genuina *spes*, quae fallaces praesumtiones praejudiciaque de summa poenitentiae facilitate procul excludat 64); 4) *praeparatio animi* per varios actus, quales sunt a) *humilis fervensque oratio* ad spiritum poenitentiae a Deo impetrandum; b) *lectio* pia; et c) *meditatio* salutarium *veritatum*, ad animum a peccato avertendum et ad Deum convertendum inprimis utilium, e. g. meditatio novissimorum beneficiorum a Deo acceptorum, vanitatis bonorum temporalium; — d) usus *formularum* contritionis et propositi; qua in re tamen sollicite cavendum, ne earum fors recitatio pro ipsa contritione et animi proposito habeatur; item inprimis 5) *delectus prudens confessarii* seu patris spiritualis, qui sit a) doctus doctrinaque salutis et practica hominum cognitione satis instructus; b) in ea applicanda prudens et fortis; c) minime indulgens, sed zelo et pietate excellens; attamen d) mansuetus, patiens, compati infirmitatibus sciens, et ad eas sanandas peritus promtusque. Interest autem quam plurimum, ut, quoad fieri potest, confessarius non solum optimus, sed et *stabilis* eligatur; nam hic demum sensim totum poenitentis statum moralem plene perspectum habere, illumque aptis remediis emendare ac poenitentem non tantum ad perfectam animi conversionem morumque emendationem gradatim perducere, sed ad majorem usque christianae virtutis gradum provehere poterit, id quod a bonis etiam, at usque et usque aliis confessariis haud ita praestari posse, quivis facile perspexerit. Quare certum est, ab hoc *optimi stabilisque* confessarii delectu felici saepius animae salutem et virtutem plurium pendere. Et nihilominus 6) ea est quorundam imprudentia, imo dementia et nequitia, ut

---

64) Cf. *Bened. Stattler* l. c. §. 71 — 103.

a) qui in negotiis aliis, e. g. optimos medicos, jureconsultos, advocatos, artium magistros inquirunt, in salutis negotio studiose quaerant spirituales medicos minus aptos peritosque, quos nullam status sui moralis notitiam habere, quos festinato omnia agere, nil de officiis, de peccatorum remediis admonere, indulgentius negligentiusve in judicis, medici et patris spiritualis officio versari sciunt aut arbitrantur 65); ut b) iidem saepe *dies illos, et loca illa* pro confessione facienda eligant, ubi ob populi concursum aliaque adjuncta hoc grave animae negotium cum judice ac patre spirituali vix rite transigere possunt. Demum γ) *frequens* et *rite* facta *confessio*; de qua nunc.

§ 755.

b) *Confessio.*

Ad obtinendam peccatorum post baptismum commissorum veniam insuper necessaria est peccatorum coram sacerdote facienda *confessio* (§. 753.), cujus hoc loco examinanda

1) *Indoles* et *proprietates* praecipuae: nempe *confessio* sit a) *integra;* scilicet ut confessarius statum poenitentis, quantum ad prudens ferendum judicium et officium judicis, doctoris, medici explendum sufficiat, valeat perspicere, *omnia* prorsus *peccata gravia,* nondum confessarii judicio subjecta, quae post diligens examen in mentem veniunt, quoad *numerum, speciem* et quoad *circumstantias* tum *speciem mutantes* (§. 122.), tum etiam, (quod eadem legis ratio exigit et theologorum verosimilis fert sententia), *malitiam actus* intra eandem speciem *notabiliter augentes,* seu *aggravantes,* ut ajunt; item *dubia etiam peccata* sacer-

---

65) Cf. eundem §. — 104. inprimis P. *Simp. Schwarzhueber* prakt. cath. Religionshandb. p. III. §. 211.

doti exponantur *): cui item interroganti peccati consuetudo et occasio, et moralis peccatoris status, quantum ad judicium et medicamentum opus putarit, candide aperiri debebit 66); quare sit item b) *vera sinceraque, simplex et modesta,* sine mendacio, simulatione, verborum ambiguitate, sine eorum, quae ad rem non pertinent, admixtione, sine oris verbique impudentia; c) *secreta,* coram sacerdote uno; *verbis,* aut, si id impossibile fuerit, quantum par est, *signis* expressa; d) *humilis, sincero dolore animata,* et *parere parata,* ut poenitens confessarii monita humili animo audiat, ad remedia aliaque ab eo praescripta adhibenda se promtum praebeat.

2) *Utilitas insignis;* confessio a) resipiscentis peccatoris, licet ad perfectam contritionem nondum fuerit eluctatus, reconciliationem cum Deo et justificationem virtute sacramenti et per potestatem clavium operatur; confessio b) fatentibus etiam pluribus acatholicis, qui divinam confessionis institutionem et internam virtutem inficiantur, *poenitentiae sincerae subsidium* summe utile, et respectu rudium aut malo affectu obcoecatorum prorsus saepius necessarium est; c) obtinendae veniae majorem facilitatem securitatemque praestat; d) sui ipsius et status moralis cognitionem, necessariam conversionis conditionem, promovet et animum salutari pudore et peccati odio afficit; e) conscientiam tum anxiorum, tum laxiorum hominum corrigit, et in ordine continet; f) rudes, dubios, errantes in salutis negotio instituendi, et singulos de propriis, quae forte varias ob rationes nequaquam aut minus curassent,

66) Cf. proposit. contrariam n. 58. inter damnatas ab Innocentio XI.

officiis admonendi, eaque urgendi occasionem praebet; atque g) dum injuriarum, scandalorum reparationem, bonorum et famae restitutionem urget, inimicitias extinguit, charitatem et justitiam erga alios publicamque fidem sustentat; item h) peccatorum occulte serpentium spiritumque et corpus depascentium luem minuit et in pluribus extinguit; i) ad inveteratas malas consuetudines emendandas et ad peccandi occasiones certius declinandas maximum habet pondus; deinde k) ipsa peccata occultissima pudendaque confitendi necessitas, aut absolutionis a confessario denegandae metus, atque *confitendi verecundia delinquendi cupiditati et licentiae froena injicit et improbitatem coërcet*[67]; demum l) confessio rite instituta itidem minores defectus peccataque perfecte emendandi, ad majorem usque cordis puritatem, et vitae virtutisque perfectionem perveniendi insigne et innumerorum hominum experientia comprobatum subsidium est; quod proinde non solum ab hominibus in gravia peccata lapsis, sed a probis etiam et justis crebro est adhibendum. Unde etiam a catholica doctrina dissentientium plures insignem privatae confessionis utilitatem, imo etiam necessitatem fatentur [68]. Ceterum ut has utilitates proferat confessio, rite et scopo Jesu Christi congruenter facienda est **).

3) *Obligatio et necessitas.* Distinguenda hoc loco lex divina et humana. Porro *lege divina* quivis christianus *in grave peccatum lapsus* tenetur ad confessionem; cujus legis expletio diu saltem differri (cf. §. 226) saepe sine peccato peccandique

---

67) Cf. catechism. Rom. p. II. c. 5. p. 32.
68) Cf. *Ildeph. Schwarz* Handbuch der christl. Relig. p. III. c. VII. n. 10. m. 158. sq.

periculo nequit; quae quidem b) *lex divina* peccatorem certo urget in *quovis propinquo mortis periculo* constitutum; quia tanquam medium salutis necessarium vel *in re*, vel *in voto*, ut ajunt, adhibendum praecipitur; atqui votum ejus serium haberi nequit, si ne tum quidem, cum tanti momenti periculum urget, reapse adhibeatur, licet ejus copia non desit; c) lex eadem itidem obligat omnes in grave peccatum lapsos, qui *ad sacram eucharistiam* volunt debentve accedere (§. 750); item d) *lege catholicae ecclesiae* graviter praecepta est 69) confessio *saltem semel in anno*: quae lex omnes et singulos fideles, cum ad discretionis annos pervenerint, in *grave peccatum* lapsos certo obligat; imo ex consuetudine saltem quosvis fideles, etsi fors peccati gravis non conscios, obstringit, dum in paschate ad eucharistiam suscipiendam se probant parantque ***).

*) Ceterum 1) *peccata solum gravia* exponere *omnia* tenemur: »nam *peccata venialia*, quibus a gratia »Dei non excludimur, et in quae frequentius labi»mur, quamquam recte et utiliter et citra omnem »praesumtionem in confessione dicantur, quod pio»rum hominum praxis demonstrat, taceri tamen »citra culpam multisque aliis remediis expiari pos»sunt 70).« Item 2) *numerus cum specie* peccatorum gravium necessario exprimendus, quantum id moraliter possibile est; sin; sufficit eum *circiter* significare, aut certe peccandi consuetudinem, tempus, frequentiam, e. g. intra diem, hebdomadam, mensem, atque ita etiam species peccatorum, verbo: *statum* suum *moralem*, quantum potest et ad ferendum prudens de eo judicium satis est, confessario declarare; neque enim necessarium, imo nec

---

69) Concil. lateran. IV. an. 1215. de poenit. Concil. trident. sess. XIV. can. 7.
70) Concil. Trident. sess. XIV. c. 5.

consultum quidem est, ut anxia, imo curiosa nimis, lubricorum praesertim peccatorum, investigatio, quae poenitendi periculum creare valeat, vel a poenitente fiat, vel a confessario secundum casuistarum inanes speculationes exigatur 71). Attamen 3) peccata gravia, *dubia* etiam, de quibus *merito* dubitatur, vel an gravia sint, vel an jam confessioni sint subjecta, in confessione esse sub dubio exponenda, tum res ipsa satis loquitur (§. 111.), tum theologorum meliorum sententia probat. Attamen si multo probabilius sit, peccata haud esse gravia, vel jam olim exposita, illa exponendi obligationem haud urgere ex dictis (§. 110.) colligitur. Ceterum 4) novo sacrilegii peccato se obstringit, qui peccatum grave reticet, nisi forte ab eo distincte confitendo ipsum impotentia physica aut moralis, aut collisio integritatis cum lege naturali excuset: sic e. g. excusat obligatio sigilli confessionalis, si peccatum sine hujus violatione exprimi non possit; item certum periculum scandali vel damni alteriusve gravis incommodi, a poenitente aut altero incurrendi, quod non per se cum confessione sacramentali connexum est: quo casu certi peccati manifestatio in aliam confessionem differri posset. Atque 5) ita confessio non quidem esset *materialiter*, ut ajunt, *integra*, qua omnia gravia exprimantur: attamen foret *formaliter integra*, qua exponantur gravia, quae redeunt in memoriam, et quae nunc exponere poenitens debet, quod sufficit. Inde 6) intelligitur illud scholasticorum principium: *Ad confessionis valorem non requiritur integritas materialis, sed sufficit formalis.*

**) Ut porro confessionis privatae usus finem suum consequatur et has aliasque plurimas utilitates conferat poenitentiae sacramentum, id curata animi praeparatione suscipiendum administrandumque est. Quam in rem recte monet vir perpolitus 72): »Um aber diese Endzwecke zu erreichen, muss sie ganz

71) Cf. *Schwarzhueber* prakt. cathol. Religionshandb, p III. §. 209. not. 2.

72) *Ildeph. Schwarz* l. c. §. 10. ad finem pag. m. 16.

»den Gesinnungen Jesu gemäss eingerichtet wer»den; sie darf der eigentlichen Busse keinen Ab»trag thun; darf in keine mechanische Andacht »ausarten; darf wegen Achtsamkeit auf die einzel»nen Sünden nicht die Besserung des ganzen Cha»rakters verabsäumen: es darf in der Beicht selbst »auf das Minderwesentliche nicht genauer, als auf »das eigentlich Wesentliche gesehen werden. Sie »muss auch von Männern administrirt werden, die »wahre Seelenärzte, wahre geistliche Väter zu »seyn im Stande sind. Ars artium est regimen ani»marum.« Quare confessarius aptissimus deligendus (§. praec. not. 3.).

***) Etsi *contritio*, si per charitatem perfecta sit, hominem Deo reconciliet, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: ipsa nihilominus reconciliatio contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda 73). Unde confessionis praeceptum etiam per contritionem justificatos obligat. At *quo* praecise *tempore* urgeat, inter auctores non convenit. Quidam 1) confessionis praeceptum *divinum* post commissa peccata gravia a) *statim*, ubi se confitendi occasio obtulerit, urgere docent; b) alii eam vulgo citra peccati periculum *diu* saltem differri non posse putant; alii c) eos, qui saltem contritionem elicuerint, confessionem vero ad tempus paschale differunt, excusandos esse credunt. Ceterum 2) ad *confessionem annuam* obligantur fideles, vulgo septennium egressi. 3) Qui eam vel sine, vel cum culpa forte omisit, legi annualis confessionis, quam primum potest, satisfacere tenetur; eoquod terminus anni non ad faciendam, sed ad urgendam obligationem sit fixus. Porro 4) quum nec *divinae*, nec *ecclesiasticae* legi per confessionem *invalidam* aut *sacrilegam* satisfiat, invalide confessus iterare confessionem, atque ita satisfacere legi tenebitur. Demum 5) iis praesertim, qui conscientiam pluribus peccatis vitiisque inquinatam habent, si sanari serio velint, commoda faciendae confessionis adjuncta loci,

73) Trident. sess. XIV. c. 4.

temporis, otii eligant necesse est: nec forte iis diebus locisve, ubi *major populi concursus* gravissimum animae negotium rite expedire vix sinit, accedant (cf. §. 754. n. 3.). Postremo 6) quaerentibus, quam *frequens* suadenda sit *confessio*, idem fere, quod de communionis frequentia s. Salesius (§. 751.) judicavit, respondendum arbitramur. Profecto is, qui hoc ab ipso Christo praescriptum emaculandae animae remedium saluberrimum, quamvis saepius utiliter posset, raro admodum usurpat, a christianae perfectionis studio ferventi procul abest. At vero ii quoque, qui frequentius quidem, sed citra curatam praeparationem ac sese emendandi proficiendique conatum hoc sacramentum recipiunt, falso se pios religiososque opinantur; imo habent, cur saluti suae timeant. (§. 728. n. §. 743. n.).

§. 756.

c) *Satisfactio.*

Christus quidem pro peccatis nostris abunde fecit satis. At vero poenitens hujus satisfactionis se per Christi gratiam et poenitendi conatum reddere participem, poenas peccati haud prorsus deletas eluere, peccatique reliquias tollere, peccati horrorem augere et in bono se confirmare debet. Unde *satisfactio* vario intelligitur sensu, nempe 1) *sensu generali et lato* est expletio omnium earum conditionum, quas Deus ad remissionem peccatorum et poenarum pro iis meritarum exigit; quo sensu a) *contritionem;* b) *propositum* non peccandi, remedia contra relapsum adhibendi, damna per peccatum illata resarciendi, opera ad castigationem peccatorum praeteritorum pertinentia exequendi; item c) *confessionem* integram omnium peccatorum gravium (§. praec.); atque d) *propositi* mox dicti *executionem* comprehendit. 2) *Satisfactio sensu stricto* ejusdem propo-

siti executione, seu remediorum operumque tum a confessario praescriptorum, tum libere assumtorum usu absolvitur; cujus partes 74) aliae sunt a) *necessariae* et essentiales, nempe usus remediorum contra relapsum necessariorum et reparatio injuriarum per peccatum illatarum, quatenus fieri moraliter potest; item expletio eorum, quae in peccatorum medicinam et vindictam a confessario dictata sunt; aliae sunt b) *accidentales*, quae ad poenitentiae duntaxat perfectionem pertinent, et respiciunt usum remediorum operumque, quae ad reliquias peccati penitus delendas et ad remota etiam peccandi pericula fugienda spectant. 3) *Satisfactio sensu strictissimo*, item *sacramentalis* dicta, consistit in aliis actibus operibusque piis, quae *ad novae vitae custodiam, ad infirmitatis medicamentum, ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem poenitenti* a confessario praescribuntur 75). Jam vero 4) de varia hac *satisfactionis* specie haec notanda:

1) Poenitens quivis a) ad satisfactionis tum late, tum strictius dictae pro peccatis gravibus praestandae *partes necessarias* explendas lege gravi obligatur; contra b) ad *accidentales* satisfactionis partes explendas vulgo nonnisi levi obligatione obstringitur. At vero 2) quo quis gravioribus, pluribus, aut saepius repetitis longiusque continuatis peccatis fuerat immersus, eo saepius repetita acriorique animi contritione, eo frequentiori actuum piorum, praesertim prioribus peccatis e diametro oppositorum exercitatione, eo pertinaciori vitiorum antehac dominantium oppugnatione et iterata etiam sacramen-

74) Cf. *B. Stattler* ethic. comm. p. IV. sect. III. append. §. 157.

75) Concil. Trident. sess. XIV. c. 8.

torum susceptione contra relapsum se munire et ad vitam vere christianam vivendam animum confirmare obligatur, etsi forte haec a confessario expresse praescripta haud fuerint. Ceterum 3) *satisfactionem strictissime dictam* a confessario pro gravibus peccatis stricte praeceptam explere quivis ita obligatur, ut notabilem ejus partem citra piaculum negligere haud possit. Porro 4) *satisfactio* haec a confessario dictata a) humiliter suscipienda, nec nisi gravi ex causa deprecanda est; ea b) nec a poenitente, nec ab alio confessario, nisi cui omnia peccata rursus exposita fuerint, in sacro tribunali mutari potest; sed curate per ipsum poenitentem, tempore modoque praescripto, sin: quamprimum commodo fieri potest, animo humili et poenitenti est persolvenda. Item 5) non solum poenis operibusque satisfactoriis tum sponte a nobis susceptis, tum sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum satisfacere [76] conemur *). Demum 6) nec peractis paucis operibus a confessario praescriptis, nec propria electione assumtis vulgo omnem poenae promeritae reatum coram Deo deletum esse credi potest: unde perutile erit, ut peracta pro viribus poenitentia et satisfactione insuper poenitentes *indulgentiarum* ab ecclesia concessarum participes se reddere satagant **).

*) Igitur 1) errant maleque sibi consulunt ii poenitentes, a) qui facta confessione et peractis praescriptis a confessario paucis precibus rem omnem confectam putantes vix de proposito exequendo,

76) Concil. Trident. sess. XIV. c. 9. cf. sess. eadem. can. 13. de poenitent.

aut de adhibendis contra relapsum remediis, nedum de delendis peccati reliquiis, nec de promeritis poenis eluendis; b) nec de progressu in virtute christiana soliciti sunt. Nam 2) vere poenitentes et satisfacere digne volentes per omnem vitam suam debent in id incumbere, ut a) a licitis etiam commoditatibus jucunditatibusque saepius abstineant; eaque, b) quae in illas impendissent, in eleemosynas et misericordiae opera expendant; ut c) omnia prorsus officia, licet ardua et difficilia, quam accuratissime in spiritu poenitentiae expleant; ut d) abnegationi christianae (§. 145. n. 4.) perpetuo operam dent; ut e) adversitates quasvis, inprimis forte ex peccatis consecutas humili ac poenitente animo acceptent, et patientissime tolerent; item f) oblata etiam ab ecclesia indulgentiarum beneficia minime negligant, sed per dignam dispositionem se earum participes reddere studeant.

**) Porro 1) *indulgentia* heic intelligitur remissio poenae temporalis pro peccatis debitae vere poenitentibus ob gravem causam ab ecclesiae praelatis concessa. Jam vero 2) quum indulgentiae nonnisi hominibus vere poenitentibus dentur, ideo solum, quantum in ipsis est, *satisfacere laborantibus* favent. Non enim indulgentiae in fomentum negligentiae, sed in supplementum humanae infirmitatis conceduntur. Unde 3) indulgentiam lucrari cupiens non modo animum a gravioribus peccatis per poenitentiam expurgatum habeat, et opera praescripta peragat, sed efficax saltem, quantum in ipso est, per opera pia laboriosaque dignos poenitentiae fructus faciendi propositum adferat. Hinc 4) bene memor sit, a quolibet ex indulgentia, quam etiam plenariam dicunt, *non nisi proportionatum suo fervori fructum* esse reportandum. Proinde 5) male illi arguunt, qui per indulgentias poenitentem a poenitentiae fervore, aut ab operibus satisfactoriis, quae peragere valet, exemtum arbitrantur 77). Errant autem

77) Cf. *Schwarzhueber* prakt. cath. Religionshandb. III. Th. §. 215—221.

pessime, 6) qui *satisfactionem quoad partes essentiales* et necessarias per indulgentias suppleri posse putaverint. 7) Errant item, qui statum gratiae et executionem operis injuncti ad plenum indulgentiae fructum percipiendum jam sufficere putant: *dignos* enim poenitentiae fructus atque pro viribus satisfaciendi et propositum et conatum semper requisivit ecclesia; quae utique per indulgentias fovere torporem, negligentiam, securitatem poenitentium nequaquam voluit.

§. 757.

Cautiones contra quaedam circa poenitentiam praejudicia.

Non desunt, quorum ex agendi ratione haud obscure colligitur, *perversis* eos *circa sacramentum poenitentiae praejudiciis* teneri, quae, christianae pietati admodum periculosa et oppido exitiosa, caute declinari debent: ex quibus propterea praecipua quaedam heic recolere aut recensere haud fuerit inopportunum. Talia nimirum sunt eorum, 1) qui per sacramenti poenitentiae institutionem, aut ejus qualemcunque usum a) ab essentialibus verae poenitentiae actibus (§. 122—125.), a laboriosa totius status prioris reformatione, et a digna pro peccatis praeteritis satisfactione *partim* saltem se exemtos putant; et b) jam *commodius multo;* c) quocunque placuerit *tempore;* d) intra *brevissimum temporis spatium* totum poenitentiae negotium se absolvere et gratiae divinae aeternaeque salutis capaces, participes, imo veluti securos se reddere posse opinantur, aut saltem factis suis perniciosam hanc opinionem declarare videntur *); eorum, 2) qui, licet poenitentiae officium in longum differentes conscientiae examina quotidiana negligant aut vix unquam, nisi dum confiteri parant, status sui mo-

ralis examen instituant, istud etiam ea, quam negotii gravitas et adjuncta jubent, diligentia secundum omnem ambitum (§. 122.) haud faciunt; item illorum, 3) qui certis temporibus, subitis animi motibus, imo quibusdam formulis suam poenitentiam alligant; qui a) tunc solum, ubi ad peccata sua confitenda accedunt, de poenitentia cogitant; et quandocunque placuerit, requisitam contritionem animique dispositionem ad nutum sibi praesto fore credunt; qui b) gratiam divinam ad justificationem necessariam ferventer exorare parum curant; c) excitata *subita*, saepius fors duntaxat *sensibili* aut cito *pertranseunte* parumque efficaci de peccatis displicentia, imo *recitata* solum contritionis, quae animum vix afficit, nedum prorsus immutat, *formula* totum poenitentiae ac conversionis negotium confectum putant; aut prolata ore verba pro animi sententia habent; eorum, 4) qui propositum emendationis satisfactionisque sat *universale, determinatum firmumque ac efficax* non habent, aut id in actum non deducunt; eadem facilitate in antiqua peccata relabentes, easdem consuetudines repetentes vix quidpiam remedii efficacis adhibent, et nihilominus se vere poenitentes credunt; rursus 5) qui *confessionem* peccatorum facturi a) magis de ejus materiali integritate, quam de cordis conversione solliciti sunt; aut b) eadem perpetuo peccata, citra omnem emendationem, adferentes, fictis promissis, ementitis suspiriis, aliisque modis absolutionem eblandiri amant, eamque coram Deo sibi proficuam fore male confidunt; aut c) statum suum moralem confessario sincere, fideliter, integre haud exponunt, peccata sua excusant, de absolutione solum obtinenda, nil

de emendatione vitae solliciti; illa obtenta et paucis operibus a confessario praescriptis obiter persolutis quasi de reconciliatione plena securi reliqua omnia negligunt; demum 6) qui de officiis potestateque confessarii falso prorsus judicantes a) studiose confessarios indulgentiores, aut officii sui parum studiosos deligunt (§. 754. n. 3.); b) aut a confessarii arbitrio absolutionem, coram Deo valituram, pendere confisi, eam, licet juste denegatam aut dilatatam, variis modis extorquere et veluti suffurari tentant.

*) 1) Etsi hominis conversio subitanea haud esse soleat, sed vulgo successive et per gradus fiat: id tamen de peccatoribus diutius in statu peccati immersis maxime intelligendum. Nam 2) si justus tentationis impetu fors in grave peccatum lapsus statim poenitentiam agat, eum citius etiam et mox converti posse nil obstat. 3) Peccatorum autem diutius peccatis immersorum conversiones *subitae* et perfectae veluti perrara in mundo morali phoenomena suscipienda sunt, nec adstruenda admittendave, nisi ex certissimis poenitentiae genuinae indiciis (§. 127. n.) comprobentur.

§. 758.

Sacramentum extremae unctionis.

Poenitentiae veluti consummatio est *extremae unctionis sacramentum*, quo Christus Dominus christianis graviter aegrotantibus succurri voluit: nam iis per unctionem olei et sacerdotis orationem conferri gratiam et s. Jacobus conceptis verbis [78]) testatur, et non interrupta praxis certissimaque ecclesiae sententia [79]) confirmat. Cujus sacramenti notandi

78) Jacob. V. 14. sqq.
79) Concil. Trid, sess. XIV. de sacr. extr. unct. c. 1.

1) *Effectus:* praecipui censentur a) delictorum expiatio et reliquiarum peccati deletio; b) aegroti alleviatio, et ad ferenda incommoda tentationesque superandas confirmatio; c) sanitatis interdum, si animae expediat, restitutio *).

2) *Necessitas et obligatio:* ad hoc sacramentum tempore gravioris, quae periculum mortis junctum habet, infirmitatis eo magis quivis obligatur, a) quo magis in his decretoriis vitae adjunctis gratia Dei, per id conferenda, est necessaria; et b) quo certius neglectus hujus gratiae, cujus copia haberi potest, pro practico ejus contemtu jure esset habendus. Hinc monet concilium Tridentinum: »Nec tanti sacramenti contem»tus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus »s. injuria esse potest.«

3) *Dispositio ad illud recipiendum:* id recepturus sit a) homo baptizatus; qui fuerat b) rationis usu saltem aliquando instructus; et c) nunc ita graviter, ut mors timeri possit, aegrotus; d) in gratia Dei constitutus; e) per fidem vivam, firmam fiduciam, inprimis per humilem animi de commissis peccatis contritionem, plenam in Dei voluntatem sui permissionem rite dispositus: quae animi comparatio hujus sacramenti receptionem praeeat, comitetur sequaturque. Ceterum hoc sacramento confirmatus omnia aegroti officia (§. 394—397.) perfecte explere studeat **).

*) 1) »Res et effectus hujus sacramenti illis verbis »explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum et »alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, re»mittentur ei;* res etenim haec gratia est Spiritus »sancti; cujus unctio delicta, si quae sint adhuc ex»pianda, ac peccati reliquias abstergit; et aegroti »animam alleviat et confirmat magnam in eo di»vinae misericordiae fiduciam excitando; qua infir-

»mus sublevatur et morbi incommoda ac labores le»vius fert; et tentationibus daemonis — facilius »resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi salu»ti animae expedierit, consequitur.« *Trident. sess. XIV. de extr. unct. c.* 2. Cf. *catechismus roman.* p. II. de extrem. unct. c. VI. n. 14.

**) 1) Hoc sacramentum receptum in mortis periculo, ubi hoc sublato aliud vitae discrimen subierit, iterari potest. Ceterum 2) ut effectus ejus eo certius et uberius obtineri, et ut aegrotus ad id devote recipiendum se disponere queat, usus ejus non usque ad extremum vitae halitum differendus erit. 3) Neque enim hoc sacramentum per absurdissimum *praejudicium*, quo illud veluti certo secuturae mortis nuntium, et a rudibus quibusdam veluti impedimentum, quo deinceps nudis incedere pedibus aut ducere choreas prohibeantur, falso existimatur, quasi timeri, sed cupide et plena cum fiducia tanquam saluberrimum salutis subsidium appeti et recipi debet.

ARTICULUS V.

DE SACRAMENTO ORDINIS ET MATRIMONII.

§. 759.

Nexus et dicendorum ratio.

Hucusque 1) de institutis a Christo sacramentis ceu salutis et perfectionis christianae subsidiis diximus, quae pro *omnibus vulgo fidelibus* destinata, et ab iisdem recipienda sunt. Ut autem 2) sacramenta omnia commemoremus, nec eorum tractationem a se distrahamus, hoc loco de reliquis quoque duobus, quae pro *duobus* hominum *statibus*, ad quorum officia sane *gravissimi momenti*

rite explenda *specialem gratiam* largiri benignissimus Servator voluit, constituta sunt, dicturi sumus, nempe *de sacramento ordinis*, quod *clericalem statum* inire volentes; et *de sacramento matrimonii*, quod *conjugalem statum* adituri suscipere debent. 3) Quum vero in jure ecclesiastico [80]) de iisdem jam distributius a nobis sit actum, itemque plura, quae huc trahi possent, supra de officiis status conjugalis (§. 641. sq.) et clericalis (§. 590. sq.) jam sint praeoccupata, brevissime tantum de eorum recipiendorum modo monebimus. Igitur

§. 760.

I. *Sacramentum ordinis, officii clericalis subsidium.*

Ordo 1) generatim intelligitur vel a) ut *status* et gradus stabilis potestatis specialis, solis clericis propriae, fungendi sacro in ecclesia christiana ministerio; vel b) ut *actio* ac ceremonia sacra (ordinatio), per quam dicta potestas et simul, saltem quoad aliquos ordinis gradus, divina ad hoc s. ministerium digne exercendum gratia confertur. Igitur 2) *ordinatio* potest considerari aut a) *generatim*, quatenus ordines omnes minores majoresque respicit (§. 563. sq.), estque sacra ceremonia, qua sacra quaedam ceterisque fidelibus haud communis potestas ad obeundum sacrum ministerium et ad ecclesiastica munia confertur; aut b) *speciatim* qua *sacramentum* *), estque sacra ceremonia a Christo D. instituta, qua non solum similis sacra potestas, sed simul gratia [81]) ad eam digne exercendam, et mu-

---

80) Instit. jur. eccl. p. II. §. 412—425. et §. 606—667.

81) II. Timoth. I. 6.

nia ecclesiastica explenda rite dispositis obvenit. Jam vero 3) quum munia officiaque status clericalis summi sint momenti: si ad quae alia, certe ad haec inprimis singulari opus est divina gratia. Quare 4) ad hanc uberius recipiendam quivis status clericalis candidatus, quam potest, diligentissime se disponat oportet. 5) Haec porro dispositio partim a) *remota*, partim b) *proxima* est: nempe

1) *Remota dispositio* inprimis requirit, ut quivis status clericalis et ordinum recipiendorum candidatus sit a) baptizatus; b) confirmatus [82]); c) ab irregularitate liber; d) requisitis ad statum clericalem tum *generalibus* (§. 642. sq.) tum *specialibus* (§. 646—647.) instructus; aut certe e) indefesso ea excellentius usque cumulatiusque sibi comparandi studio intentus; atque f) firmo non tantum ad statum clericalem generatim (§. 645.), sed ad singulos ejus gradus seu ordines, ad singula eorum officia perfecte explenda (§. 644. sq.) se rite praeparandi proposito munitus.

2) *Proxima dispositio* maxime eo redit, ut a) ordinis, quem recepturus est, indolem, dignitatem et obligationes serio perpendat; b) suam infirmitatem indignitatemque humiliter agnoscat; c) omnia ejus officia sancte se executurum speciatim proponat; d) divinam ad id gratiam a Deo bono sibi conferri ardenter petat et certo confidat; e) atque non solum mundata per poenitentiam conscientia, sed variis piis actibus operibusque divinae gratiae uberius recipiendae se participem reddere satagat; demum f) summa tum in- tum exteriori reverentia accedat; ceterum g)

---

82) Concil. Trident. sess. XXIII. c. 4.

ea omnia, quae canones ad ordines digne recipiendos praecipiunt [83]), curate servet.

*) 1) Etsi fors non omnes ordines, sed ex communiori theologorum sententia episcopatus, presbyteratus, diaconatus; aut certe ex confesso catholicorum omnium presbyteratus saltem veri sacramenti rationem habeat: nihilominus, quum ordines unum denique finem, nempe s. ministerium respiciant, ad singulos ordines non nisi praemissa decenti praeparatione summaque cum reverentia, humilitate et cordis munditia accedere licet. Certe 2) ecclesia antiqua vel ad infimum cleri gradum neminem, nisi decentissime dispositum, admittere nunquam consuevit, et ne alii admittantur, per s. canones plurimos graviter semper vetuit.

§. 761.

II. *Matrimonii sacramentum, status et officii conjugalis praesidium.*

Quo pluris ad reipublicae tum sacrae tum profanae bonum, ad conjugum et liberorum salutem tam temporalem quam spiritualem interest, ut matrimonia legitime recteque ac prudenter ineantur, et ejus officia sancte perfecteque expleantur (§. 590—592.): eo sollicitius curandum, ut fideles tum ad statum conjugalem, tum ad gratias per dignam sacramenti matrimonii susceptionem uberius percipiendas se praeparent ac disponant. Qua in re rursus distingui poterit

1) *Praeparatio remotior ad statum matrimonii;* quae eo maxime redit, ut a) matrimonium inituri christianae religionis theoreticae practicaeque, atque inprimis etiam officiorum conjugalium sufficiente saltem notitia sint instructi; b) ut eas, quae in conjugibus requiruntur, dotes sibi com-

83) Vid. meas instit. jur. eccl. tom. II. §. 413—423.

parare studeant; c) impedimenta vero naevosque oppositos, quantum in ipsis est, praevertant removeantve (§. 591.); maxime autem d) ut eas, quas ad matrimonium rite ineundum necessarias utilesque esse supra (§. 592.) monuimus, *regulas* servent.

2) *Praeparatio proximior inprimis ad sacramentum matrimonii;* quae in eo potissimum sita est, a) ut sponsi sacramenti hujus dignitatem, utilitatem effectusque nobilissimos saepius secum perpendant *); ita b) ad se diligentius praeparandos exstimulent; proinde c) ea, quae recipiendis gratiis sacramentalibus obstare possint, sollicite vitent, aut certe removeant, praesertim licentiorem inter se conversationem, atque etiam sub eodem tecto pernoctationem declinent [84]); atque inprimis d) per poenitentiae sacramentum conscientiam expurgent; e) fusis ardentibus ad Deum precibus, et exercitis pietatis operibus; f) repetitis saepe piis in statu conjugali christiane perfecteque vivendi propositis; g) optima intentione, et magna animi devotione reverentiaque; h) in statu gratiae constituti ad hoc sacramentum accedant; demum i) festa nuptialia per vanitatum, commessationum, tripudiorum intemperantiam aut sumtuum profusionem contaminare horreant, ne pro benedictione faustoque connubio molestias miseriasve sibi parent [85]); potius k) ipso nuptiarum die jam per singularem morum modestiam, frugalitatem, honestatis et decentiae studium ostendant, se *conjugalis status fundamentum* ac felicitatem in *christiana virtute* esse posituros.

84) Concil. Trid. sess. XXIV. de reform. matrim. c. 1.
85) Cf. Chrysostom. homil. 56. in Genesin.

*) 1) Effectus scilicet praecipui sunt a) augmenta gratiae habitualis; b) gratia sacramentalis, vi cujus suo tempore auxilia divina obtenturi sunt ad se pie casteque amandos, ad liberos sancte procreandos educandosque, ad onera matrimonii rite ferenda, ad omnia ejus officia digne explenda. 2) Ad hos porro effectus certius consequendos »sancta synodus »conjuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel »saltem triduo ante matrimonii consummationem »sua peccata diligenter confiteantur, et ad s. eu»charistiae sacramentum pie accedant 86).« Quod idem dioecesium praxis et lex alicubi jubet. Ceterum 3) quum de sacramentis matrimonioque in theologia theoretica pastoralique agatur, itemque in jure ecclesiastico, et de status conjugalis electione officiisque supra (§. 640. sq.) jam egerimus, consulto plura addere supersedemus, et ad reliqua communia virtutis subsidia, quae ad ipsam dignam sacramentorum susceptionem plerumque requiruntur, vel praeter eam adhibenda sunt, exponenda pro praefixo nobis ordine (741.) transgredimur.

CAPUT II.

DE RELIGIONIS VIRTUTIS PERFECTIONISQUE CHRISTIANAE SUBSIDIIS COMMUNIBUS.

§. 762.

Varia virtutis subsidia.

Quum ea omnia sint virtutis perfectionisque christianae subsidia, quae virtutis impedimenta removent, vel conditiones virtutis subjectivae (§. 145.) *mediate*, *proxime* et *subsidiarie* (§. 153—156.)

86) Concil. Trident. sess. XXIV. de reform. matrim. c. 1. ad fin.

promovent adjuvantve: facile intelligimus, inter ea subsidia esse censenda, 1) *generatim*, quae a) cognitionem principiorum regularumque moralium; b) habitum ea rite applicandi; c) robur animi ad actus iis regulis conformandos juvant (§. 145.); adeoque 2) illa, quae a) *facultatum* animae *culturam* juvant; quae b) *virtutum subsidiariarum*, ut ajunt, seu qualitatum naturalium virtuti amicarum culturam rectumque usum promovent; item c) quae *statum externum* ita coordinant, ut ad majorem virtutis purioris, extensioris ac firmioris gradum perveniri facilius queat; quibus 3) accedunt aliae *religiosae* piaeque *exercitationes*, quibus mox dicta subsidia juvantur sustentanturque, quaeque instrumenta virtutis praecipua dicere juvat. Porro 4) plura eorum jam carptim memoravimus (§. 154—156.); aliqua ex iis latius etiam, ubi de officiis erga Deum, et nos ipsos dictum, exposuimus; quare 5) deinceps *illa* quidem enodatius *explicanda: haec* duntaxat *allegand*a; alia vero, quae nondum attigimus, addenda porro arbitramur; ceterum 6) promiscue ea, quae ratio et revelatio suppeditat, virtutis subsidia obvio, qui aptior nobis videtur et jam antehac (§. 154. 156.) quodammodo praesignatus est, ordine recensuri sumus. Igitur

ARTICULUS I.

ADJUMENTA VIRTUTIS COMMUNIA GENERALIORA.

§. 763.

1) *Indefessum et perpetuum animae facultates excolendi studium; quorsum referenda inprimis*

Ad virtutem animo implantandam, constanter exercendam et usque magis firmandam perficiendamque inprimis necesse est, 1) ut omnes animae facultates recto ordine, modo et gradu (§. 323. 330.) excolere quam diligentissime constantissimeque satagamus. Nempe 2) tam a) *facultas intelligendi* et *generatim* (§. 324—330.), et *quoad omnes ejus partes* (§. 331—333.); quam b) *facultas sensionum;* atque inprimis etiam c) *facultas appetendi* (§. 334. sq.) remotis, quae recto usui obstare possint, impedimentis, et adhibitis, quae eas virtuti adaptent, subsidiis studiosius usque perficienda excolendaque est. 3) Omnis autem *earum cultura*, maxime quatenus *moralitati virtutique christianae* favet servitque, praecipuo studio urgenda. Proinde

*) 1) Quoniam a) de hac facultatum animae cultura supra (§. 324—335.), quantum satis est, jam diximus; b) de necessariis autem in eam rem subsidiis paullo post articulatim acturi; atque c) inferius ordinem itidem modumque id praestandi indicaturi sumus: nunc eadem repetere, aut plura hoc loco addere nolumus; 2) quaedam solum breviter generatim recolenda monendaque arbitramur.

§. 764.

2) *Salutaris cognitionis et fidei vivae consectatio;*

Ante omnia 1) *cognitio* eorum, sine quorum notitia virtus ne plantari quidem, nedum perfecta esse potest, comparanda, conservanda amplificandaque est. Nempe 2) remotis iis, quae salutarem cognitionem praepediunt corrumpuntve, obstaculis (§. 329.), et adhibitis, quae ad fidem firmandam faciunt, subsidiis (§. 240.) urgenda cumprimis a) *notitia* et certa fides *veritatum moralitatis fundamentalium* (§. 333.); item b) cognitio *Dei* (§. 233. sq.), *sui ipsius* (§. 304. sq.), *hominum* generatim, *eorumque,* quibuscum arctius nectimur (§. 475. sq.); deinde *mundi* (cf. §. 300.) et *finis nexusque* entium creatorum cum Deo, et inter se; atque inde deducenda perficiendaque c) cognitio *officiorum* tum *communium,* tum *specialium* erga *Deum, se ipsum ac alios;* item circa *mundum* et animalia ratione haud praedita (cf. §. 300. et 586.); consectanda praesertim instaurandaque d) cognitio *motivorum* et *incitamentorum* ad haec officia rite exequenda; demumque comparanda e) notitia tum de *indole motivisque virtutis christianae* (§. 142. sq.), tum de officiorum praevaricationibus, *peccatis vitiisque,* eorum *causis* et *remediis* (§. 157. sq.). Porro 3) curandum modis omnibus est, ut id genus *cognitio,* a) quantum fieri potest, *certa, clara, distincta,* bene *ordinata,* viva, efficax practicaque reddatur; b) ut ab omnibus erroribus et malis praejudiciis (§. 695.), *pura* et *immunis* servetur; item c) ut rejectis superatisque varii generis (§. 700. sq.) impedimentis, malis aliorum doctrinis exemplisque ad *unam* maxime *rationis et evangelii* normam exigatur, et per fidem revelationi adhibitam aliaque sustentacula (§. 236

— 240.) *perficiatur firmeturque;* demum d) ut christiana fides et haec salutaris cognitio indies magis familiaris, viva et per continuam harum veritatum notitiarumque meditationem, et per applicationem ad reliquas animi facultates regendas et ad liberos actus formandos *practica moralisque* efficiatur.

§. 765.

3) *Personarum rerumque recta et justa aestimatio;*

Hanc salutarem, de qua mox, cognitionem comitetur sequaturque oportet *recta justaque personarum rerumque*, in quas et circa quas officia versantur, *aestimatio*, seu verum de earum dignitate ac pretio judicium cum consentiente sensione junctum, et ad actus ei judicio conformandos nos impellens; nam ex hac aestimatione conscientiae, sensionis atque affectionis liberaeque voluntatis rectitudo ac efficacia magnopere pendet. Porro 1) urgenda cumprimis a) *recta aestimatio* et summa reverentia *Dei entis supremi* (§. 244.); item b) aequa aestimatio tum *humanae dignitatis* generatim (§. 67. sq); tum ob eandem aestimatio recta justaque c) *sui ipsius* (§. 310—315.); atque d) *hominum* aliorum (§. 487. sq.). Praeterea 2) tam a) *mundus universus*, quam b) *res singulae*, quae ad animam, corpus, famam, fortunas pertinent, et tum natura sua, tum maxime pro scopo suo, atque pro suo cum hominis dignitate fineque nexu vel ad eum promovendum aptitudine magis minusve aestimandae sunt. Demum 3) omnis in eo ponendus conatus, ut haec tum *personarum*, tum *rerum aestimatio*, a) verae personarum *dignitati* et justo rerum *pretio* prorsus sit *consentanea;* proin b) ea nec ad sensitivi affectus ductum, nec secundum carnalium hominum judicia concipia-

tur, aut unquam immutetur, sed ad rationis et evangelii normam perfecte exigatur constansque ac immutata servetur *); id vero curandum maxime, c) ut ea aestimatio in omnes animi actus, sensiones affectionesque efficienter influat.

*) Igitur ut vera et justa sit haec aestimatio, vide, ne 1) affectus mentem excoecet, et judicium corrumpat; ne 2) affectus ad rem aut personam, aut contrà easdem jam conceptus, aut respectus humanus, aut praejudicia auctoritatis, moris, aliave tuum judicium praeveniant et determinent; ne 3) de personae dignitate aut rei pretio tecum statuas ante, quam illa ad rationis et evangelii lucem rite examinaveris; ne 4) quid ideo vel majoris aestimes aut contemnas, quia plurimi id faciunt; ne 5) secundum externam solum speciem ac superficiem judices; ne 6) judicium aut leviter mutes, aut meliora edoctus pertinaciter obstinateque teneas.

§. 766.

4) *Conscientiae verae, rectae, tenerae cura singularis:*

Ad progressum in virtute faciendum nil magis necessarium est, quam 1) *judicii practici*, seu *moralis* eo, quo diximus (§. 333.), modo cultura et exercitatio, atque 2) *conscientiositas* (§. 113.) seu perpetuum studium, ut veram, certam teneramque conscientiam (§. 108. 112.), quam congruens moralis sensio comitetur (§. 334.), habeamus, eique fideliter omnes actus nostros liberos conformemus. Quocirca 1) adhibenda *excolendi judicii moralis subsidia* (§. 333. n. 2.). Deinde 2) caute declinanda omnis conscientia *erronea*, inprimis vitanda a) *conscientia laxa*, quae ex impetu, affectu, aut levibus ex rationibus decernit, gravia peccata pro levibus habet, ab officiis pro affectu se eximit, minora negligit aut

contemnit, peccandi periculis temere se exponit (§. 113.); declinenda itidem *conscientia scrupulosa*, quae homines porne ad virtutem ineptos reddit, in via virtutis summopere retardat, et in varia mala periculaque (§. 113 n.) praecipitat. Contra 3) *conscientia tenera* summo studio consectanda conservandaque est, et inprimis curandum, ut a) nil ex impetu statuatur, sed omnia consulto et ad rationis et evangelii normam agantur; b) *minima* etiam officia summi aestimentur; c) *minora* quoque peccata (§. 161. n 3.); imo imperfectiones caute declinentur; ut d) peccata fors admissa statim et perfecte retractentur emendenturque; ut e) propter lapsus animus non despondeatur: sed resumtum in perfectius usque contendendi propositum magis urgeatur. 4) Ceterum eo majus hac in re studium ponendum, quo frequentius ex eo a) praecipua animi puritas; b) insigne quoddam spiritus robur; c) salubris mentis hilaritas; d) maxima in Deo fiducia, sanctaque cum eo familiaritas, queis vix quidpiam potentius perfectionem provehere valet, consequi solet.

§. 767.

5) *Fervor et enthusiasmus quidam moralis et religiosus;*

Vix quidpiam ad virtutem momenti habebit veritatum cognitio, aut personarum rerumque justa aestimatio (§. 765. sq.), nec conscientiositas (§. praec.) perdurabit, nisi *illas* consequatur, *hanc* comitetur et sustentet *fervor* et *enthusiasmus quidam moralis*, seu praedominans fervidus fortisque recti bonique amor, qui *justitia moralis* (§. 145. n. 3.) dici a quibusdam solet. Porro 1) *fervoris moralis* nomine hoc loco intelligitur ratio-

nali ac salutari cognitioni, seu rationi fideique innixa summa recti, honesti, virtutis perfectionisque christianae aestimatio, quae et vividam erga bonum morale *sensionem* affectionemque contineat foveatque, et ejus prae omnibus bonis aliis consectandi propositum studiumque imperet urgeatque, atque simul summam Dei venerationem et zelum etiam religiosum (§. 244—246.) sibi adsociatum habeat; 2) qualis autem sit ille *fervor ac zelus moralis,* supra (§. 155. et 246.) jam observavimus: ille nimirum a) rationis evangeliique et prudentiae regulis congruens; b) fortis quidem ac generosus; et c) efficax constansque: attamen d) praecipua lenitate charitateque plenus sit oportet; nam 3) virtutis exercitatio a) animum strenuum, hilarem fortemque exigit; jubetque b) assuescere incommodis, desuescere commodis: id quod per christianam consequi licet abnegationem.

*) Porro 1) haud timendum est, ne per hunc animi fervorem, qui rationi innititur et subordinatur, virtutis puritati quidpiam detrahatur (cf. §. 81. n. §. 144. n. 1.). Imo 2) nec perfecta virtus hoc sine rationali fervore consistere potest. Sane 3) talem zelum Christus Dominus, apostoli, ac omnes Christi spiritu repleti homines nunquam non prae se ferebant. 4) Etiamsi igitur maligni *fervidum hunc justitiae et virtutis amorem* derisui habere soleant (§. 736. n. 3.): haec tamen praejudicia malesanorum, certo evangelii rationisque regulis adversa, ab iis, qui Christi sunt, negligi prorsus et contemni debent (§. 737. n.).

§. 768.

6) *Abnegationis christianae studium virtutumque cardinalium exercitatio;*

At vero nec recti instigui amor, nec fervor moralis aut efficax aut constans esse poterit; neque proinde virtuti christianae plantandae, nedum ad excelsum gradum provehendae par erit, nisi per *continuum abnegationis studium* et per studiosam *cardinalium virtutum exercitationem* sustentetur juveturque. Igitur heic *abnegationis christianae* a) *ambitus;* b) *notio;* et c) *scopus;* d) *utilitas* item *necessitasque;* et e) *indoles* breviter exponenda. Nempe 1) *abnegatio christiana* a) quodammodo ad omnes facultates in ordine continendas se exporrigit; maxime vero b) propensionem *in jucunda* et *aversionem a molestis* moderatur (§. 145. n. 4.); et c) licet inprimis quidem in tollendis virtutis impedimentis occupetur, nihilominus simul ad ejus adjumenta, a quibus sensualitas abhorret, fortiter adhibenda impellere debet. Quare 2) *abnegatio christiana*, quae variis nominibus in sacris litteris (§. 145. n. 4.) et a moralistis compellatur, dici potest continuum et constans studium, quasque virtuti adversas mentis cogitationes animique motiones et affectiones reprimendi, sensualitatem legi rationis et evangelii subjiciendi; vel animi propositum studiumque, charis quibusque rebus et personis, qua virtuti obstant, renuntiandi et quasvis molestias, quae in virtutis consectatione occurrunt, fortiter subeundi patienterque tolerandi. Atque hinc 3) abnegatio christiana *eo tendit*, ut a) impedimenta virtutis praecipua, inprimis superbiae, philautiae avaritiaeque licentia, supprimantur; et b) per *temperantiae fortitudinisque* ac *prudentiae* (§. 145. n. 4.)

exercitationem sensualitas rationi, stimulus voluptatis stimulo honestatis subjiciatur; atque c) *legis moralis ac evangelicae reverentia, justitia christiana universalis* Deique amor, omnibus sensualitatis illecebris terriculisve superior, animo dominetur. Inde autem 4) *abnegationis christianae* a) *dignitas* et ad plantandam perficiendamque virtutem summa non solum b) *utilitas*, sed et c) *necessitas* intelligitur **). Porro 5) ad *indolem* ejus quod attinet, *evangelica* abnegatio, a) quatenus impedimenta vel moralitati generatim, vel majori solum ejus perfectioni obfutura removet, aut ad christianae vitae virtutisque *substantiam*, aut ad ejus *perfectionem* pertinet; quarum quidem b) neutra innocuorum gaudiorum usum prohibet: utraque tamen eum prudenter cauteque moderatur; quare, c) licet immodicum se ipsum affligendi aut variis corporis animique molestiis, quae ad vitii emendationem virtutisque incrementum haud serviunt, se excruciandi studium haud exigat: moderatum nihilominus castigationum etiam voluntarie susceptarum usum, quatenus illae ad domandam carnis petulantiam, ad pravos habitus sanandos, emendandos ac praevertendos fors necessariae aut utiles sunt, imperat ac continet ***). Ceterum 6) *modum* exercendae abnegationis christianae inferius in aphorismis moralibus indicaturi sumus.

*) 1) Neque absurdum quis putet, hoc loco *virtutes* quasdam speciales velut subsidia *virtutis generatim spectatae* laudari. Nam 2) illae, quas vocant *cardinales*, inter conditiones, partes aut subsidia (§. 146.) virtutis passim recensentur 87). Sane 3) *Stäudli-*

87) Cf. *H. Christ. Schwarz* moral. Wissenschaften. (§. 68—71.).

nus 88) affirmat: Zuweilen sind die Tugendmittel selbst schon Tugend; überhaupt kann jede Tugend auch als Tugendmittel betrachtet werden.

**) 1) *Dignitas* abnegationis christianae inde quidem manifesta est, quod ipsa maxime efficit, ut homo, quidquid verae ipsius dignitati (§. 67. sq.) obstat, fortiter objiciat removeatque; quidquid eam promovet, strenue hilariterque arripiat perficiatque, nempe ut a) omnibus cupiditatibus imperet et dominetur; b) molestias quasvis heroice aggrediatur, ferat, superet; c) uni rationis et Dei legi obtemperans nil, nisi quod eidem consentiat, nec nisi ex Dei officiique amore unquam cogitet, dicat, agat; atque ita d) Deo Christo usque magis similis reddatur: quo quid potest esse excellentius? 2) *Utilitas autem necessitasque* abnegationis christianae, quam philosophi etiam vario nomine (Selbstverläugnung, Weltverläugnung, Selbstbeherrschung) amplissime commendant, ex ejus notione scopoque, tum ex supra (§. 145. n. 4) dictis patet, probaturque inprimis a) ex lege rationis stimulum jucunditatis stimulo honestatis subjicere jubentis (§. 7.); item b) ex praevalida hominis in sensualia propensione (§. 66.), quae ad vetita incautos rapit; deinde c) ex superbiae, philautiae, avaritiae millenis technis machinationibusque, quas citra perpetuam pugnam et sui abnegationem declinare nemo valet; d) ex malis habitibus saepe jam contractis et ex variis ad sensualia incitamentis, queis remedia aut munimina sunt opponenda; imo e) ex virtutis christianae natura, quae continuam contra sensuales affectiones pugnam exigit (§. 142. n. 2.); demum f) ex Christi et apostolorum praeceptis, ex moralistarum et philosophorum etiam doctrina (§. 145. n. 4.), ex piorum omnium consensu et experientia 89).

***) Ad *abnegationis christianae* indolem quod attinet, *duo* maxime *extrema* vitanda sunt, tum eorum, a) qui omnibus naturalibus in jucunditates propensio-

88) Grundrisse der Tugend- und Religionslehre. §. 132.
89) Cf. *M. Sailer* Glückseligkeitsl. p. II. §. 51—54.

nibus, modo in vetitum per se non trahant, atque eadem ratione quibusvis a molestia aversionibus obsequi quemlibet recte posse docent, imo, *commode et jucunde vivere quemque debere*, pro sapientiae regula venditant; tum eorum, b) qui iisdem naturalibus propensionibus semper obnitendum, imo eas vario austeritatis cruciatuumque genere supprimendas esse affirmant: quare quaedam hoc loco monita 90) haud inopportuna fuerint. Nempe 1) ex dictis constat, a) propensiones in sensuales corporeasque voluptates de se quidem haud malas esse: attamen b) saepissime contingere, ut vehementiores fiant, moralitatique pericula maxima creent (§. 173. n.). Quocirca 2) equidem a) eas, ubi nec rationis nec evangelii lex obstat, nec virtuti inde periculum imminet, sequi licebit, si modo non unius praecise *voluptatis*, sed *honesti finis* gratia id fiat; imo b) eas sequi etiam obligatio urget, quoties id ad explenda officia (e. g. cibi sumtio ad servandam sanitatem) fuerit necessarium. Simul vero 3) in omni, corporearum maxime, voluptatum usu summa adhibenda est cautio, ne a) earum amor, aut molestiarum horror modum excedat; ne b) amori aestimationique nobiliorum bonorum praevaleat detrahatve; ne c) animum captivet, atque impediat, quo minus licitis etiam voluptatibus abstinere et molestias ultro subire sit paratus, siquidem Dei beneplacitum, aliena propriaque salus et virtutis perfectio id jubeat, imo vel suadeat. At vero 5) quum oppido difficile sit affectus ad eas jucunditates in omni earum usu semper intra limites continere, a) *multo facilius*, atque ob commune cum liberaliore voluptatum de se licitarum fruitione conjunctum periculum et ob heroicae abnegationis summam utilitatem aliasque gravissimas ob rationes (§. 173. n.) multo itidem b) *perfectius*, *securius*, et virtutis Deique amori convenientius erit, voluptatum quarumque, praesertim corporearum usu prorsus abstinere, nisi quod certa aut ne-

---

90) Cf. *B. Stattler* ethic. comm. p. II. sect. I. §. 179 — 190. et sect. II. §. 404 — 445.

cessitas aut utilitas iis uti imperet. Prorsus igitur utile, imo saepius necessarium fuerit, sensus refroenare, *visui* inanium imaginum specierumque; *auditui* curiosarum fabularum, nugarum, narrationum; *gustui* cupediarum deliciarumque; *tactui* blanditiarum occasionem plerumque, nisi contrarium ratio imperet, subtrahere. Fallere proin, et ab evangelii spiritu aliena esse videtur et regula: *commode semper jucundeque vivendum esse.* Nam appetitus perpetuo alternantium jucunditatum, et vehementius commoditatis studium cum perfecta plerorumque officiorum, quae laborem, contentionem, sui abnegationem, molestiarum tolerantiam sibi exposcunt, executione pugnat; et Christi exemplo ac doctrinae et virtutis perfectioni prorsus adversatur. Ipsa certe experientia docet, homines commoditatum cupidos amantesque ad ardua magnaque efficienda, proinde etiam ad virtutem, quae strenuum, fortem, constantem animum exigit, parum, imo nullatenus aptos esse. Sane plura vitae incommoda, quae etiam declinare fas esset, suscipere, aut a se non amoliri virtutis perfectio exigit, eoquod illae molestiae jam conditiones, jam occasiones, jam et apta virtutis excellentioris subsidia sint. Verum 5) plures ascetae affirmant, non solum illas, quas ad reprimendas quasvis periculosas affectiones, et ad exercitationem virtutis suscipere et tolerare necesse vel utile est, molestias subeundas ferendasque esse: sed *ad salutare odium in se ipsum* exercendum varias insuper afflictationes, austeritates, cruciatuum species ultro arcessendas assumendasve, aut etsi possent, non amoliendas esse; id quod ex piorum hominum praxi, item ex scripturae odium suimetipsius, carnis mortificationem crucifixionemque praecipientis 91) auctoritate; ex Pauli corpus suum castigantis 92) exemplo comprobare nituntur. Sed enim 6) licet abnegatio sensualium affectionum, virtuti inimicarum, contemtus bonorum hujus mun-

91) Joan. XII. 25. Luc. XIV. 26. Rom. VIII. 13. Col. III. 5. Gal. V. 23.
92) I. Cor. IX. 27.

di, et patiens malorum tolerantia, item molestiarum in via virtutis occurrentium heroica patientia a Christo jubeantur; jejunium item verbo ipsius et exemplo (§. 348. n. 1.) commendetur: nullibi tamen docet Christus, variis cruciatibus afflictionibusque carnem et corpus torquendum esse. Nam *odium sui* a Christo praescriptum duntaxat omnium affectuum et desideriorum, qua moralitati periculum creant, abnegationem exigere, et *castigatio corporis*, de qua Paulus loquitur, eam, quae ad corpus spiritui subjiciendum et ad peccatum praecavendum necessaria est, corporis carnisque domationem innuere videtur. Quocirca 7) *positivae* ejusmodi corporis *afflictationes*, quatenus quidem ad carnis petulantiam reprimendam, aut ad contractos malos habitus emendandos, ad fovendum poenitentiae fervorem, item ad facilitatem in suimet abnegatione comparandam, atque adeo ad virtutis custodiam perfectionemque non requiruntur, ad christianae virtutis perfectionem haud necessariae sunt. 8) Utatur itaque a) iis austeritatibus, quas et quatenus quis ad hos fines consequendos aptas merito crediderit; sed nec immoderatius, nec eo tantum fine, ut se excruciet; caveat insuper, b) ne *mortificationis externae* solum studio intentus domationem *pravorum animi affectuum*, utique maxime necessariam, minus curet, nedum negligat; ne c) exoticis afflictionibus corporis sanitati, imo virtuti obsit potius, quam prosit; ne d) in his austeritatibus, quae ad summum poterunt in certis adjunctis poenitentiae ac virtutis subsidium esse, virtutis substantiam repositam credat, aut iis nimium pretium statuat, aut ab aliis eas imperiose exigat. Neque sane omnia, quae pii etiam homines per sanctam saepe simplicitatem insolito spiritus ardore ducti bona intentione fecerunt, aliis pro totidem agendi regulis, nedum pro legibus obtrudenda. Cf. *B. Stattler* ethic. comm. p. II. sect. I. §. 179—190. sect. II. §. 434. sq. 537. sq. Item *Ferd. Wanker* christl. Sittenl. p. II. §. 313. Vid. *Theolog. prakt. Monatschrift.* Linz I. 1802. 10. Heft. pag. 121—137.

§. 769.

7) *Qualitatum moralitati amicarum seu virtutum subsidiariarum cultura.*

Quaevis naturalium affectionum *directio* dispositiove, quae actionis legalitatem saltem promovet, sive *originaria* sive *adventitia sit*, *virtus subsidiaria adoptataque* dicitur. Nam licet per se illae, nisi quatenus ex rationali motivo tanquam virtutis subsidium adhibeantur, moralem bonitatem haud nanciscantur: virtutis tamen exercitationem juvant 93). Atque hinc 1) *virtutes subsidiariae* appellantur (§. 142. 156.). Tales porro censentur, 2) quae a) bonae *naturali indoli* debentur, *virtutesque temperamenti* audiunt, e. g. sympathia et de bono aliorum gaudendi, de malo condolescendi facilitas, sensus decentiae, honestatis, perfectionis; vel b) quae ex *phantasiae cultura* aut ex *assuetudine* proveniunt, e. g. cultura *sensus pulchri, excelsi*, lenitas, comitas, externa modestia, agendi decentia, animi generositas, hilaritas; c) quae ad culturam *intellectus* pertinent virtutesque *intellectuales* vocantur, e. g. perspicacia, sagacitas, mentis praesentia, judicii maturitas dexteritasque. 3) Quoniam igitur per has virtutes subsidiarias a) virtutis impedimenta tolluntur, et b) virtutis exercitatio multo expeditior efficitur: istae bonae qualitates, virtuti amicae, ex optimo motivo fovendae excolendaeque et ad virtutem christianam intensiorem et constantiorem reddendam impigro studio applicandae sunt. Contra 4) oppositae qualitates naturales, virtuti ini-

---

93) Cf. C. Ch. *Erh. Schmid* Versuch einer Moralphil. §. 647. sq. H. Ch. *Schwarz* moral. Wissenschaft. §. 66

micae, e. g. durities rigorque animi, antipathia, apathia, phantasiae licentia, irascendi facilitas, morositas, judicii praecipitantia, adhibitis variis remediis comprimendae et per oppositorum actuum exercitationem emendandae sunt.

§. 770.

8) *Status exterioris apta ad virtutem coordinatio.*

Status hominis exterior virtuti vel amicus, vel inimicus esse solet. 1) Certe a) a causis externis, et a personarum, rerum locorumque adjunctis jam plura *virtutis impedimenta* (§. 698. sqq.) proveniunt, jam e contrario *virtutis subsidia*, horumque rectus usus magnopere pendent; item b) in quibusdam adjunctis *virtutis exercitatio* maxime impedita, in aliis multo est expeditior faciliorque. Quocirca 2) *status externus*, a) *qua virtuti minus favet* aut officit, pro viribus devitandus, immutandus emendandusque, aut, quoad licet, innoxius est reddendus; b) is contra, qui *virtuti opitulatur*, arcessendus retinendusve, et rite ad virtutis exercitationem applicandus (§. 156.). Quam in rem 3) secundum hanc regulam rite determinanda erunt e. g. a) *electio status et conditionis*, quae virtuti non modo non inimica sed et personarum adjunctis commoda (§. 588.) esse speratur aut scitur; b) *recta negotiorum, laborum delectio coordinatioque*, quae ad rationis, evangeliiet prudentiae etiam regulas accommodanda (cf. §. 373. sqq.) et sal... ri remissionis gaudiorumque delectu et usu (§. 378. sqq.) est temperanda (de diurno negotiorum ordine paullo post redibit sermo); item c) *sociorum, contubernialium, amicorum* delectus (cf. §. 537. sqq.) et minus magisve frequens aditus, atque etiam societatis, conventus,

convictus modus et indoles; demum d) *solitudo ac secessus ab hominum frequentia, a splendidis conventiculis, a negotiorum mole* interdum saltem requirendus; nam is secessus, si recte fiat, ad animum, qui varie fors dissipatus et per negotiorum, oblectationum aut societatum vicissitudines a Deo abstractus, ad res fluxas affixus, praejudiciis affectibusque varie in transversum actus fuerat, per sanctas meditationes, sui perscrutationes, lectiones resumendum, emendandum, et novis quasi ad virtutem viribus confortandum saepe necessarius, atque contra peccata peccandique pericula fortissimum remedium, et virtutis excolendae saluberrimum est subsidium *).

*) *Solitudo* 1) *otiosa* hominibus saepius maxime noxia periculosaque esse solet. Contra 2) *piae*, quae testem Deum reveretur et pro objecto habet, atque animo colligendo confortandoque impenditur, *solitudinis necessitatem* a) res ipsa ac *virtutis natura* loquitur, ut quae animum a perturbationibus, praejudiciis, inordinatis affectibus, in quae hominum negotiorumque turba abripere solet, liberum, bene collectum, virtuti Deoque intentum, aut si diffluxerit, cito revocandum exposcit; eam b) prophetarum ac piorum tum V. tum N. legis virorum, imo philosophorum, ac omnis aevi sapientum exempla monitaque; atque c) Christi ipsius a turba per intervalla recedentis, atque ad loca ab arbitris remota secedentis exemplum demonstrant. Ceterum 3) *solitudinis piae* ac animi collectionis varium *tempus modusque* diversus ab ascetis laudatur, distinguiturque a) solitudo ac *collectio animi brevior*, per diem etiam mediis in negotiis nonnunquam, aut certe meditationis, examinis tempore repetenda; item b) *hebdomadalis, aut menstrua;* c) *annua*, qua longius tempus, e. g. aliquot dies, status moralis perscrutationi, piae meditationi etc. impenduntur. Quas recollectionis species partim necessarias, partim, si rite nec solum moris gratia, aut ab invitis me-

chaniceque instituantur, summe utiles fore dubium non est.

**) Hucusque recensita virtutis christianae adminicula juvant, sustentant et efficaciora reddunt aliae quaedam piae religiosaeque exercitationes, de quibus nunc agendum.

ARTICULUS II.

ADMINICULA SEU INSTRUMENTA VIRTUTIS ET PERFECTIONIS CHRISTIANAE PRAECIPUA.

---

§. 771.

1) *Salutarium veritatum meditatio.*

Inter praecipua virtutis christianae adminicula praeter hucusque recensita primo loco nominanda *oratio*, de qua antehac (§. 283—286.) jam fuerat actum; inprimis autem, sine qua et illa languet, *veritatum salutarium attenta piaque meditatio*, quae non solum veram, distinctam vivamque earum veritatum *cognitionem*, sed inprimis *sanctas affectiones*, sensiones ac pia desideria *propositaque* excitare, juvare et sustentare debet. Hujus jam *meditationis* breviter declaranda

1) *Objecta*, in quibus ruminandis, recogitandis, animo imprimendis, ad actus nostros applicandis meditatio versari debet, praecipua sunt a) *Deus*, ejus perfectiones, opera, fines, leges, beneficia etc.; b) *Christus*, ejus excellentia, divinitas, summus in homines amor, adventus, munus redemtoris, doctoris, legislatoris, vita, doctrina, mors etc.; c) *homo*, ejus dignitas, destinatio, finis, status praesens futurusque; d) *nos*

ipsi quoad statum in- et exteriorem, inprimis moralem, praeteritum, praesentem etc.; e) *mundus physicus et moralis;* liber *naturae, liber gratiae;* ejus finis, gubernatio; varii eventus in mundo physico et morali; rerum scopus, pretium aut vilitas, usus et abusus etc.; f) *evangelium* et *scriptura* quoad capita historica, dogmatica, moralia; g) veritates morales fundamentales; h) *regulae morales* et *officia hominum communia particulariaque,* eorum motiva, adjumenta, impedimenta, praevaricationes; i) *novissima hominis*, mors, judicium, sors aeternum prospera aut adversa. Ceterum quivis ea, quae omnibus adjunctis pensatis vel pro re nata et in praesentia rerum maxime ad moralitatem promovendam utilia necessariave sunt, objecta meditanda sibi sumat, necesse est.

2) *Utilitas summa et necessitas;* nam a) mox dictorum objectorum plerorumque *vera, distincta, viva cognitio* ad antehac laudata (§. 763—767.) aliaque virtutis subsidia rite cognoscenda et adhibenda, ad internoscenda removendaque virtutis impedimenta est necessaria: atqui haec *viva efficaxve* cognitio sine crebra veritatum salutarium ruminatione haberi servarique nequit; quocirca b) haec pia meditatio *peccatoribus* ad poenitentiam et ad relapsus praecavendos; *justis* ad perseverandum et progrediendum in bono; *perfectioribus* ad altiorem virtutis gradum conscendendum est summe non utilis modo, sed et necessaria. Id quod res ipsa, experientia, scripturae 94) auctoritas, ascetarum omnium consensus confirmat. Neque sane obstat jactata ejus summa difficultas ac respectu rudiorum quaedam veluti impossibilitas; patet potius ejus

94) Psalm. I. 2. Jerem. XI. 11.

3) *Possibilitas ac facilitas*, sive *objecta*, sive *modus* meditationis spectentur; certe a) homo quivis rationis usu praeditus etiam rudis ea, quae ad commoda incommodave atque ad negotia ipsius pertinent, saepe cum animo volvit, revolvit, variasque affectiones, desideria, aversiones excitat, proposita consiliaque concipit et firmat: cur idem in iis, quae ad salutem spectant, facere prorsus nequeat? Profecto Deus, quae ad salutem spectant, *revelat etiam parvulis* 95); deinde b) *liber naturae* patet omnibus: a creaturis ad creatorem, ab effectis ad causam, ab eventibus ad mundi gubernatorem cur mens piis cum affectibus ascendere haud valeat? certe c) ea saltem, quae salutaria *antehac audita lectave* sunt, recogitare, item de destinatione sua, de his, quae eum in finem agenda, quae hucusque acta sint, quae timenda sperandaque deinceps sibi restent, pro suo quisque captu moduloque diligentius investigare, cum animo suo reputare, a se ipso exquirere, atque consentaneas affectiones, sensiones, proposita excitare fovereque nemini, qui serio volet, impossibile credendum; atqui d) in *his summa meditationis salutaris* reposita est; neque enim doctae subtilesve disquisitiones, concatenatae ratiocinationes, aut meditationes ad certas regulas compositae exiguntur; sed sufficit, ut animus veritate distinctius perspecta ad peccati odium et ad officii Deique amorem inflammetur: nam meditationis bonitas nec ex *cognitionis* subtilitate, imo nec ex *affectionis* sensibili ardore, sed ex boni *propositi*, quod per meditationem excitatur foveaturque, firmitate, efficacia ac constantia erit aestimanda.

---

95) Matth. XI. 25.

4) *Modus*: is quidem determinatus haud est; sed quivis eum, quem sibi aptissimum aut credit, aut experiendo didicit, teneat. Potest autem fieri meditatio per *modum* vel a) *investigationis*, vel b) *lectionis* attentae, vel c) *examinis*, aut d) *colloquii*. Generatim cogitare, perpendere, statuere oportet, a) quid *agendum*, fugiendum? b) quid *egi* hucusque? c) quid *agam* deinceps? seu qualis esse *debeo*, qualis *fui*, qualis *ero?* — Quibus quidem actibus pii affectus, et bona proposita jungantur necesse est *). Ceterum ut propositum sit efficax, id non vagum aut generale duntaxat, sed firmissimum quoad objecta, modum, tempus, occasiones prorsus determinatum esse debet: proposita enim *universalia* fere, uti medicinae universales, omnia *promittunt*, et vix quidpiam *efficiunt*. Porro propositum etiam quoad omnia determinatum promte fortiterque explendum, atque an rite sit executioni datum, ratio per examen rigidum a se ipso exigenda, negligentia corrigenda. Vulgo quaedam assignantur

5) *Partes meditationis:* nempe a) animi *praeparatio*, qua mens ab aliis objectis avocetur et Deum praesentem cogitans cum pia intentione luminisque divini rogatu in objecto pensitando figatur; b) *consideratio* objecti curatior, e. g. secundum illud Tullianum: *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*: qua discussione facta per se consequitur c) *affectuum* congruentium, e. g. timoris, tristitiae, doloris, spei, desiderii, gaudii, amoris, gratitudinis etc. exercitatio; inprimis d) *propositum* generale et speciale; demum e) *petitio opus divinae* ad id executioni dandum. Videndum autem, ne certo modo ordinique servi-

liter mechaniceve insistatur; sed is modus libere servetur, qui ad meditationis scopum obtinendum accommodatior creditur aut noscitur; quod idem de adjunctis sentiendum.

6) *Adjuncta:* nempe a) *tempus;* b) *locus;* c) *corporis situs,* ea diligenda servandaque, quae fini obtinendo maxime favent. Ceterum vulgo opportuniora creduntur tempus matutinum, locus ab hominum consortio aut turbis certe remotus 96).

7) *Adjumenta:* qualia censentur a) *secessus* ab hominum negotiorumque turba (§. praec.), seu solitudo; b) libri meditationibus instituendis apti; c) ipsa considerationis exercitatio, quae considerandi facilitatem parit; accedit d) verbi divini crebra auditio; e) lectio scripturae et piorum librorum; f) cum probis collocutio conversatioque, de quibus mox dicturi sumus.

*) Quemcunque meditandi modum elegeris, id age inprimis, ut *lecta considerataque ad te et actus tuos referas applicesque:* vide nimirum, a) an *bonum morale,* quod in dogmate, exemplo, praecepto considerato perspicis, sit in te, an desit tibi: si id in te est, grates age Deo, praemunito animum, ne perdas; id deinceps studiosius perfectiusque sectandi praesidia, occasiones inquire, hisque uti proponito decernitoque; aut contra b) *malum morale naevumve si in te inveneris,* dole, emendationem cogita, contra lapsum variis praesidiis, propositis firmissimis te armato; sin: grates age Deo et id sollicite cavendi proposita renovato.

**) 1) Christianae virtutis cupidus nullum diem praetermittat, quo certum tempus piae meditationi non impendat. 2) Neque a brevi saltem meditatione negotiorum etiam moles quendam impediat: nam magnitudo negotiorum, quae mentem animumque distrahunt, id genus exercitationis magis necessa-

96) Matth. VI. 5. sq. XIV. 23.

rium reddit. Porro 3) praeter consuetum meditationis orationisque tempus pro se nata et occasione oblata saepius breviores quaedam considerationes et preces jaculatoriae (§. 285. n. 2.) frequentandae sunt; quam rem summi ad virtutem momenti esse jam antehac monuimus.

§. 772.

2) *Cultus divini communis frequentatio, ac verbi Dei auditio;*

Virtutis praeterea ac perfectionis christianae adjumentum insigne est 1) *sacramentorum pia receptio*, de qua capite praecedente diximus; 2) *cultus divini communis tum publici tum privati frequentatio*, id quod ex dictis (§. 287.), quae hoc loco repetere nolim, manifestum est. Attamen cultus divinus omnis scopo suo convenienter et celebretur et frequentetur necesse est; sin: virtuti potius impedimento (§. 727.), quam adjumento futurus. Ceterum 3) cultus communis publici pars sane utilissima est scopo ac institutioni Christi accommodata sacrificii missae celebratio et frequentatio *); item *verbi divini praedicatio et auditio*, *publicae institutionis moralis religiosaeque pia frequentatio*, cujus jam paucis exponenda

1) *Necessitas:* nam *Dei verbum* continet *veritates*, quas credere; *agendi regulas*, quas sequi; *motiva*, quibus incitari; *promissa*, quae exspectare; *solatia*, queis quietari christianus valeat debeatque: id ergo qui negligit rite audire, quid credendum, agendum, sperandum ferendumve sit, nescit, aut non, ut debet, animo distincte propositum habebit; unde a) *qui ex Deo est, verba Dei audit; qui ea audire negligit, ex Deo non est;* et vero b) *Christi ipsius* munus et occupatio praecipua erat veritatum salutarium praedicatio;

Christus ad idem munus exsequendum apostolos elegit, et destinavit; hi idem munus veluti primum ac sibi proprium habebant, atque successoribus ceu princeps ipsorum munus demandarunt 97); unde c) *auditio verbi Dei* praecipua pars est publici religionis exercitii a Christo praecepti (§. 287.); nam ideo d) Christus dedit doctores constituitque pastores et verbi sui ministros, quos audiri saepius et graviter 98) praecepit; deinde e) auditio s. sermonum institutionis christianae est medium prorsus necessarium; quae f) utique 99) frequentari a fideli populo debet; et g) cujus neglectus culpabilis certum superbiae, arrogantiae aut teporis signum, imo praecepti divini ecclesiasticique violatio merito habetur.

2) *Utilitas maxima*, etiam respectu eorum, qui privata pia lectione ipsi se erudire posse videntur: nam ex ore publici religionis ministri *salutares*, quas per se indagare amor proprius, animi tepor, aliaque saepe impediunt, *veritates* a) securius, certius vulgo discuntur; b) altius fere in animum descendunt, fortiusque movere solent et firmius animo haerere; atque etiam c) Deo juvante uberiores proferre fructus. Proin inanes vulgo sunt obtentus, queis suam in verbo Dei audiendo negligentiam quidam purgare tentant **).

3) *Modus et recta ratio:* nimirum quaedam observanda A) *ante institutionem:* praeparandus scilicet animus a) per rectam intentionem divinae-

---

97) Joan. VIII. 47. X. 27. XII. 48. I. Joan. IV. 16. Matth. XXVIII. 19. Act. VI. 2. 4. I. Cor. I. 17. X. 16. II. Timoth. IV. 2. sq. Tit. 1. 9. II. 1. sq.
98) Ephes. IV. 11. sq. Marci XVI. 15. sq. Luc. X. 16.
99) Cf. Trident. sess. XII. de reform. c. 4.

que gratiae petitionem; b) per summam verbi Dei et institutionis sacrae aestimationem; c) per sanctam quandam veluti famem ac sitim [100]; demum d) per mentis ab aliis curis cogitatisque abstractionem et animi a culpis purgationem. B) *Sub institutione:* mens et animus auditis affigendus a) cum constanti diligentique ad omnia attentione; b) cum sancta simplicitate, humilitate, reverentia secundum exemplum Jesu pueri in medio doctorum considentis [101]; c) cum summa aviditate secundum exemplum Mariae ad Jesu pedes sedentis [102]; d) cum perpetuo ad se ipsum *respectu*, cum piis affectibus, propositis [103]. Demum C) *post institutionem:* custodiendum verbum Dei, imprimendumque a) *memoriae*, ne quis sit auditor obliviosus [104]; b) *menti*, ut audita saepius diligentiusque perpendantur et ad se applicentur secundum exemplum Mariae, *quae conservabat omnia verba conferens in corde suo* [105]; item c) *animo*, ut proposita concepta firmentur, repetantur, executioni dentur, impedimenta removeantur, ne semen divini verbi suffocetur, sed fructum ferat sexagesimum, centesimum [106]: nam asseverante Christo *illi* demum *beati*, *qui* audiunt verbum Dei et *custodiunt illud*. »Non enim »auditores legis justi sunt apud Deum, sed *facto-*»*res legis justificabuntur* [107]. Estote ergo *facto-*»*res verbi*, et non auditores, fallentes vosmet ip-

100) Cf. Matth. V. 6. Act. XVII. 11.
101) Luc. II. 46.
102) Luc. X. 40. sqq.
103) Cf. Act. II. 37. X. 33. sqq. Luc. XIX. 8.
104) Jacob. I. 25.
105) Luc. II. 19. 51.
106) Matth. XIII. 4—24. Luc. XI. 28.
107) Luc. XI. 28. Rom. II. 13. cf. Matth. VII. 21. 24.

»sos; quia, si quis auditor est verbi et *non fa-*
»*ctor*, hic comparabitur viro (insipienti) . . . qui
»autem perspexerit in legem perfectam liberta-
»tis et *permanserit in ea*, non auditor obliviosus
»factus, sed factor operis, hic beatus in *facto*
»*suo* erit [108]).«

*) Praecipuum fovendae internae religionis, verae pietatis intimaeque cum Deo et Christo unionis subsidium est tum *sacra communio* (§. 749. sqq.), tum sancta piaque sacrificii *missae frequentatio* (§. 279.), si nimirum eidem non tantum ex consuetudine atque veluti frigidi spectatores adsumus: sed secundum Christi scopum ipsius, passionisque ac cruenti in cruce sacrificii bene memores in hoc incruento sacrificio nos totos Christo perfecte conformemus, et cum simili mentis animique dispositione, cum fide viva, spe firma et ardenti charitate nos nostraque Deo offeramus. Id porro 1) maxime fit, siquidem a) secundum Christi exemplum et cum ipso perfecta animi submissione divinae voluntati tum bona largienti, tum mala permittenti, inprimis vetanti aut praecipienti nos promtissime subjiciamus; si b) summa animi demissione Dei infinitam majestatem cum ipso adorantes, cum intima supremi in nos creataque omnia divini dominii recognitione nos nostraque omnia Deo in hunc finem sacrificemus; si c) Deo pro collatis in nos et omne humanum genus variis innumerisque beneficiis cum Christo et per Christum grates agamus, et in perfectam gratiarum actionem Christi merita Deo praesentemus; si d) ob horum beneficiorum abusum et patrata peccata cum pio pudoris dolorisque affectu veniam a bono Deo per Jesum Christum petamus, et filiali cum fiducia, cum firmo melioris vitae proposito merita Christi in satisfactionem offeramus; si e) tum vitae emendandae, tum aliis ad salutem utiles necessariasque gratias in Christi nomine et per ejus merita pro nobis aliisque postulemus; atque pro animabus etiam in domino defunctis divi-

108) Jacob. I, 22—26.

nam misericordiam exoremus. Qui quidem actus 2) omnes per Christum et cum perpetuo ad eundem respectu exercendi. Ut autem 3) per ipsam s. liturgiae actionem ad eos eliciendos admoneamur, expedit, hos actus ipsis s. liturgiae partibus accommodare. Unde 4) hic similisve *sacrificio adstandi modus* servari poterit: nimirum ante omnia a) animus ad Christi patientis et se Deo Patri in cruce et heic incruento modo offerentis, et ad similem nostrimet oblationem cum ipso nos invitantis exemplum et voluntatem animus advertendus, atque ita per sanctam intentionem parandus; subinde b) *a missae initio* cum sacerdote per confessionem doloremque de peccatis animus humiliandus, purgandus et per sanctiora proposita Deo sacrandus; posthac c) per canticum *Gloria in excelsis* coelo terraque ad Dei adorationem invitatis Deus adorandus, laudandus, per gratiarum actionem honorificandus; d) *ad epistolae evangeliique* lectionem excitata viva fide actisque Deo pro doctrina coelesti gratiis propositum, secundum eam doctrinam vivendi, renovandum Deoque commendandum; e) *ab offertorio* tum divini hujus sacrificii secundum omnes fines (§. 279.), tum nostrimet per actus mox dictos oblatio facienda; f) *sub duplici memento* pro vivis et pro defunctis Dei clementia per Christum exorando; deinceps g) *oratione dominica* cum sacerdote piissimo cum affectu dicta, et excitatis, qui missae precibus: *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus*, reliquisque respondeant, piis actibus affectionibusque, sequatur h) *communio saltem spiritualis* modo antehac (§. 279.) exposito facienda; demum i) post gratiarum actionem renovato diem hunc sanctius agendi proposito Dei gratia ac benedictio per Christi merita petenda. — Quo similive, qualem melioris notae libelli precatorii subministrant, modo instituta *sacrificii frequentatio* enimvero inter prima vitae sanctioris subsidia numerari meretur, proindèque non diebus solum festivis, sed quantum per negotia aliaque licet, quovis die omittenda non est ab eo, qui virtutem Christumque sincere amat.

**) Equidem, 1) cur *verbi Dei praedicatio* fructus uberes non ferat, saepe impedit religiosae institutionis ratio fini suo quoad argumentum, modum adjunctaque haud satis consentiens (§. 723—726.). At vero 2) illos fructus vulgo praepedit aut suffocat itidem auditorum negligentia culpaque, qua a) aut raro, aut non eo, quo diximus, modo institutionem sacram frequentant; aut b) ob neglecta primae institutionis elementa eam haud satis capiunt; imo c) praejudiciis malisque affectibus ac vitiis excoecati veritatem intelligere nolunt; aut nimis delicati d) veritatem nisi verborum sententiarumque phaleris ornatam, aut nitide comtam, aut suavitate conditam fastidiunt; e) vel certe eam, licet per auditionem commoti, nec mente, nec animo retinere, nedum constanter in actum deducere conantur, et evangelii semen vel voluptatum, vel opum, vel mundi inordinato amore aut adversitatum timore suffocant, et fructibus vel omnibus vel congruentibus exspoliant. Imo 3) non desunt, qui publicae institutionis nauseam ac contemtum variis obtentibus excusare tentant: jam a) sacri praeconis personam, ruditatem, dictionem, vocem, gestum minus decentem placentemve causantes; jam b) orationis argumentum, pertractationem, perorationem arguentes; jam c) negotiorum molem praetexentes; jam d) propriam eruditionem, quae praeconis minus erudita institutione haud egeat, crepantes etc... At vero 4) qui veritatem sincere cupit, is a) in praecone etiam imperfecto ministrum Christi reveretur; nec b) corticem, sed nucleum, nec condimenta, sed solidum cibum quaerit, quem in sermone etiam simplici ac minus polito sincerus veri bonique amator, veluti sagax apis, invenit; c) is negotium salutis reliquis omnibus potius habet, imo negotiosis ac multiplici cura distractis salutares exhortationes instructionesque magis fere necessarias esse haud ignorat; d) nec sapientiae persuasione inflatus ab aliis quibusque, nedum a religionis ministris salutaria discere haud recusat, bene memor, homines profana eruditione excellentes in salutis scientia haud ita semper sapere, imo

saepe suis praejudiciis esse occupatos, aut certe veritatum vita repetitaque recordatione, meditationeque, ad quam sermo sacer excitat, quam maxime indigere; neque e) *lectio* pia sacros sermones prorsus supplet; certe, ut bene advertit vir acutus: »*Mündlicher* beredter Unterricht hat unendlich viel »vor dem *schriftlichen* voraus. Bestimmte Zeiten »sind den unbestimmten, einem jeden zur Wahl »überlassenen, vorzuziehen: und gemeinschaftli»ches Streben, besonders nach höhern übersinnli»chen Erkenntnissen wird weniger ermüdend, als »isolirtes Nachdenken.« *Stephani über die absolute Einheit der Kirche und des Staates.* V. Abschnitt. pag. 153.

§. 773.

3) *S. scripturae et librorum piorum lectio;*

Meditationem veritatum salutarium, vivamque earum cognitionem insigniter juvat, proin virtutis exercitationem itidem maxime promovet *s. scripturae et librorum piorum rite instituta lectio.* Cujus hoc loco breviter exponenda

1) *Utilitas maxima,* imo *necessitas:* eam sane demonstrat s. scripturae a) *argumentum:* continet enim non solum veritates moralitatis fundamentales, sed regulas morales sanctissimas, motiva purissima, incitamenta virtutis fortissima; b) *finis:* nam s. litterae *possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu.* »*Omnis enim scrip»tura* divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad »arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum »in justitia, ut *perfectus sit homo Dei, ad omne »opus bonum instructus* [109]);« atque idem, quod de V. L. scriptura maxime Paulus asseruit, de N. L. scriptura respectu christianorum utique jure meritissimo asseritur; item c) *indoles:* scriptura enim

109) II. Timoth. III. 16. II. Petr. I. 20. sqq.

salutaria documenta modo ad hominum captum indigentiasque accommodatissimo et ad movendum aptissimo tradit; d) *auctoritas* et efficacia: divinitus namque fuit inspirata; Deo dirigente exarata et veluti *prima morum regula* a Christo et apostolis proposita, fidelibusque gravissime ac saepius [110]) commendata; a s. patribus ad legendum christianis tradita, et ab his omni aevo assidue amplissimoque cum fructu lecta *).

2) *Indoles, modus et adjuncta, seu quis, cur, quid, quomodo, quando* legat; nimirum a) lectio scripturae suscipienda *ab iis* maxime, qui sat praeparati sunt **), aut fructum inde capturi esse sperantur; b) non legenda eruditionis ac speculationis gratia, sed ob *virtutis Deique* amorem; proin c) *ii libri* locaque seligenda, quae istum in finem maxime apta per se vel pro adjunctis creduntur, inprimis scriptura novi testamenti; d) *ante lectionem* animus ad legendum per summam aestimationem, reverentiam, animi collectionem, piam intentionem praeparandus; e) lectio ipsa sit *attenta* reflexaque, *devota* et *practica*, nimirum mentis animique facultates rite applicandae exercendaeque ad veritates distincte intelligendas, alte animo infigendas, inter se et cum actibus nostris comparandas, ad sanctas affectiones sensionesque excitandas, ad pia proposita facienda firmandaque. Quare lectio nec deproperata, vaga, frigida, sed meditabunda, paucis intenta; nec litterae, sed spiritui insistens, cum perpetuo ad se ipsum respectu juncta, pia, affectuosa, semper cum sanctis propositis finienda; demum f) *post lectionem*, idem quod paullo ante (§. praec.)

---

110) Joan. V. 39. Act. XVII. 11. Rom. I. 16. II. Cor. XIV. 26. Col. III. 16. IV. 16.

monuimus, faciendum, veritates in mente animoque servandae, custodiendae et factis exprimendae; si quae obscuriora aut dubia occurrant, virorum doctorum piorumque consilia et institutio, quae verum sensum doceat, adhibenda; porro g) lectio haec salutaris *saepius frequentanda;* et licet certo tempori serviliter haud sit inhaerendum, saluberrimum tamen erit, si certum aptissimumque tempus vel indies, vel saltem diebus dominicis et festivis huic lectioni destinetur sancteque impendatur. Ceterum hucusque dicta itidem ad moralium piorumque librorum lectionem pertinent: videndum tamen, ut *optimi seligantur,* atque in iis contenta eatenus solum pro certis habeantur, quatenus cum sana ratione et scriptura consentiunt ***).

*) Haec s. patrum consensu comprobata praxis et sententia in ecclesia semper obtinuit. Neque obstat, quod concilii Tolosani A. 1229. can. 15. et Romanus librorum prohibitorum index lectionem scripturae in vernaculum versae non promiscue licitam asseruerit, imo multis noxiam esse putarit: nam hoc decretum ex praecipuis quibusdam rerum temporumve adjunctis, queis accommodatum erat, dijudicandum est, nec iis adjunctis mutatis obstringit. Certe illis temporibus, queis rudis quivis minime instructus biblia, saepius ab acatholicis male versa vel adulterata, legere, et ipsus in religionis negotio judicis munus sibi arrogare, absurdissimasque opiniones ex iisdem deducere non verebatur, promiscua lectio pluribus noxia esse potuit. Quum autem huic periculo per curatiorem institutionem religiosam, per meliores scripturae sacrae versiones editionesque, per breves adnotationes sit satis cautum: nil porro obstat, quo minus, si modo eae, quas suggessimus, regulae et cautiones adhibeantur, s. scriptura, praesertim novi testamenti, vulgo a fidelibus legi utiliter possit.

**) Licet mens animusque varie ad salutarem hanc lectionem parari queat debeatque: haud tamen eruditionis apparatu erit opus. »Nam ad hanc piam »lectionem et divina eloquia penetranda amore po»tius opus est, quam eruditione; compunctione, »quam investigatione 111);« potius animo a praejudiciis alieno, quam scientiis exculto; recti faciendi desiderio, quam profunde scrutandi studio. Scilicet *animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei . . spiritualis autem judicat* (intelligitque) *omnia* 112).

***) Igitur 1) non sine viri religiosi prudentisque consilio a) libri ascetici etiam deligendi; b) alii pseudomystici fanaticive vitandi aut certo negligendi; c) alii solidis rationis evangeliique principiis consentanei diligentissime volvendi et in sanguinem succumque, ut ajunt, vertendi. 2) Cetera idem, qui in scripturae lectione, modus erit servandus (cf. §. 715—717.).

§. 774.

4) *Cum probis societas, consultatio, conversatio.*

Quemadmodum hominum *malorum societas* pejor omni diabolo, incautis praesertim juvenibusque nocet, atque ex modestis petulantes, ex castis lascivos, ex piis religiosisque improbos, ex obedientibus rebelles, paucis: ex bonis pessimos facere solet: ita contra *proborum convictus*, colloquia, monita, consilia, exempla, imo vel aspectus maximum haud raro ad probitatem fovendam firmandamque momentum habent. Unde in proverbium abiit: *Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se;* et testante scriptura 113): *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus*

111) *Contenson* op. tom. III. diss. praeamb. reflex. 2.
112) I. Cor. II. 14. sq.
113) Proverb. XIII. 20.

stultorum similis efficietur. Quare in rem praesentem servire possunt *regulae sequentes*: 1) Fugito, quantum licet pravorum consortia, colloquia, aut certe familiaritatem, nisi quantum fors lex justitiae aut charitatis [114]), aut promovenda malorum emendatio [115]) id poscere videatur. Proborum autem, vere sapientum sollicite exquirito consortia, pete consilia, audito monita [116]). Ceterum 3) quum penes hominem non sit, semper cum probis agere, vide, ut ex *probis* sapientibusque discas, quo fias *melior*, ex *insipientibus* improbisque, quo fias *cautior*; ut dicta exemplaque *illorum* sequaris, *horum* abominere. Demum 4) haud erubescas discere docerique recta bonaque a quocunque; quare ad quaerendum audiendumque, quam ad docendum loquendumque promtior paratiorque esto. 5) Nec dicta nec facta etiam virorum sapientiae ac pietatis laude insignium imprudenter temereve omnia approbato, sed quantum licet, ad rationis et evangelii leges expendito, secundum illud apostoli monitum: *Omnia probate, quod bonum est, tenete* [117]). Inprimis 6) hominum dicta factaque cum Dei Christique lege et exemplo comparato et hoc maxime imitator.

*) 1) His aliisque, quas prudentia suggerit, servatis regulis saepe una piae conversationis hora, quam diuturna lectio hominem sapientiorem et jam quodammodo meliorem efficere quiverit. Porro 2) exempla virorum etiam proborum haud usque omni exceptione majora, nedum tanquam certa agendi regula habenda, nisi qua Dei perfectionibus et Chri-

114) Proverb. IV. 14. sqq. Eccl. XIII. 21. sq.
115) Matth. IX. 9. sqq.
116) Eccl. VI. 35. sq. IX. 22. XXXVII. 15.
117) I. Thessal. V. 21.

sti exemplo sanctissimo congruunt: quo sensu apostolus [118]) monet: »*Rogo ergo vos, imitatores* »*mei estote, sicut et ego Christi* Item: *Estote ergo* »*imitatores Dei, sicut filii charissimi* [119]).« Unde 3) exemplum Dei inprimis Christique respiciendum imitandumque.

§. 775.

5) ***Deum, Christum sanctosque imitandi studium;***

Insigne igitur virtutis et perfectionis promovendae adjumentum est constans *Deum,* sanctitatis absolutissimum ideale, et *Christum,* qui ceu praeclarissimum virtutis perfectae exemplar nobis datus est, *imitandi conatus ac studium.* Cujus hoc loco breviter exponenda

1) *Summa utilitas et necessitas:* nam a) virtus christiana in perpetuo ad Dei Christique exemplar nos magis magisque conformandi studio reposita est (§. 143. sq.); deinde b) ad Dei exemplum *sancti* et *perfecti* esse jubemur [120]); item c) etsi *Deus* sanctitatis sit ideale, nihilominus quarundam virtutum soli enti limitato propriarum, e. g. submissionis, patientiae in adversis, obedientiae exemplum nobis praebere nequit; propterea *Christus* ceu *visibile* et humanae infirmitati magis consentaneum perfectionis exemplar hominibus est datus. *Christi* igitur *exemplum* omni hominum conditioni et pro omni rerum articulo accommodatissimum non solum instruit, sed ad animam a vitiis purgandam virtutisque amore inflammandam quam maxime efficax est et necessarium; quare Christi imitatio ad Christiani ho-

---

118) I. Cor. IV. 16. XI. 1.
119) Ephes. V. 1.
120) Matth. V. 48. I. Petr. I. 15. sq.

minis vocationem characteremque pertinet [121]; et graviter cuilibet christiano praecepta (§. 277.), imo salutis necessaria est conditio [122]; *nam qui dicit, se manere in illo, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare . . siquis autem spiritum Christi non habet, non est ejus* [123]).

2) *Indoles et modus:* nimirum a) *morales* maxime *Dei perfectiones*, sanctitas, sapientia, justitia, veracitas, bonitas beneficentiaque in ejus operibus, in statu mundi physico et morali relucentes saepius studioseque expendendae *); similі fere modo b) *Jesu Christi*, vitae ejus universae et praesertim *mortis* historia frequenti, curata, pia meditatione articulatim ponderanda; atque c) cum Dei perfectionibus et Christi factis ita ponderatis animi nostri sensus actusque comparandi; indeque d) agendi et regulae, et motiva, et incitamenta sumenda, varia consilia propositaque cum piis affectionibus concipienda, firmanda (cf. §. 770.); demum examina ea de re saepe instituenda, *donec formetur Christus in nobis* [124]), *et viventes Deo in Christo Jesu Domino nostro* dicere cum Paulo possimus: *Vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus* [125]); porro e) in Christo non quidem illi actus, qui ipsi ceu Dei Filio et legato peculiares erant, aemulandi sunt, sed imitatione exprimendus *character ejus moralis;* cumprimis autem consectandae f) *virtutes*, ad quas imitandas provocamur, e. g. mansuetudo, humilitas, obedientia, patientia, charitas erga Deum,

---

121) I. Petr. II. 21.
122) Rom. VIII. 29.
123) I. Joan. II. 6. Rom. VIII. 9.
124) Gal. IV. 19. Rom. VI. 11.
125) Gal. II. 20.

fervens erga alios amor, quem in finem meditatio passionis Christi **) insigniter servit; demum g) imitanda singularis sanctissimaque *agendi ratio*, quae ex ejus verbis et factis rite perpensis elucet. Idem quodammodo respectu *sanctorum* et earum virtutum, quibus inprimis excelluerunt, fieri potest; attamen ipsa sanctorum exempla ad Christi legem et vitam exigenda erunt (cf. §. 33.) ***).

3) *Adjumenta:* a) operum Dei beneficiorumque divinorum contemplatio; b) historiae naturalis, sacrae et profanae studium, et eventuum obviorum consideratio cum perpetuo ad Dei sanctitatem, sapientiam, justitiam, bonitatem, et ad nos ipsos respectu; c) historiae evangelicae inprimis, item biographiarum sanctorum hominum pia lectio (cf. §. 773.); atque d) *dierum festorum*, in quibus religionis christianae et vitae mortisque Christi mysteria, aut sanctorum memoria recoluntur, religiosa celebratio; e) piarum imaginum librorumque, queis illa mysteria repraesentantur curatiusque describuntur, ad ea rememoranda et saepius animo volvenda pius usus; demum f) praecipue *Dei praesentis viva piaque recordatio*, de qua mox dicturi sumus.

*) Ita e. g. *Dei* 1) *sanctitas*, qua moraliter bonum necessario probat, malum reprobat prohibetque 126) et essentialiter sanctus est, ad sanctitatem ei consentientem sectandam nos exstimulet 127); Dei 2) *justitia*, qua non nisi optima necessario jubet et sine personarum acceptione secundum veritatem judicans quodvis morale malum pro merito punit, bonum autem praemiatur 128), aut juste judicandum

126) Psalm. V. 5. sq. I. Petr. III. 12.
127) I. Petr. I. 15. sqq.
128) Matth. XVI. 21. Rom. II. 2—11.

et justitiam sine personarum respectu exercendam nos impellat; Dei 3) *veracitas*, qua fallere fallique Deo impossibile est [129], nos ad fidem Deo habendam, ad spem firmam in promissis ejus reponendam, ad veritatem fidelitatemque erga omnes sancte integerrimeque servandam, ad opposita cautissime devitanda promoveat; Dei 4) *bonitas*, qua omnes amat, erga omnes, ingratos etiam et malos, bonus, infinite misericors, benignus, longanimis et ad ignoscendum pronus est, omnibus optima quaeque largitur [130], nos itidem ad omnes etiam inimicos, ingratos, molestos pariter amandos, summa mansuetudine tolerandos, beneficiis cumulandos, imo ad ipsa animantia leniter humaniterque tractanda urgeat et inducat. Ceterum licet Dei bonitas et misericordia infinita sit, ac proinde Deus veluti benignissimus Pater animo sit praesentandus: cavendum tamen, ne eum veluti imbecillem languidumque cogitemus. Qua in re quidam aevo nostro misere se aliosque fallunt, qui adeo Dei bonitatem extollunt, ut Dei peccata punientis justitiam non dissimulare solum, sed addubitare aut negare etiam videantur. Inde autem fit, ut religio veluti pigritiae pulvinar efficiatur, et conscientiae redarguentis sensus, quasi opio suppressus, aut habetetur aut prorsus opprimatur: quo quidem nil periculosius et moralitati exitiosius esse potest. Igitur Deus bonus quidem optimusque, sed et *sanctus justusque* credendus mentique proponendus, ut quemadmodum in Deo bonitas cum sanctitate et justitia necessario est nexa, ita easdem semper in nobis junctas habere et reverentialem timorem cum filiali affectu erga Deum, benignitatemque cum justitia erga nos aliosque amico foedere sociare conemur.

**) *Memoria ac meditatio passionis Christi.* 1) *Summa ejus utilitas:* vix enim alia *efficacior* potest esse ratio, ut a) praeservemur a peccatis, peccata dete-

---

129) Joan. III. 33. Rom. III. 4. II. Timoth. II. 13. Tit. I. 2. Hebr. VI. 17.

130) Jac. I. 16. Luc. VI. 35. Rom. II. 4. II. Petr. III. 9.

stemur, a vitiis purgemur; ut b) ad heroicam quarumque adversitatum tolerantiam, ad fortem malorum patientiam, ad humilitatem, mansuetudinem, ad inimicorum etiam amorem excitemur et moveamur; ut provocemur urgeamurque c) ad Deum, *qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* 131), filiali affectu amandum; d) ad *Christum* grato tenerrimoque *amore redamandum*, ut *qui prior dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis, qui mortuus est pro peccatis nostris et pro omnibus nobis: ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est* 132); inprimis e) *ad Christum, exemplar nostrum, imitandum:* nam *Christus passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* 133). Porro 2) *modus*, Christum patientem considerandi, et inde virtutis incitamenta sumendi, varius esse potest, simodo id cum perpetuo ad nos ipsos, ad actus nostros respectu et ad sancta proposita excitanda et firmanda fiat. Juvabit autem 3) perpendere inprimis, a) *quis* haec fuit perpessus? sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis factus; qui pertransiit bene faciendo, dilectus Dei filius — *quis ego*, qui haec agere pative recusem? b) *quid fuit passus?* maximos animi corporisque cruciatus, contumelias, irrisiones, maledicta, ignominias, sputa, probrosam crucis mortem inter latrones, et homicidae postpositus: *quid* ego passus sum, patiar? c) *a quibus* id pertulit? ab omni hominum conditione, ab iis etiam, quos beneficiis cumulavit, a discipulo, ab hominibus pietatis sapientiaeque speciem habentibus, a magistratibus, ab infima et pessima hominum faece: *a quibus* ego? d) *cur* haec tantaque toleravit? ob Dei Patris hominumque amorem, ut Patris voluntati obediret, ut genus humanum redimeret, doceret, salvaret: *cur* ego ago, patior? e) *pro quibus* haec sustinuit? pro omnibus homini-

---

131) Rom. VIII. 32.
132) Gal. II. 20. I. Cor. XV. 3. II. Cor. V. 1.
133) I. Petr. II. 21.

bus, pro indignis, ingratis, imo inimicis etiam, pro quibus moriens Patris clementiam imploravit: quid ego *pro mea alienaque* salute egi, agam? f) *quomodo* tot cruciatus toleravit? promte, fortiter, constanter, plena in Dei Patris voluntatem sui permissione, *oblatus est, quia ipse voluit,* tacens veluti agnus mansuetus ad victimam ductus; factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: *quomodo* ego sustinere *debeo, sustinui* hucusque, *sustinebo* deinceps? Ceterum 4) expediet Christi cruciatus non generatim solum, sed per partes articulatimque expendere, et eas inprimis, quae ad praesentes indigentias magis accommodae videntur, pie meditando scrutari, atque ad animi sensus corrigendos, emendandos, perficiendos applicare. Ita, e. g. si dolores corporis fors te premunt, Christi cruciatus expende; si injuriae, Christo illatas contumelias meditare; si animi taedia, Christum usque ad mortem tristem contemplator etc.

***) Licet Christus tanquam excellentissimum virtutis exemplar imitandus maxime sit, 1) utilissimum nihilominus erit *B. V. Mariae et sanctorum* hominum exempla, utpote ad Christi exemplum exacta, saepius ob oculos ponere, actus nostros cum iisdem comparare, atque ad varios pios affectus, ad sancta desideria, proposita, ad imitanda eorum exempla nos excitare aliosque etiam provocare: nam a) si variae conditionis homines eorum maxime, qui in civili munere, aut e. g. in regis, imperatoris, consiliarii, militis officio per facta haud usquequaque moraliter bona olim excelluere, vitas factaque ideo legunt, relegunt, contemplantur, ut secundum ea se forment et ad excellentia facinora stimulent: cur id *Christiani* respectu hominum, qui *christiana* virtute praesertim in statu eodem olim excelluere, non faciant? — sane b) sanctorum exempla, ut qui nobis prorsus similes, atque in iisdem plane, in quibus nos versamur, conditionis, aetatis, status rerumque adjunctis positi, quid in his adjunctis secundum Christi legem exemplarque fieri debeat, factis suis demonstrarunt, vana de virtutis difficultate aut impossibilitate praejudicia re-

futant, ignavis ruborem infundunt, eorum excusationibus viam praecludunt, efficacissime ad imitandum provocant et trahunt: id quod experientia etiam saepe confirmavit. At vero, 2) ut vere ad christianam virtutem sanctorum exempla nos perducant, videndum, ut a) exempla sanctorum imitatione prorsus digna, nempe ad Christi legem et exemplar exacta; b) nostrae inprimis conditioni accommoda; et c) solidae virtuti pietatique in nobis promovendae maxime idonea ob oculos ponamus; atque ita in sanctis Christum imitemur (cf. §. 724.).

§. 776.

6) *Et praesentis cogitatio;*

Maximum itidem ad virtutem perfectionemque christianam provehendam pondus habet *frequens Dei omnipraesentis cogitatio piaque recordatio*. Cujus nunc paucis indicanda *utilitas*, *praxis* et *subsidia*.

1) *Utilitas* quidem per se patet: nam Dei legislatoris sanctissimi, judicisque et remuneratoris justissimi, siquidem eum viva fide praesentem credimus, reverentia a) a peccato [134]) quam potentissime revocat; b) ad fortiter pugnandum excitat; c) ad officia quaeque, ardua etiam, perfecte coram Deo explenda vehementer exstimulat; d) ad adversa quaevis, ad injurias, ad mala hominum judicia fidenter constanterque toleranda nos corroborat; nam cogitatio: *Ecce enim in coelo testis meus et conscius meus in excelsis;* cautos, magnanimos, promtos et fortes nos efficere imprimis poterit. Unde d. *Bernardus:* »Qui praesentem habent Dominum, inquit, exhortatione non indigent [135]):« contra qui Dei prae-

134) Cf. Daniel XIII. 23.
135) Job. XVI. 10. *s. Bernardus* serm. de aquaeductu.

sentis obliviscuntur, a via virtutis deflectunt, virtutis certo meritum deperdunt.

2) *Praxis:* haec *Dei cogitatio* non in phantastica aut sterili Dei praesentis repraesentatione consistit, sed viva et actuosa fide retinetur et alitur; varieque exerceri poterit, inprimis a) per sanctas affectiones erga Deum excitatas; b) per preces, ut ajunt, jaculatorias (§. 285. n. 2.); item c) per rectas intentiones et per continuam operum in Deum directionem; d) per eventuum omnium ad Deum relationem; e) per pia quaedam cum Deo quasi colloquia; verbo: Deus saepissime ac fere semper in cogitatione, in affectu habendus, ut omnia ad ipsum referamus; ut perfecte ambulemus digneque coram oculis Dei, secundum illud: *Ambula coram me, et esto perfectus* [136]). Ita quodammodo nostra *conversatio in coelis est* [137]), si Deum praesentem cogitantes semper ei ceu filii amatissimo Patri displicere caveamus, placere per omnia conemur, nutibus ejus obsequi in deliciis habeamus.

3) *Adjumenta et tempus.* Eam juvat ope meditationis a) excitata viva fides de omnipraesentia Dei, in quo *vivimus, movemur, et sumus* [138]); item b) relatio omnium, quae sunt, vel fiunt, ad Deum creatorem, gubernatorem, largitorem; *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in secula* [139]); ceterum c) haec exercitatio sit quasi perpetua, inprimis vero e. g. tempore tentationis, orationis, item adversitatis prementis, beneficii a Deo accepti urgenda *).

136) Genes. XVII. 1.
137) Ephes. III. 20.
138) Act. XVII. 28.
139) Rom. XI. 36.

*) Dei autem praesentia non effictis forte imaginibus, sed piis, brevibus, frequentibus fervidisque virtutum actibus conservanda; qui quidem actus 1) pro re nata exercendi negotia praeeant, comitentur, sequanturque, iisque omnibus, quae sensibus, menti animoque occurrunt, objectis et quibusvis seu prosperis seu adversis eventibus accommodentur; ita 2) in ipso actionis cursu animus colligendus et dicendum cogitandumve: e. g. Tibi, Domine! tibi soli laboro, placere cupio. Domine, propter te, adjuva me. Domine, non mea, sed tua voluntas fiat. Domine, tu scis, quia amo te. Deus meus et omnia. Benedicite omnia opera Domini Domino. Benedic anima mea Domino etc. etc. Cf. *S. Salesii philothea seu institut. ad vitam devotam p. II. c.* 13.

§. 777.

7) *Novissimorum memoria, et recordatio;*

Praeter haec praeclarum insuper virtutis tuendae subsidium est *pia novissimorum memoria*, seu mortis, judicii, aeternae aut beatitatis in coelo aut damnationis in inferno recordatio. Cujus jam declaranda

1) *Utilitas.* Nam a) a peccato vehementer retrahit: *In omnibus operibus tuis,* monet Siracides [140]), *memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis;* b) hominem sui incurium sibi reddit; c) bonorum temporalium et spiritualium pretium juste dijudicare docet; d) illorum desideria immodica comprimit, horum studium accendit; e) miseriarum hujus vitae tolerantiam leviorem, gaudiorum usum reddit moderatiorem; f) Dei timorem, reverentiam, amorem excitat; atque ita g) malorum conversionem, justorum vigilantiam, piorum fervorem promovet. Atque ex his jam satis determinatur

140) Eccl. VII. 40.

2) *Tempus.* Equidem *in omnibus operibus* novissima memoranda: id tamen praecipue faciendum, ubi a) tentatio ad peccatum nos pulsat; ubi b) tepor, taedium, adversitas animum dejicere parat; ubi c) difficultas cupiditasve a perfectionis moralis studio nos retrahere tentat; ubi d) ad ardua consilia suscipienda accingimus; aut ubi e) moralia in re graviori judicia ferenda erunt: nam novissimorum memoria ad fortius pugnandum, ad adversa generosius ferenda, ad ardua suscipienda, ad recte judicandum nos potenter juvat et movet. Ceterum rectus tenendus modus.

3) *Modus* nempe, quo haec recordatio ad juvandam virtutem exercenda est, varius esse potest. Juvat tamen hoc loco exempli causa indicare rationem, qua cum variis affectibus, piis desideriis, sanctis propositis animo recolenda sint a) *mors* *), b) *judicium* **), c) *infernus* ***), d) *vita et gloria aeterna* ****).

*) *Mors.* Scilicet perpendenda a) *mortis* certitudo; b) vitae brevitas, fragilitas; c) temporis horaeque, modi et adjunctorum mortis incertitudo; d) exitus peccatorum justorumque diversitas, illius miseria, hujus pretium; e) praeparationis ad mortem necessitas et modus (§. 395—397.). Saepius quisque exquirat a se ipso: Quamdiu et quomodo vixisti? Quamdiu vives? Quando et quomodo morieris? An Deo, an mundo vixisti, vives? Scisne, audesne mori? Etiam hodie? Itane ageres, si hanc diem vitae ultimam scires? Quid moriens fecisse optabis? Ita mors erit magistra vitae. Ceterum f) arripiendae omnes occasiones mortis memoriam revocantes, e. g. funera quorumque, conjunctorum, juvenum, contemplatio morientium. Suadet s. Salesius aliique g) diem e. g. mensis cujusque praeparationi ad mortem cumprimis impendere, e. g. per institutum rigidius examen, per confessionem et

communionem ita factam, quasi vitae ultima foret, per exercitationem piorum actuum, quos in ultima vitae die elicere decet.

**) *Judicium. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium* 141). Cogita, a) *quis judicabit? Omniscius*, qui scrutatur renes et corda, Deus *aequissimus; judicabit Dominus orbem terrae in aequitate* 142); *omnipotens et inexorabilis.* »*Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Non »est, qui de manu tua (Dei) possit eruere 143). »Nil proderunt thesauri impietatis, impio non pro»derunt divitiae in die ultionis, justitia vero libe»rabit a morte 144).« Cogita, b) *quid dijudicabit?* operae quaecunque hominum bona malave; *cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit* 145); omnes cognitiones et verba: *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* 146); non *commissa* solum, sed et *omissa*, usum aut neglectum talentorum: *cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* 147); *neglecta misericordiae opera: esurivi (in meis quondam) et non dedistis mihi manducare etc.* 148). Quid si nunc hominibus cogitata tua, judicia, occulta consilia, desideria, facta patescerent? Patebunt autem in judicio. An de his omnibus audebis Deo respondere? Et c) *quae te manebit sententia?* Inspice vitam tuam, et scies *sententiam tuam.* Vitam inutilem malamque *mala*, bonam *bona* excipiet sententia: *quae enim seminaverit homo, haec et metet. Ibunt mali in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: su-*

---

141) Hebr. IX. 27.
142) Psalm. XCV. 14.
143) Hebr. X. 31. Deut. XXXII. 39.
144) Proverb. X. 2. XI. 4.
145) Eccl. XII 14.
146) Matth. XII. 36.
147) Luc. XII. 48. Matth. XXV. 14. sqq.
148) Matth. XXV. 35—46.

perexaltat autem misericordia judicium 149). Quasi in potestate tua est, quomodo respectes Christum: an vindicem, an retributorem justissimum. Sed d) *quando judicabor?* Incertus mortis, incertus ergo dies judicii. *Ecce judex ante januam assistit* 150). Quid igitur consilii? quemlibet diem ita agito, quasi dies esset judicii. Quare nec emendationem, nec perfectionis studium in diem differto. »In quo enim quemque invenerit suus novissimus »dies, in hoc eum comprehendet mundi novissi»mus dies: quoniam qualis in die isto, quisque mo»ritur, talis in die illo judicabitur 151).«

***) *Infernus.* Judicium finiet sententia decretoria judicis, qui dicturus est malis: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum . . . et ibunt hi in supplicium aeternum* 152). Porro necesse est, monente Augustino 153), ut vivus in infernum descendas, ne post mortem in aeternum non reversurus descendas. Igitur saepius perpendenda e. g. a) *jacturae magnitudo: Discedite a me:* aeterna a Deo, a Christo separatio; aeterna a gratia, amicitia, a conspectu Dei, ab oblata gratia, a sanctorum consortio exclusio; b) *supplicii gravitas: Discedite in ignem aeternum; mittet eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium* 154). »Quis poterit habi»tare de vobis cum igne devorante?« c) *Utriusque aeternitas: Mali poenas dabunt in interitu sempiternas . . . Ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur . . . Et fumus tormentorum eorum ascendet (ascendit) in secula seculorum* 155); item d) has *poenas incurrendi periculum:* hinc Christus exclamat: *Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam et pauci sunt, qui inveniunt eam? Lata porta et spatiosa via est,*

149) Galat. VI. 8. Matth. XXV. 46. Jacob. II. 13.
150) Jacob. VI. 9.
151) *S. August.* serm. 49 de temp.
152) Matth. XXV. 41. 46.
153) *S. August.* in Psalm 54.
154) Matth. XIII. 42.
155) II. Thess. I. 9. Isa. 66. 24. Apocal. XIV. 12.

quae ducit ad interitum, et multi sunt, qui intrant per eam 156). Num per viam arctam hucusque ambulasti cum paucis? Num vitasti, queis aeterna supplicia constituta sunt, peccata? Aut certe per dignos poenitentiae fructus ea expurgasti? *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* At forte scelera aut peccata inferno digna non commisisti. An autem bona bene et pro viribus egisti? Sin: time illud Christi: *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium* 157). Igitur *ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te* 158). »Nulla, recte monet s. Gregorius, satis magna securitas, ubi periclitatur aeternitas.«

****) *Aeterna vita et coelestis gloria.* Christus judex dicit his, qui a dextris erunt: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi . . . Ibunt autem justi in vitam aeternam* 159). Recogitanda itaque saepius *aeternae vitae* a) *certitudo:* nam si *in hac vita tantum*, ut ait Apostolus: 160), *in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus . . . Ut quid et non periclitamur omni hora?* Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? tum dicendum forte potius cum impiis: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci* »Injustus et iniquus esset Deus, qui malos hic prosperari, et bonos tribulari permittit, nisi justis et injustis futuram retributionem reservaret 161) . . . Itaque fratres mei dilecti, concludit apostolus 162), stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est

156) Matth. VII. 14.
157) Matth. XXV. 30.
158) Eccl. V. 8. sqq.
159) Matt. XXV. 34. 46.
160) I. Cor. XV. 19. 30. sqq.
161) Hugo card. in Psalm. 74.
162) I. Cor. XV. 58.

»inanis in Domino.« Ponderanda b) *excellentia*, *dignitas*, *jucunditas*. Justum manet intima aeternaque cum Deo, Christo conjunctio et cum sanctis communio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* manet integra ab omni incommodo immunitas, plena mentis animique exsatiatio, incredibilis et omnem hominis captum excedens jucunditas, gloria et dignitas: *Nam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt eum* 163). *Scimus, quoniam, cum apparuerit* (nobis revelatus in coelo), *similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.* Consideranda c) ejus *obtinendae conditio*: *Si vis venire ad vitam, serva mandata*; justissima certe suavissimaque, quae, etsi nulla constituta essent praemia, nihilominus quivis, ni a dignitate sua degenerare velit, servare gaudens debeat. Nunc autem, quum tanta aeternaque promissa sint praemia, quis nisi insanus non servet? Mundo vilissima, incertissima, levissima fallaciter saepius promittenti, etsi difficillima stultissimaque ac injusta non raro imperet, mancipare se homines certant: et Dei tanta praemia offerentis justissimae voluntati obsequi detrectant. Heu stultitia! Quid pro mundo patimur? Quid pro Deo? Quid mundus, quid Deus retribuit?? »Certe quod »in praesenti est momentaneum et leve tribulatio»nis nostrae, supra modum (et supra omnem men»suram) in sublimitate *aeternum gloriae pondus* »operatur in nobis 164).« Quoniam autem et qui certat, non coronatur, nisi legitime certaverit; nec nisi perseverantibus usque in finem vita aeterna est promissa 165): quivis ita currat, ut bravium accipiat, ita perseveranter pugnet, ut cum Paulo 166) dicere possit: »Bonum certamen certavi, cur»sum consummavi, fidem servavi. In reliquo re»posita est mihi corona justitiae, quam reddet mi-

163) I. Cor. II. 9.
164) II. Cor, IV. 17.
165) II. Timoth. II. 5. Matth. XXIV. 13.
166) II. Timoth. IV. 7. sq.

»hi Dominus in illa die justus judex.« An hucusque ita certasti? An thesauros coelestes cumulasti? Quid facies deinceps?

§. 778.

8) *Vigilantia christiana et cura minimorum.*

Tum ad peccata praecavenda, tum ad faciendos in via perfectionis progressus perpetua opus est *vigilantia*, atque assidua inprimis sui ipsius et totius vitae observatio; item, quum in salutis negotio nil, etsi minimum videatur, negligere fas sit: requiritur insuper *in minimis* etiam *summa fidelitas.* Porro

I) *Vigilantiae hujus christianae* notanda inprimis 1) *objecta praecipua:* nimirum vigilandum maxime circa a) statum mentis et animi, circa cogitationes, judicia, principia, propensiones, aversationes; circa b) verba et opera, eorum motiva, incitamenta, indolem; circa c) animae pericula, tentationes, peccandi occasiones, virtutis impedimenta in- et externa (negotia, societates); item circa d) divinas inspirationes, boni agendi occasiones, perfectionis christianae subsidia; 2) *necessitas:* vigilantiam enim imperant praesertim a) hominis infirmitas, levitas, incuria et mentis ad externa dissipatio; b) impedimentorum et hostium salutis multitudo, fallacia, pertinacia; c) necessaria sui ipsius et horum, de quibus mox, objectorum cognitio, quae cognitio absque vigilantia haberi servarique nequit; d) experientia ac consensus piorum; demum e) Christi Domini ad hanc vigilantiam omnes suos exhortantis *praeceptum* gravissimum saepissime [167]) inculca-

167) Marc. XIII. 5. 33—37. Matth. XIII. 25. sqq. XXIV. 42. sqq. XXV. 13. Luc. XXI. 34. sqq. I. Petr. V. 18.

tum; 3) *modus:* vigilandum nempe a) diligenter prudenter et constanter; b) nil inconsiderate, nil ex impetu cupiendum, aversandum, loquendum, agendum; c) omnia prius ad rationis evangelii amussim examinanda; d) etiam ad speciem bona acriter dijudicanda, ac veluti non sat tuta timenda, praeterita saepius examinanda, futura caute prospicienda; e) animus ad tentationes praemuniendus, froenanda phantasia, sensus caute custodiendi, initiis peccati obsistendum (§. 214.); peccandi occasiones propinquae fugiendae, aut adhibitis remediis nocendi vi exuendae (§. 211.); ceterum f) haec, quae diximus, objecta saepius, praesertim tempore examinis generalis specialisque, de quo mox, diligenter pensanda; inprimis g) nil sive boni, sive mali, et quidquid ad salutis negotium pertinet, *parvi* aestimandum.

II) Hanc *minimorum* curam, seu *in minimis* vigilantiam fidelitatemque ratio et Christus praecipit; nemo enim cito vel optimus vel pessimus efficitur: ex minoribus autem proclivis ad majora sive bona sive praesertim mala fit progressus. 1) *Neglectus minimorum* facit, ut parum in bono progrediamur, paullatim regrediamur, demumque ad ima delabamur. »Nam qui spernit »modica, paullatim decidet . . . et qui solverit »unum de mandatis minimis, minimus vocabitur »in regno coelorum . . . qui fidelis est in mini»mo, et in majori fidelis est: et qui in modico »iniquus est, et in majori iniquus est [168].« Quare *qui Deum timet, nil negligit* [169]. Quam in rem antehac (§. 111. n. 1. et §. 148) dicta conferenda. Ceterum 2) hanc vigilantiam curam-

---

168) Eccl. XIX 1. Matth. V. 19. Luc. XVI. 10.
169) Eccl. VII. 19.

que minimorum maxime sustentat recta actionum *coordinatio* et curatum *examen*, de quibus dicendum superest.

§. 779.

9) *Actionum negotiorumque recta coordinatio;*

Insigne virtutis ac perfectionis praeterea adjumentum est *ordo*, seu recta prudensque *agendorum et negotiorum coordinatio*. Cujus jam paucis exponenda

1) *Summa utilitas et necessitas.* Ea sane demonstratur a) ex ipsa *rei natura*: nam quod recto ordine non fit, nequit omni parte perfectum esse; idem patet b) *ex inductione*: ordo enim in scientiis, artibus, aut quibusvis negotiis ad qualemcunque saltem perfectionem prorsus est necessarius: idem magis multo obtinet in actibus moralibus, ad quorum bonitatem circumstantiarum omnium cum ratione consensio, atque adeo ordo quoque requiritur (§. 119.); id quod confirmatur c) *ex effectu et experientia*: etenim ordo rectus taedio, inconstantiae, tepiditati et confusioni medetur, et contra operandi facilitati, constantiae, fervori, bonitati actionis mirifice consulit; accedit d) *meritum* ex ordine servato: cujus sane observatio perpetuam sui ipsius abnegationem comprehendit, ac proin perpetui meriti est occasio; demum huc referri potest e) apostoli monitum: *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant* [170]).

2) *Indoles.* Ordo scilicet sit a) ad rationis et evangelii, atque ad prudentiae itidem leges exactus; proin b) adjunctis rerum, personarum

170) I. Cor. XIV. 40.

temporum, status cujusvis accommodatus; nec c) desultorius, neque item servilis aut mechanicus, ut procul excludat non levitatem minus, quam pertinaciam.

3) *Modus.* Nimirum a) ordo generalis actionum ad rationis et prudentiae regulas designandus; inprimis b) figenda hora *decumbendi* et *surgendi;* tempus etiam laborandi, orandi, corpus animumque reficiendi: quibus fixis nulla in ceteris ordinem servandi erit difficultas *); item c) negotiorum necessariorum utiliumque ea *succèssio* et *vicissitudo* servanda, quae taedio praecaveat, laboris amorem nutriat, negotiorum facilitati consulat; ceterum d) *praeparatio matutina* singulis negotiis, quantum licet, singulas horas regulasque praescribat **); *vigilantia per diem* eas observet et urgeat ***); *examen nocturnum* inprimis actiones cum fixis regulis conferat, deinceps emendet aut perficiat. De quo jam modo dicendum.

*) 1) Semper ferme consultius est, maturius decumbere, ut maturius surgas, quam contra, nam quod volebas vespere agere, fere melius fiet mane. Interim 2) negotia, necessaria praesertim, nunquam citra graviorem rationem differenda. Igitur quod potes hodie, hac hora, ne differas in crastinum aut aliam in horam, ubi agere saepius aut non voles aut ne poteris quidem. Quodsi 3) quidpiam differendum negotii officiique: id cedat ceteris, quod omitti eveniente impedimento rectius possit.

**) *Praeparatio* haec, quae appendix meditationis aut precum matutinarum esse poterit, comprehendit 1) ardens desiderium et firmissimum propositum, praesentem diem sanctissime transigendi; a) quaevis peccata, inprimis alias commissa, cautissime devitandi; b) singula negotia, determinato singillatim praevisoque cujusvis modo optimo, quam perfectissime obeundi; c) has illasve exercendae virtutis certae occasiones quaerendi optimeque usurpandi. Item

2) divinae opis petitionem ad propositum rite exequendum. Ceterum omne hoc propositum non sit *generale* solum, sed quoad objectum, circumstantias, modum prorsus *determinatum*. Cf. §. 754. n. 2.

***) Quam in rem suadent vitae perfectioris magistri, ut 1) operis quidpiam speciatim *aggressurus* breviter propositum matutinum repetat, atque proin a) animum advertat ad operis indolem, finem, gravitatem, rectum modum; b) hisque congruenter agere ex optimo motivo decernat; et c) brevissime opem Dei ad id exequendum imploret vel animo solum, vel ore etiam dicendo e. g.: Deus in adjutorium meum intende . . Deus adjuva me. 2) *Sub ipsa actione* sibi quisque invigilet, ne a proposito deflectat, ne quid pravi vel minus recti irrepat, ne perfectius agendi modum negligat; quodsi vero quid naevi adverterit, statim ad perfectius agendum se excitet. 3) *Post opus* expletum veloci, sed attento mentis obtutu illud relegat singillatim observans, an ex pura intentione, exacte perfecteque id obierit, an nil naevi et defectus sit commissum. Cui brevissimo examini confestim brevissima Dei laus pro bono successu, aut sui ipsius veluti objurgatio ob defectus subjungatur. Neque vero minutae hae observationes fere impossibiles, inutiles, aut negotiis impedimento futuras quis credat: nam per aliquot tempus frequentatae executu faciles fiunt, ut uno obtutu, quid in actione boni vel mali intervenerit, perlustrare liceat: quam notitiam ad sui ipsius cognitionem emendationemque, et ad operis perfectionem summopere conferre nemo negaverit. Quodsi fors statim peracto opere id examen brevissimum sit omissum, certe supplendum est per examen generale specialeque, de quo jam.

§. 780.

10) *Examen status moralis, et spiritus sanctiorisque propositi renovatio.*

Praecipuum denique perfectionis moralis consequendae, conservandae augendaeque praesi-

dium est *actuum suorum examen curatissimum* et *sanctioris propositi innovatio*, cujus hoc loco exponendae

1) *Species.* Distinguitur scilicet examen tum a) *generale*, quo e. g. omnes vel totius anteactae vitae, vel anni, mensis, diei, aut spatii brevioris actus, cogitata, verba, opera bona malave discutiuntur: quod ideo examen *annuum, menstruum, quotidianum* appellant; tum b) *particulare* aut *speciale*, quod certa peccata, naevos, aut singularis virtutis actus, certi muneris exequendi modum etc., e. g. circa peccata irae, circa actus mansuetudinis, circa modum alios corrigendi etc. instituitur: id quod ad funditus eradicandum certum peccatum, ad affectum dominantem penitus compescendum, ad certam virtutem magis necessariam plantandam, firmandam, insigni adjumento esse solet; et examini generali adjungi, vel alio tempore institui utiliter potest.

2) *Objecta*, circa quae versari debeat hoc examen, sunt cumprimis a) status moralis, adeoque character moralis, judicia, principia agendi, affectus, intentiones, agendi motiva, cogitata, verba, opera; b) bona perfecte imperfecteve peracta, omissa, neglectae boni occasiones, mala commissa; item c) peccatum, aut mala affectio dominans; d) progressus, aut defectus tum generatim, tum ratione certi officii, virtutis etc.

3) *Necessitas utilitasque.* Nam inde pendet a) vera sui ipsius, et totius status moralis cognitio prorsus necessaria; b) sui ipsius emendatio, citra hanc cognitionem omnino impossibilis; c) progressio in bono, et vitae perfectio, quae sine frequenti sui perscrutatione incassum speratur. Deinde hoc peccati eradicandi et virtutis plantandae

subsidium omnes vitae perfectioris magistri, ipsi ethnici philosophi gravissime commendarunt et praeceperunt.

4) *Modus et adjuncta.* Praxin examinis hujus designant vulgo praescribi solitae ejus partes: a) *divini luminis* ad se statumque moralem rite dignoscendum ardens *petitio*; b) ipsa *objectorum* dictorum (n. 2.) diligens articulatimque facta *discussio*, comparatio perfectus defectusque; c) piorum *actuum affectuumque* congruentium, e. g. laudis Dei, humilitatis, contritionis, deprecationis *exercitatio*; d) *propositum* tum *generale*, tum *speciale* (§. 770.) cognitos naevos corrigendi et deinceps sanctius vivendi; e) divinae opis ad id exequendum imploratio. Ceterum *tempus* aptissimum ratione examinis quotidiani, si semel duntaxat in die instituatur, est *vespertinum*, antequam cubitum concedimus; quoad *locum* et adjumenta superius (§. 770.) dicta heic quoque applicari poterunt.

5) *Praxis examinis, e. g. hebdomadarii, menstrui, annui; praecipue spiritus et sanctioris propositi renovatio.* Nempe praeter *quotidianum* examen per communem ascetarum et virorum piorum doctrinam et exempla summe commendatur et vehementer urgetur, a) ut aliquando aut totius aut exactae a certo temporis intervallo vitae et status moralis examen instituatur; b) ut e. g. de certo munere hucusque gesto, aut de anno, mense, hebdomade transactis, de progressu in bono, vel defectu ratio exigatur et status moralis, ut ita dicam, computus fiat; demumque c) novum se suamque agendi rationem emendandi perficiendique decretum figatur, firmissimumque propositum restauretur: fere quemadmodum solliciti oeconomi, patresfamilias, mercatores, admini-

stratores faciunt, qui praeter *speciales* et quotidianas insuper omni mense, trimestri, semestri, aut certe anno quovis *generales* totius status aut negotii sui *rationes* inire solent, ut hoc modo integrum negotii sui progressum, incrementa decrementaque horumque causas distinctius perspicere naevosque detectos emendare, aut, quae minus perfecta sunt, deinceps perficere valeant. Ad quam spiritus et boni propositi restaurationem oppido necessariam *certum tempus* et *modum* quivis ipse praestituere sibi pro rerum adjunctis poterit *).

*) Nimirum 1) experientia docet, sanctissima firmissimaque hominum proposita in varia temporum, locorum, occupationum, sociorum, eventuum, propensionum vicissitudine vehementer concuti; aliquando veluti furtim ac imprudenter languescere, aut certe minus efficaciae habere, nisi spiritualis fervor sanctumque desiderium et propositum, a cujus firmitate ardoreque omnis noster profectus moralis pendet, per intervalla innovetur, firmetur et augeatur. Porro 2) ejus generis renovationes assignantur vel *quotidianae*, vel *hebdomadariae*, *menstruae*, *annuae*, vel cuilibet, quo certa urget necessitas suadetve opportunitas, *tempori accommodatae* . . . Nimirum a) *quotidianae* sunt, dum e. g. mane, meridie, vespere, aut initio operis cujusdam gravioris vigorem spiritus excitamus, propositumque, praesertim particulare ac determinatum, renovamus, hunc certe diem aut reliquam ejus partem sanctius, quam usquehuc, traducendi, opus praesens perfectissime obeundi; b) *hebdomadariae* aut *menstruae*, dum post exactum de hebdomade menseve, de servatis hucusque propositis examen, e. g. die dominica aut ultimo mensis, praesertim dum ad eucharistiam et poenitentiae sacramentum nos praeparamus, longius tempus hujus spiritus fervorisque renovationi consecramus; et post plura etiam infirmitatis nostrae experimenta animum haud despondentes, in nobis quidem diffisi, in Dei autem

ope confisi nova alacritate ad quasvis difficultates fortiter superandas et ad perfectissime agendum nos exstimulamus; c) cui eidem exercitio *quovis anno*, si licet, aliquot dies sepositis reliquis negotiis impendere ascetae suadent, qui huic rei impensos dies *s. exercitia spiritualia* vocant, ab ecclesiae praesulibus saepius commendata et piorum usu uberrimoque fructu comprobata. Quem in finem plures prostant *triduanorum octiduanorumve exercitiorum* libri, qui eorum peragendorum praxin et modum docent monstrantque; ex quibus certe non nisi solidiori doctrina morali, quam in pluribus merito desideraveris, insignes usui esse poterunt. Ceterum 3) praeter has spiritus renovationes suscipiendae aliquando sunt aliae nulli tempori alligatae pro rerum adjunctis, e. g. dum quis se in via virtutis remissum, in culpas pronum, gravius tentatum, aut singulari lumine illustratum et inspirationibus sanctis impulsum sentit; dum e. g. adversitas aut casus singularis, morbus, inopia, amici aut alterius mors ad sanctiora desideria nos excitat, dum ratio status conditionisve, vel negotii gravitas speciale sanctius vivendi propositum consiliumque exposcere videtur. His quidem in adjunctis quam maxime utile imo necessarium vulgo est, ut quis eo, quo diximus, modo *spiritus vigorem ac sanctioris vitae propositum* instauret; et recenti cum conatu novaque cum alacritate, acsi hodie primum vivere incepturus, perfectioris vitae curriculum repetat, atque in Domino confidens cum propheta exclamet: *Et dixi, nunc coepi: haec mutatio dexterae excelsi* 171).

**) Ceterum commendata usquehuc ac fors justo latius exposita virtutis subsidia non omnia a) veluti simul aut sine discrimine; nec b) serviliter duntaxat; nedum c) mechanice esse usurpanda; sed 2) singula a) discrete opportuneque; b) cum sancta spiritus libertate; c) optima intentione et cum fervida animi contentione ad animum diligentius usque emaculandum et in bono magis firmandum perficiendumque esse prudenter applicanda, nemo aequus rerum aestimator dubitare poterit.

---

171) Psalm. LXXVI. 11.

CAPUT III.

DE ADJUMENTIS CHRISTIANAE PERFECTIONIS SPECIALIBUS ET EXTRAORDINARIIS, CONSILIIS EVANGELICIS.

§. 781.

Consilia evangelica generatim summe ad perfectionem utilia; speciatim

Praeter communia christianae virtutis subsidia 1) Christus iis, qui ad majorem virtutis perfectionem adspirant, specialia quaedam suggessit *consilia*, quae a praeceptis moralibus differunt, nec nisi ab illis, qui ultro se singillatim obligarint, necessario observari debent *), propter quod vulgo *consilia evangelica* vocantur. 2) Ecclesia autem tria potissimum id genus consilia agnoscit, nimirum a) *castitatis perpetuae;* b) *voluntariae paupertatis;* c) *specialis obedientiae* aut proposita aut vota **). 3) Atque haec quidem proposita votave, a) utpote per quorum observationem praecipua virtutis impedimenta, nempe concupiscentia carnis per castitatem, concupiscentia oculorum per paupertatem, superbia vitae per obedientiam perfectius removentur, non possunt non esse optima virtutis subsidia; quocirca b) Christus ea summe commendavit; c) ecclesia nunquam non maximi habuit; d) sanctorum exempla et fructus uberrimi inde a plurimis hausti tanquam ad vitae perfectionem maxime utilia comprobarunt.

*) 1) Nimirum, ut ait Hieronymus [172]), *ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi praeceptum, necessitas est servientis.* Porro 2) consiliorum evangelicorum observatio ipsam perfectionem haud constituit, sed duntaxat aptissimum ejus subsidium est. Proinde cavendum, 3) ne quis in medio tanquam fine sistat, aut finis mediique ordinem pervertat.

**) Nempe 1) haec consilia vel ex pio proposito quisque servare, vel ad ea servanda nuncupato voto aut simplici aut solenni per religiosam confessionem se, qui volet, poterit obstringere. 2) Vota autem tum alia tum haec esse Deo grata et sancte servanda, atque si caute, discrete prudenterque sint nuncupata, summe utilia esse, alias (§. 290—292.) jam monuimus. Ceterum 3) consilia evangelica a fidelibus omnibus *quodammodo* posse servari ex dicendis patescet.

§. 782.

1) *Consilium evangelicum castitatis perpetuae;*

Quod ad *evangelicum perpetuae castitatis consilium* attinet, hoc loco ejus a) notionem; b) excellentiam utilitatemque; c) finem; d) ejusque electionem et usum indicamus. Nimirum 1) consilii hujus evangelici nomine virginitatis servandae, aut certo vitae caelibis castaeque perpetuo deinceps agendae (§. 358.) propositum aut votum intelligitur. 2) Id autem a) a Christo Domino fuit manifeste commendatum per illa verba [173]): *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt* (voluptate venerea ultro ipsi perpetuo sibi interdixerunt) *propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat;* idem b) pluribus commendat s. Paulus [174]) dicens: »De

172) Lib. I. contr. Jovin.
173) Matth. XIX. 12.
174) I. Cor. VII. 1. 8. 25. 38. 40.

»virginibus *praeceptum* Domini non habeo, *consi-*
»*lium* autem do, tanquam misericordiam conse-
»cutus a Domino, ut sim fidelis . . . *Solutus* es ab
»uxore? noli quaerere uxorem. *Bonum est* homi-
»ni mulierem non tangere . . . dico autem non
»nuptis et viduis: bonum est illis, si sic perma-
»neant, sicut et ego . . . Qui matrimonio jungit
»virginem suam, bene facit, et qui non jungit,
»*melius* facit . . . Beatior erit (vidua), si sic
»permanserit secundum meum *consilium;* puto
»autem, quod et ego spiritum Dei habeam;« qui-
bus c) exacte consentit perpetuus ecclesiae catholicae et s. patrum sensus. Porro 3) hujus consilii *finis* indicatus a s. Paulo est: ut nempe homo a carnis tribulatione liber cor animumque Deum inter et conjugem nequaquam dividat, sed conjugii onere curaque solutus uni Deo placere cupiat, et sine impedimento Dominum obsecrandi liberam habeat facultatem [175]. Ceterum 4) licet *perpetuae castitatis status* ad animum Deo perfectius consecrandum generatim prae statu conjugali sit opportunior *excellentiorque:* tamen pluribus ob specialia adjuncta statum conjugalem prae vita caelibe esse suadendum et amplectendum, alias (§. 358. n. 2.) jam observavimus. 5) Neque item *vita caelebs* per se, sed maxime quatenus illa ceu aptissimo virtutis subsidio utimur, praecellentiam obtinet. Atque hinc 6) colligitur, vitae caelibis et *perpetuae castitatis votum* non nisi multiplici cum cautione semperque ex sancto motivo faciendum, atque inprimis tanquam perfectionis christianae subsidium esse sollicite usurpandum (§. 338. n. 2.).

---

175) I. Cor. VII. 28. 32—35.

*) 1) Contra hoc sanctioris vitae adjumentum plura obmovere idque criminari solent nonnulli a spiritu evangelii prorsus alieni, qui asserere non verentur: a) hoc castitatis propositum servatu possibile haud esse; b) id a s. Paulo solum pro sui temporis calamitate fuisse commendatum; imo c) vitae caelibis studium Platonicae Pythagoricaeque scholae praejudiciis deberi; d) illud a Patribus per haec praejudicia captis fuisse immoderatius atque fanatice etiam commendatum; imo e) ab ecclesiae praesulibus ex *dominandi libidine* per tyrannidem clericis obtrusum; f) per experientiam esse pessimorum effectuum, imo criminum causam aut occasionem etc. At vero haec pluraque hujus commatis scommata dudum a viris doctis confutata vix responso digna sunt. Enimvero 2) castitatis perpetuae a) stricta custodia opus quidem arduum, attamen certissime a quibusdam prophetis, a s. Paulo, a s. Joanne evangelista, ab innumeris utriusque sexus fidelibus in primaeva ecclesia, quod ex Justini et Tertulliani apologia aliisque certissimis documentis constat, insuper habitis variis illecebris tentationibusque fuisse sancte custoditum, nemo nisi improbus negarit. Quis ergo id consilium servatu per se impossibile somniet? b) Christum autem et s. Paulum id generatim et universe, non relate ad sui aevi adjuncta, habito tamen ad personas, quae a Deo ad id vocatae videntur, respectu commendasse, ex scopo, fine et rationibus designatis manifestum est; proinde c) qui id ethnicae philosophiae partum dixerit, Christum etiam et Paulum ejus praejudiciis captos blasphemat; d) illud castitatis studium a patribus omnibus, licet a quibusdam aliquando magnificentius vehementiusque commendatum, qui ambitioni eorum tribuit, viros omnes sanctissimos criminari, aut ambitionis fanatismique reos agere audet. At quo fundamento, qua veri specie? imo qua non impudentia? e) idem vero juste praecipi potuisse clericis, alibi 176) rationibus haud spernendis monstravimus; ubi itidem f) caelibatum non criminum fontem, sed ex s Pauli doctrina optimum virtutis prae-

176) Vid. meas institut. jur. eccl. p. II. §. 432. n.

sidium esse ostendimus. Porro quid sancti est, quo mali homines non abutantur, aut ex quo peccandi ansam non sumant? Quidquid ergo mali ex occasione caelibatus videtur contigisse, non ipsi caelibatui, sed hominum, qui ejus servandi praesidia neglexere, vitio adscribendum. Certe si homines aut caelibem statum non imprudenter eligant, aut saltem subsidia castitatis servandae omnia adhibeant: propositum aut votum castitatis neque erit occasio, nedum causa malorum, sed optimum etiam castitatis certo servandae praesidium, et perfectionis christianae adjumentum praestantissimum.

**) Ceterum 1) hoc loco recolenda sunt, quae superius de vitio *luxuriae* vitando (§. 180—185.) et de *castitate* colenda (§. 355.); item quae de *viduarum* officiis (§. 596. n. 2.) et de *filiarum educatione* (§. 602. n. 1.) monuimus. Certissimum est, castitatis curam in *statu quocunque* esse necessariam, praesertim in *conjugali;* nam facilius fere est, prorsus a venerea voluptate abstinere, quam in usu modum semper tenere. Unde, quod observat *s. Salesius*, sicut multos divites non ex necessitate, sed ex cupiditate videmus aliena rapere, sic etiam multos conjugatos ob solam intemperantiam libidinemque, non obstante legitimo, cui adhaerere deberent, objecto videmus esse dissolutos et lascivos. Concupiscentia enim igni haud absimilis certo objecto haud inhaeret, sed huc illucque discurrit et incendia spargit. Quare conjuges inprimis castitati conjugali servandae cautissime invigilent; atque 2) castitatis quoque consilium in *statu conjugali* itidem quodammodo servare studeant: quod faciunt, si a) *qui habent uxores, tanquam non habentes sint;* si cor minime divisum, si animam immaculatam habere, si Deo uni placere studeant 177); imo forte secundum apostoli consilium 178) ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, ab usu conjugii sibi quandoque temperent. Porro 3) ii etiam, qui a nuptiis, quas desiderant, quomodocunque prohibentur, ex necessitate, ut ajunt, virtutem faciant;

---

177) I. Cor. VII. 29. 33. sqq.
178) Ibid. V. 5.

saepius Deo agant grates, quod a multis carnis tribulationibus, curis ac miseriis, quae conjugatos saepe premunt, ipsos liberarit et uni sibi placendi, ipsimet liberius serviendi opportunitatem tribuerit ac veluti necessitatem imposuerit. Inprimis Dei providentiae et bonitati confisi omnia servandae castitatis subsidia adhibeant, impedimenta removeant; et oblata insignis de se et carnis concupiscentia reportandae victoriae, ac perfectius vivendi opportunitate ad sanctitatis et amplorum meritorum consecutionem utantur; unice *cogitent, quae Domini sunt, ut sint sancti corpore et spiritu.* Cf. *s. Salesius* introduct. ad vitam devotam p. III. c. 12. sq.

§. 783.

2) *Consilium evangelicae paupertatis;*

Juvat hoc loco 1) *paupertatis evangelicae* a) fundamentum, b) notionem idolemque; c) originem utilitatemque; et d) praxin in ecclesia; demum e) subjectum ac f) finem g) modumque saluberrimum indicare. Nimirum 1) *divitiae* seu amplioris ac divitis patrimonii possessio a) ob sollicitudines, curas, quae illarum acquisitio, conservatio, tuitio maximas sibi solet conjunctas habere, virtutis ac perfectionis studium vulgo vehementer impediunt; et b) ob fastum ac superbiam, quam fovent, item ob summam omnes suas cupiditates explendi commoditatem, quam divitiae praebent, saepius virtuti maxima creant pericula; id quod experientia quotidiana monstrat, et Christi effata gravissima *) comprobant. Haec autem impedimenta et pericula removere poterit *paupertas spiritus.* Porro 2) *paupertas spiritus* est ea perdurans animi dispositio, per quam omnium rerum externarum appetitus, quos nullum officium imperat, reprimuntur; quae quidem a) quatenus immoderatos illicitosque id ge-

nus appetitus froenat, omnibus hominibus *praecepta* est; b) quatenus autem majoris perfectionis, et Deo liberius serviendi causa appetitus etiam licitos comprimit aut privatum bonorum dominium abdicat, nulla quidem lege praecipitur: attamen ceu insigne perfectionis christianae subsidium a Christo *suadetur*, et ab ecclesia ceu tale semper agnita est. 3) Christus certe juveni sciscitanti, quid praeter observationem praeceptorum ad majorem perfectionem facto esset opus, respondit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes et da pauperibus; et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me* [179]). Post haec Petro dicenti: »*Ecce nos reliquimus omnia, et secu-*»*ti sumus te: quid ergo erit nobis praemii?* respon-»dit: Amen dico vobis ... *omnis, qui reliquerit do-*»*mum*... propter nomen meum, centuplum acci-»piet, *et vitam aeternam possidebit* [180]).« 4) Hoc *evangelicae paupertatis consilium* item a) *Christi exemplo*, qui nil proprium possedit, sed communem cum apostolis loculum habuit [181]), fuit comprobatum; et b) in ecclesia apostolica [182]) exercitum, in qua *nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia;* subinde c) ab ascetis observatum; et deinceps d) monachis clericisque in communi viventibus proprium; demum maxime e) ad vitam regularem fuerat adstrictum. Igitur 5) abdicatio bonorum et dominii privati *iis* maxime suadendum, qui sine privato dominio omnibus suis officiis defungi perfectius possunt, nec speciali, e. g. alendae familiae officio ad pos-

179) Matth. XIX. 21.
180) Ibid. V. 27.
181) Joan. XII. 6. XIII. 29.
182) Act. IV. 32.

sessiones acquirendas tenentur. Ceterum 6) *finis* ac *scopus*, ob quem ea abdicatio facienda est, sanctus sit oportet: proinde non ex fastu philosophico, aut ex commoditatis amore, sed maxime ad liberius Deo serviendum et ad semitam perfectionis expeditius calcandam paupertatis evangelicae propositum votumve tendere debet. Demum 7) eo inprimis christianis omnibus connitendum, ut quisque *praeceptam spiritus paupertatem* habeat, praecipue autem sanctam quandam animi indifferentiam comparare sibi nitatur, vi cujus opes avidius nec quaerat, nec teneat, illisque, si habet, bene uti; si caret, inopiam quoque patienter non solum ferre, sed ceu virtutis adjumentum usurpare (§. 393.) sciat, secundum apostoli exemplum, dicentis [183]: »*Ego didici, in* »*quibus sum* (quae suppetunt) *sufficiens* (conten»tus) *esse*. Scio et humiliari, scio et abundare... »et satiari et esurire et abundare et penuriam pa»ti. Omnia possum in eo, qui me confortat.«

*) Profecto Christus Dominus gravissime pronuntiat: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum 184). »Filioli, quam difficile »est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introi»re 185):« Et alibi 186): »Vae vobis divitibus, »qui habetis consolationem vestram.« Porro declarat, verbum Dei apud divites veluti semen inter spinas lapsum nil fructus esse prolaturum. »Quod »autem cecidit inter spinas: hi sunt, qui audierunt, »et a *sollicitudinibus et divitiis* et voluptatibus vitae »euntes suffocantur et non referunt fructum 187).«

183) Philipp. IV. 11. sq.
184) Matth. XIX. 23.
185) Marc. X. 24.
186) Luc. VI. 24.
187) Luc. VIII. 14.

§. 784.

3) *Consilium evangelicum obedientiae specialis;*

Superest, ut *obedientiae evangelicae* a) notio, b) divisio; c) indolesque; d) finis ejusdem; e) demum praxis et modus paucis explicetur. Porro quod ad primum attinet, 1) *obedientia* generatim intelligitur animi promtitudo perdurans ad actus nostros liberos ex illius, quem ad nos regendos praepositum novimus, consilio et voluntate determinandos ob certam fiduciam, nos eo pacto certius securiusque, quam si proprio, quo saepe decipimur seducimurque, arbitrio judicioque obsequamur, Dei voluntatem esse executuros. Distinguitur *obedientia* a) *externa*, qua actio externa voluntati superioris convenienter ponitur; et b) *interna*, qua voluntati superioris ob officii et divinae voluntatis reverentiam, volentes, animo etiam nos subjicimus. Porro exterior obedientia, nisi internae jungatur, virtus haud est, summumque ad legalitatem pertinet. Unde apostolus[188]: »Obedite dominis . . in *simplicitate cordis* »*vestri*, sicut Christo, non ad oculum servientes, »quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, »*facientes voluntatem Dei ex animo*, cum bona vo- »luntate servientes, sicut Domino et non homi- »nibus.« 2) Distinguenda autem est *obedientia* a) *omnibus christianis praecepta;* vi cujus tum ecclesiasticis, tum politicis praepositis et superioribus, e. g. parentibus, magistris, in omnibus justis praeceptis obsequi omnes christiani civesque obligantur; et b) per *consilium a Christo proposita;* vi cujus discipulos et quosdam alios ad speciale in arduo quovis prorsus officio excellentissimum *suae*

188) Ephes. VI. 5. sqq.

erga Patrem *obedientiae* exemplum sequendi, *seque* perfectius imitandi et omnibus suis consiliis ob majorem perfectionem obtemperandi propositum studiumque invitavit [189]: »Si vis perfectus es»se.. vende omnia: *et veni, sequere me.*« Eodem ferme modo Petrum et Andream et duos Zebedaei filios invitando vocavit [190]: quibus itidem speciale propterea praemium promisit [191]. 3) Hoc specialis obedientiae et voluntatem propriam prorsus abnegandi consilium a) non solum ab apostolis Christique discipulis observatum, sed a pluribus respectu episcoporum ac praepositorum, praesertim ab ascetis et virginibus primis ecclesiae seculis fuerat exercitum; b) subinde clericis, et cumprimis regularibus speciali superioris directioni sese submittentibus, proprium mansit, et uberrimos semper perfectionis christianae fructus protulit, eumque, ad quem a Christo traditum est, *scopum* in plurimis promovit. Nam 4) *finis* hujus consilii maxime est, ut ignorantiae et praejudiciis; item levitati hominum in cognoscendis, determinandis exequendisque agendi regulis certius caveatur; b) ut abnegato proprio judicio humilitatis et christianae abnegationis virtus exerceatur; et c) universe rectitudo ac perfectio actionum eo securius obtineatur promoveaturque. Ceterum 5) *ratio et praxis* id consilium exequendi jam antehac (§. 671.) indicata est. At vero 6) haec perfectior obedientia non solum in instituto regulari, sed a quovis christiano ad primorum Christi fidelium suis pastoribus per-

189) Matth. XIX. 21.
190) Matth. IV. 18. sq. IX. 9.
191) Matth. XIX. 28. cf. *Schwarzhueber* Religionshandbuch, IV. Th. §. 193.

fectiori modo sese subjicientium exemplum quodammodo exerceri potest, siquidem a) omnibus suis superioribus non tam obedientiam *necessitatis*, quam *perfectionis* (§. 671.) exhibeant; si b) eorum non praeceptis duntaxat, sed consiliis etiam et nutibus in rebus etiam arduis non cunctanter, sed promte, humiliter, alacriter obsequantur, item si c) similem obedientiam prudenti, pio doctoque confessario aut directori quoad omnia ejus praescripta consiliaque in omnibus ad salutem animae spectantibus humiliter fortiterque praestent, ac ultro totos se ejus ductui permittant.

*) Porro 1) religiosorum in perfecta bonorum communione partim ex propria industria laboreque, partim ex communi possessione se nutrientium, et, nuncupatis paupertatis evangelicae, castitatis et obedientiae votis, sub communi superiore viventium status ad haec evangelica consilia exercenda, et ad adipiscendam christianae virtutis perfectionem inprimis ut maxime omnium est aptus 192). Quocirca 2) etsi, ut ii, qui saepe maximi hominum temporumque vitio in eum statum irrepserunt, abusus publica auctoritate tollantur, nemo non aequus optet: quis tamen aequum putet, statum ipsum propterea despici, aut eo prorsus sublato praestantissimam christianae perfectionis certius obtinendae opportunitatem multis eripi posse? Id sane viri vel ex acatholicis 193) aequiores iniquum credidere. Cf. meas jur. eccl. instit. p. I. §. 317. Item *B. Stattler* ethicae comm. p. II. sect. II. §. 720. not. 3. sq. §. 728. not. 1. sqq. *Rupprecht* notae in jur. can. l. 3. tit. 31. pag. 258. 304. Recapitulation der sieben Capitel.

---

192) Cf. *Bened. Stattler* ethic. comm. p. II. sect. II. §. 719. sqq.

193) e. g. *Diogenes* Christianus D. *Gerstenberg* I. Th. V. Absch. §. 72. sqq. *Von Löen* die einzige wahre Religion. p. 289. *Schlettwein* die Gerechtigkeit in Absicht auf die Klöster. §. 17. sqq.

**) Ceterum notatu digna sunt S. Salesii, excellentissimi morum magistri, verba: »Perfectionis summa consistit in charitate; ad hanc vero ut pertingamus, *obedientia*, *castitas* et *paupertas* spiritualis »media longe efficacissima cognoscuntur. Et *obedientia* quidem *animam* nostram; *castitas* nostrum »corpus; et *paupertas* denique *bona* externa amori »et servitio Dei consecrat. Sane ista sunt crucis »spiritualis, cui cum Christo affixos nos esse oportet, tria veluti brachia, quae in quarto seu humilitate fundantur. Heic quidem haud sermo mihi »est de his virtutibus., quatenus per *vota solennia*, »quae ad regulares pertinent, aut per *simplicia* Deo »promittuntur. Nam etsi vota majoris semper ex»cellentiae et meriti gradum adjiciant, et hominem »in perfectionis statu reponant: attamen, quum in»ter perfectionis statum et ipsam perfectionem plu»rimum intersit, et plures episcopos religiosos»que, etsi in perfectionis statu sint positi, ad eam »non pertingere videamus, heic solum volo ur»geoque, ut eae virtutes, sive cum, sive sine vo»to, rite exerceantur. Itaque, quicunque Dei »amatores, has virtutes pro sua quique vocatione »perfecte colamus. Nam rite servatae, etiam extra »perfectionis statum positis, perfectionem nobis con»ciliabunt. Per hanc igitur dictarum virtutum ex»ercitationem una omnes, licet singuli haud mo»do eodem, ad christianae perfectionis metam con»tendere debent 194).« Ceterum ipsam methodum has virtutes exercendi in hujus s. viri institutione 195) relegere oppido salutare fuerit.

---

194) *S. Fr. Salesius* introd. ad vitam devot. p. III. c. 11.
195) Cit. l. cap. 11 — 17.

SECTIO III.

APHORISMI ASCETICI, MORALES PRUDENTIALESQUE.

CAPUT I.

DE HIS APHORISMIS GENERATIM.

§. 785.

1) *Notio earum*, *et* 2) *divisio.*

Appendicis in modum heic quosdam *aphorismos asceticos* subjungere juvat, cujus quidem consilii ratio ex eorum, de quo mox dicturi sumus, fine intelligi poterit. Ante omnia autem praemittenda est eorum a) *notio et* b) *divisio.* Porro 1) *aphorismi ascetici* heic intelliguntur propositiones, seu regulae quaedam breviores, quibus virtutis christianae plantandae, firmandae perficiendaeque modus ac ratio strictim exprimitur. Quarum quidem regularum varia, sed praecipua est 2) *divisio*; nempe a) prout vel unam maxime moralem perfectionem, vel vitae hujus felicitatem moralitati subordinatam propius respiciunt, aut *morales*, aut *prudentiales* dicuntur; item b) regulae isthae distingui a quibusdam solent, quatenus circa virtutis aut *impedimenta* removenda, aut *adjumenta adhibenda* versantur; rursus c) qua vel *plantandae*, vel *firmandae*, vel *perficiendae* virtuti

inprimis serviunt; d) demum tum morales, tum prudentiales aliae quidem ad *propriam*, aliae ad *alienam* virtutem felicitatemve promovendam proxime spectant.

§. 786.

3) *Finis et utilitas.*

Ceterum *hi aphorismi*, etsi in antehac dictis jam contineantur, aut erui inde nullo negotio queant, eo tamen *fine* heic repetuntur colligunturque, ut praecepta ascetica brevibus regulis comprehensa et veluti in pugnum contracta 1) uno quasi obtutu perlustrari queant distinctiusque intelligi; ut 2) firmius memoriae animoque imprimi; 3) expeditius moribus examinandis, formandis, emendandis, perficiendis applicari valeant, atque ita 4) virtutis exercitationem perfectionemque juvent.

§. 787.

4) *Ordo dicendorum.*

In recensendis autem hisce aphorismis eum servabimus ordinem, ut 1) regulas quasdam canonesque praemittamus *generales;* subinde 2) *regulas morales* ad propriam perfectionem pertinentes; postea 3) *morales prudentiales;* demum 4) aphorismos *aliorum virtuti perfectionique* promovendae aptos proponamus.

CAPUT II.
APHORISMI GENERALES SPECIALESQUE.

ARTICULUS I.
APHORISMI ASCETICI GENERALES.

§. 788.
1) *De nexu officiorum.*

I) Id certissimum persuasissimumque habeto, a) *arctissimum esse officiorum nexum* *); proinde b) nullum eorum nedum negligi posse; sed c) *omnia* curate perfecteque servari debere ab eo, qui cupit *virtutem* (utpote quae non nisi in efficaci omnia secundum rectum ordinem (§. 134 — 141.) officia exequendi proposito studioque continetur (§. 142. sqq.)) assequi. Igitur II) omnia officia ad idem principium motivumque (§. 133. 144.) referre conator; nec unquam moralitatem a religione, cogitationem officii a cogitatione Dei Christique sejungito, utramque perpetuo conjungito **). Item III) quum *virtus subjectiva* culturam omnium facultatum exposcat (§. 145.), et cultura unius culturam alterius requirat juvetque: cave, ne earum culturam a se separes, inprimis vero, ne unam fors cognoscendi facultatem excolas; sed vide, ut simul sensionis quoque, praesertim moralis; item appetendi facultatem impigre, constanter et recto ordine perficias ***). Rursus IV) quoniam bonum hominis primarium in morali perfectione, bonum vero completum

finisque ultimus simul in subordinata tum hujus tum maxime vitae futurae felicitate continetur (§. 10.): in id connitere, ut virtutem et moralem perfectionem ante omnia quidem consequaris, neque tamen felicitatem ei subordinatam negligas; proinde *regulis moralibus* primum semper locum tribuas, *prudentiales* tamen, quatenus cum moralitate consentiunt, itidem rite et *ex sancto motivo* observes.

*) Enimvero arctissimum *officiorum* esse *nexum* inde intelligimus, quod officia erga Deum, nos ipsos et alios a) in eodem fundentur supremo principio (§. 129. sqq.); omnia b) communi innitantur obligationis fundamento et agendi motivo (§. 144.); atque c) se mutuo sustentent; imo d) nec consistere quidem aut perdurare, nedum perfecte exerceri a se prorsus separata valeant. Etenim, qui officia erga se negligit, servare perficereque erga alios nequit; citra religionem autem nec propria, nec aliena perfectio felicitasve promoveri (§. 11.) recte aut constanter potest. Pessime itaque statuunt ipsique moralitati male consulunt, qui religionem a moralitate prorsus excludunt.

**) Profecto *cogitatio Dei* a) unum ad constantem legis rationalis observationem, ad superanda virtutis obstacula pro omni rerum articulo sufficiens motivum suppeditat (§. 11. n.); ea b) *ideale sanctitatis*, quod moraliter agendo imitemur, nobis proponit; c) legi rationis, quam *divinam* esse nos admonet, novam summamque vim ac efficaciam adjicit; d) dum Deum Christumque ceu exemplar et tanquam mentis actionisque testem, adjutorem, remuneratorem animo objicit, a peccato retrahit, ad omnia officia modo perfectissimo exequenda, ad virtutem et perfectionem potentissime nos stimulat et movet; e) gaudia vitae hujus nobilitat; f) adversa mitigat; g) hominem fors lapsum erigit; h) justum in bono firmat et perficit (§. 11.).

***) 1) Cultura facultatis cognoscendi, ni ad perficiendam facultatem appetendi tendat disponatve, vero caret pretio. 2) Quare eo omnis noster feratur conatus, ut non solum sapientiores, sed maxime, ut *meliores* reddamur. 3) Hoc qui negligit, a toto fine suo aberrat, et omnem rerum ordinem invertit. 4) Neque tamen illi bene sibi consulunt, qui neglecta facultatis cognoscendi cultura solam voluntatem emendare conantur. Nam utriusque cultura arctissime nectitur; et voluntas, quam ratio exculta haud dirigit, mille erroribus, praejudiciis, superstitioni, zelo imprudenti praecavendis corrigendisque haud sufficiet; imo nec sibi constabit, eoquod enthusiasmus nulli distinctae cognitioni nixus brevi évanescere, et fortioribus sensualitatis impressionibus facile cedere soleat, saepeque in devia abripiat. Quare harum facultatum cultura nec debet, imo nec potest prorsus a se separari 1).

§. 789.

2) *De ordine officiorum generatim.*

De hoc ordine sequentes notamus regulas: I) in officiorum et virtutum exercitatione executioneque *rectum ordinem* *) servare, et tantum in eorum quovis temporis, studii operaeque ponere satagito, quantum cujusvis prae altero gravitas, dignitas necessitasque exposcit (cf. §. 134 — 141.). II) Quum *religio* omni bene ordinato erga se et alios amori praecipuum et pro omni rerum articulo sufficiens motivum, incitamentum, item praecipuam dignitatem meritumque suo influxu tribuat (§. 143. sqq. et 788.): universe primo loco et majori prae ceteris studio *officia erga Deum*, officia religionis, exerceas necesse est 2),

1) Cf. *M. Sailer* Glückseligkeitsl. II. Th. §. 93—101.
2) Cf. *B. Stattler* ethic. christ. comm. p. III. sect. III. §. 1898.

et ut religio in cetera officia perpetuo influat, curare debebis **). III) Neque tamen religionis officiis ita vacabis, ut ceteris officiis recto ordine explendis quidpiam detrahatur (§. 138.): sed id semper agito, ut religio ad cetera officia certius, sanctius, perfectius exequenda te moveat ***). Ceterum IV) in qualibet officiorum specie illa inprimis et ante reliqua diligentius curatiusque exerceas urgeasque oportet officia, a quorum exercitatione perfectioneque certorum officiorum perfectio pendet. V) In quovis officio exequendo a) per quosdam veluti *gradus*, quos rei natura designat, procedito ****); imo b) in universo virtutis et perfectionis christianae studio per suos itidem gradus et veluti diversas semitas ascendere conator, nec per saltum, ut ajunt, ab infimis ad suprema ascendere temere tentes *****). VI) Id persuasum habeto, 1) non interesse tanti, quid quantumque, quam qua intentione, qua perfectione agas. Item 2) eum, qui in via virtutis non progredi nititur, necessario regredi (§. 148); eum, qui continuae abnegationi non studet, in malum trahi (§. 145. n. 4.). Quare 3) hoc viae ad virtutem compendium credito: ad rationis et evangelii ductum hilariter fortiterque ipsi tibi impera, sustine, abstine, pugnato, incommodis assuescito.

*) *Rectus officiorum ordo*, vi cujus eorum quodlibet pro obligationis gradu et modo, pro finium praestantia, pro personarum, quas ea officia respiciunt, dignitate, merito, indigentia, conjunctione (§. 134.) prae ceteris urgeri exercerique debet, alius est *necessarius* et *substantialis*, qui violari citra peccatum nequit; alius *accidentalis* et ad perfectionis majoris consilium pertinens. At hunc etiam caute servabit, qui virtutis amator est.

**) Inde fluunt certissima quaedam et summi momenti *consectaria*, nimirum 1) *sine religione* nemo erga se aliosque constanter perfecteque *justus* ac *bonus* erit (§. praec.); unde 2) qui officia religionis negligit, nec se, nec alios recte sancteque amat; et 3) *ethica*, quae theologiae seu religionis expers aut officiorum erga Deum negligens est, in parte omnium praecipua deficit; quae eam *positive* excludit, hominibus imponit, iisque insigniter perniciosa noscitur; 4) qui autem officia charitatis erga alios homines ad sola *humanitatis* et veluti comitatis decentiaeque studia revocat, nunquam ea recte prorsus, nedum perfecte explebit; quare 5) qui *virtutem rite colere* desiderat, nullis negotiis se unquam distineri aut impediri sinat, ut non saltem sancta intentione, crebra Dei Christique cogitatione, pia Dei praesentis recordatione, invocatione, fervido Deum Christumque imitandi, ei per omnia placendi studio (§. 775. sqq.) actionibus suis dignitatem, meritum et perfectionem conciliare studeat; quin per alios etiam religionis actus, e. g. cultus publici et privati frequentationem, orationem, meditationem, verbi Dei auditionem, piam lectionem (§. 772. sqq.), quantum summa necessitate non impeditur, ea negotia officiaque interpolet 3) ac perficiat.

***) Quocirca *colliges*, 1) eos bono spiritu haud duci, qui religiosis exercitiis plurimum, ac unice fere intenti confisive officia abnegationis sui ipsius et charitatis erga alios neglectius curant (695. n 3.); imo 2) homines immodicae orationis, sed exiguae mortificationis modicaeque erga alios charitatis, misericordiae, mansuetudinis, nec Deum ipsum satis et recte 4) amare; 3) zelum religiosum amarum, aut mansuetudinis misericordiaeque expertem a Dei amore haud proficisci (§. 246), imo eidem adversum esse; contra 4) ob officia necessitatis erga nos et alios *religionis officia haud absoluta* recte omitti non solum posse, sed et debere (§. 138.).

3) *Stattler* l. c. §. 1899.
4) Cf. Jacob. I. 26.

****) Inde et ex proposita mox (§. praec. III.) regula deduci potest *hic* tum pro virtute generatim, tum pro quovis officio speciatim *canon generalis:* Id in quovis officio agas, a) ut inprimis et principia et regulas officii cognoscere velis, et reapse cognoscas; deinde ut b) hanc notitiam ad speciales actus per judicium morale applicare studeas; demum c) ut ad id, quod regulis illis consentaneum judicas, exequendum sensionem excites, animum exstimules, obfirmes, totaque virtute connitaris (§. 145.).

*****) Quam ob rem peritiores etiam virtutis magistri certos ejusmodi gradus designarunt, nimirum 1) *viam incipientium*, quam *purgativam* itidem dicere amant, in qua praejudicia, errores, vitia item et malae affectiones prius essent expurgandae, ut saniora principia et meliora plantari possint proposita studiaque; 2) *viam proficientium*, quam *illuminativam* vocant, dum nempe revolutione mentis animique perfecta et radicali emendatione (§. 218.) facta, jactisque virtutis fundamentis, demum per continuum in melius proficiendi propositum malae affectiones rationi prorsus subjiciuntur, mores usque exactius castigantur, virtutis studium fortius urgetur, et mens magis magisque illustratur animusque in bono roboratur; 3) *viam perfectorum*, seu *viam unitivam* appellant, in qua virtus jam roborata ad majorem usque puritatis, intensionis, extensionis et heroicae constantiae gradum (§. 147.) provehitur, animusque intime Deo unitur. Porro etsi haud mechanice hi gradus aut designari queant, aut calcari: certum tamen est, quod, qui ad virtutem solidam perfectamque pertingere velit, naturales quasi progressiones servare, et prius a vitiis, a malis passionibus animum purgare, et deinceps virtutem et sanctas affectiones plantare, prius in via virtutis progredi, quam, ut ita dicam, volare; prius facilia quotidianaque recte facere, quam ardua prorsus aggredi; prius studere debeat, bonus, quam sanctus esse.

§. 790.

3) *De ordine officiorum erga Deum:*

Ex illa, quam mox (§. praec.) recitavimus, regula quarta sequuntur hi de *officiorum erga Deum ordine* canones:

I) Ante omnia curato, ut veram, distinctam, vivam practicamque, efficacem et quoad omnem ambitum (§. 233—235.) *completam Dei cognitionem* fidemque salutarem (§. 236—240.) consecteris; impedimenta peccataque eis opposita caute devites, subsidia autem diligenter adhibeas. Deinceps II) in id omnibus viribus connitere, ut per hanc cognitionem ad summam Dei aestimationem, venerationem, zelum religiosum, ac praecipue ad filialem fervidamque Dei charitatem, quae omnibus tuis affectibus actionibusque dominetur, te perpetuo exstimules (§. 244—258.). Devotionem, item gratitudinem, acquiescentiam ac fiduciam erga Deum (259. 276.) et Christum Dominum (§. 276—280.) praecipuo studio colas, foveas exerceasque. Porro III) quae ad *religionis externae* cultusque divini tum publici tum privati exercitium pertinent, 1) ita semper peragito, ut a) *finem* ejusdem, nempe internae religionis in te et aliis promovendae incrementum, perpetuo respicias; b) ad eum finem omnem externam religionem aptes ac dirigas; proinde c) omne id ab ea excludas, quidquid huic fini obesse; id autem d) sollicite adhibeas, quod ei promovendo obtinendoque servire poterit (cf. §. 281—298. et 727. sq.); inprimis 2) *cultui divino publico*, qui secundum instituta Christi et ecclesiae celebratur, et verbi Dei praedicationi praecipuo quodam, exterius etiam conspicuo, fervore interesse satagito, nec eidem etiam

sub obtentu majoris privatae devotionis, nedum aliis frivolis ex causis (§. 772.) te subtrahito [5]; demum 3) *sacramenta* a Christo Domino instituta eo, quo rei sanctissimae indoles scopusque ac praeceptum Christi et ecclesiae sibi exposcunt, modo (743. sqq.) ac decenter pieque recipere, inprimis autem eucharistiae ac poenitentiae sacramentum (§. 749. sqq. 752. sqq.) frequentare studeto. IV) Denique *mediatae religionis officia* (§. 299. sq.) sancte exequi, fines Dei summe revereri, de mundo physico et morali relate ad Deum recte judicare, entia reliqua, inprimis homines, *propter Deum* rite aestimare, et horum dignitatem ex *reverentia amoreque erga Deum* tum in te, tum in aliis servare ac promovere; atque ita *Deum in creaturis* venerari glorificareque et amare nunquam non conator, ita, ut omnis tua affectio actioque non solum naturaliter bona, sed moraliter recta, atque etiam *religiosa* existat.

§. 791.

4) *De ordine officiorum erga se ipsum et alios.*

De *ordine officiorum erga se ipsum et alios* hi notandi canones:

I) Ut recto ordine officia erga te et alios colas, *a te ipso exordire*, te ipsum, inprimis imperfectionem tuam pernoscere stude, prius te reformare incipe in quovis genere culturae, quam ad alios in eodem genere excolendos animum operamque convertas *).

II) In te ipso et in aliis emendandis, perficiendis, semper *intus* incipe; ab intelligendi facultate ad sensionis et appetendi facultatem, tum

5) Cf. *B. Stattler* l. c. §. 1903 — 1909.

ad statum et actus exteriores designato ordine (§. 789. n. III. V.) progredere **).

III) Curae et culturae *animae*, morali inprimis, *curam et culturam corporis*, et huic *curam status externi*, famae nimirum et fortunarum, rite tum negative tum positive, ut ajunt, in te aliisque servandis perficiendisque subordinato (§. 136.); nullam tamen ex iis negligito. Ceterum

IV) Regulas pro officiorum collisione ordineque officiorum praescriptas in vario officiorum concursu (§. 139 — 141.) curate servato ***).

V) Ante omnia vero a *radicali* emendatione (§. 218. n.) inchoato, et eas inprimis, quas de vitanda peccati occasione, item de vincendis tentationibus, consuetudine emendanda (§. 210 — 216.), atque de formatione characteris boni, et mali reformatione (§. 217 — 226,), de cultura facultatum animae (§. 322 — 335) attulimus, regulas diligenter fortiterque exequere, et subsidiis virtutis augendae constanter adhibitis magis usque in virtute progredi, omnes facultates animae, item statum corporis etiam externum ad expeditiorem virtutis exercitationem adaptare conator. De qua re jam quaedam speciatim monebimus.

*) Igitur 1) in te nil mali, nil imperfecti, cui tollendo par sis, patere. 2) In te ipso experimentum cape, ut mali emendandi, et boni promovendi a) indolem; b) difficultatem; c) optimam methodum exploratam habeas. 3) Error contra hanc regulam omne reformationis genus poene inutile reddit, dum reformatori mox recantatur illud: *Medice, cura te ipsum;* aut illud: *Facilius est praecipere, quam agere:* pater, doctor, magister, *i prae.* Et vero 4) qui sibi nequam, cui bonus? Quis contra eos non excipit, qui alligant in humeros hominum

onera, quae digito suo nolunt movere 6)? 5) Inde mali origo, aut ejus pertinacia, quod leges, consilia, monita qui dent, sint plurimi, factores legis, qui exemplo doceant, paucissimi.

**) Profecto absque cultura interna exterior erit prorsus mechanica et inconstans. Id quidem et in propria et in aliena cultura morali patet. In cultura autem status externi aliorum tum solum exceptio habet locum, si illi, quos excolendos suscipimus, mente non valent 7). Igitur veluti a mente alienos tractat alios is, qui meliora non docet, sed vi externa duntaxat extorquet.

***) Ne antehac dicta repetere sit necesse, tum citatos paragraphos, tum ea, quae in ethica communi de officiis erga se et alios diximus, recolere poterit, qui volet aut necessarium putarit.

ARTICULUS II.

APHORISMI MORALES AD PROPRIAM PERFECTIONEM PERTINENTES.

---

§. 792.

1) *De cultura facultatis cognoscendi.*

I) *Facultatem cognoscendi* generatim, et quoad omnes ejus partes remotis impedimentis adhibitisque subsidiis rite eo, quo diximus (§. 324 — 332. 764.) modo, atque facultatem sensitivam quidem et inferiorem non nisi salva superioris cultura perficito; illius autem cultum omnemque theoreticam cognitionem ad practicam moralemque culturam dirigito. Inprimis igitur

---

6) Cf. Matth. XXIII. 4.
7) Cf. *B. Stattler* l. c. §. 1911.

II) *Rationem practicam* excolito, proinde a) veritatum principiorumque moralitatis et christianae virtutis *fundamentalium* (§. 145. et 333.) *regularumque moralium* veram, distinctam vivamque cognitionem; item b) rectam *de virtute* christiana, conditionibus ejus et motivis (§. 143. sqq.) ideam tibi comparare studeto, eamque notitiam ab omni praejudicio et errore puram servare, magis usque illustrare, familiaremque tibi reddere satagito. Ut autem eam cognitionem ad singularia officia impendere valeas,

III) Videbis, ut *intellectum practicum* colas et perficias; atque adeo a) jam a primis juventutis annis *Dei, tui ipsius*, atque tum *hominis* generatim, tum *hominum* eorum, quibuscum arctior tibi nexus intercedit (§. 233. sqq. 304. sqq. 487.); item *mundi physici et moralis*, verique rerum et personarum pretii, quantum ad officiorum cognitionem executionemque pertinet, distinctam, practicam pragmaticamque notitiam adhibitis subsidiis conquirere; eamque b) magis usque perficere, et ad virtutis exercitationem applicare, cumprimis ad culturam judicii practici usurpare coneris. Quare

IV) In eo praecipuam et continuam impendito operam, ut *judicium practicum* colas et perficias; quem in finem a) veritates moralitatis fundamentales regulasque agendi generales cum objectis personalibus realibusque actionis rite confer; b) easque ad actus vel possibiles, vel actu obvenientes, vel probabiliter futuros applica; c) secundum eas regulas (§. 333.) tuos aliorumque actus, summa tamen cum cautione et charitate, saepius examinato; d) nil nisi cogitato consultoque suscipito; et e) semper veram rectam-

que conscientiam habere, eamque sollicite sequi (§. 113.) adnitere.

V) Si virtutem vere cupis consequi, a) *sensitivas repraesentationes affectionesque* omnes suspectas habere, eas ad rationis et evangelii ductum examinare, et ex rationalibus maxime judicium ferre studeto; b) officiorum motiva saepius profundiusque perscrutator alteque animo infigito, ut oblata occasione fortiter ad perfecte agendum te impellant; inprimis c) religiosa et christiana motiva incitamentaque animo semper praesto habere curato. Porro

VI) Ad rationis, intellectus, et judicii practici culturam inprimis necesse est, a) ut, quae eam impedire *corrumpereve* possunt solentque, sollicite removeas praecaveasque *); b) subsidia vero, quae eam promovent, diligenter constanterque usurpes et adhibeas **).

*) Talia sunt 1) supra recensiti (§. 695. sq.) defectus, errores, praejudicia; item 2) impedimenta exteriora (§ 698. sqq. sqq.), quae hoc loco recensere haud est opus.

**) Huc referenda inprimis a) veritatum salutarium meditatio; b) verbi Dei auditio, et pia lectio; c) oratio; d) cum probis consultatio conversatioque; e) novissimorum recordatio; f) consciensiositatis studium; g) status moralis examen etc. (§. 771 — 780.).

§. 793.

2) *De cultura facultatis sensionum et appetendi;*

I) Ut cultura facultatis cognoscendi principem suum scopum, moralitatis incrementum, consequatur, 1) *sensionum facultatem* eo, quo diximus (§. 334.), modo excolito; cumprimis 2) sensionem moralem et religiosam *) fovere per-

ficereque adlaborato; atque 3) moralem religiosumque quemdam veluti *enthusiasmum* (§. 767.) inducere ac conservare satagito. Proinde

II) *Vividum adversus peccatum vitiaque horrorem, et summam erga virtutem aestimationem fervidumque amorem* a) tum per internae indignitatis malitiaeque et pessimorum effectuum, qui cum immoralitate nectuntur; tum b) per internae dignitatis, praestantiae atque dulcissimorum, qui virtuti adhaerent, fructuum contemplationem, ac sensibilem etiam ex tua et alia experientia sumtam repraesentationem magis usque augere, et sollicitius ad mores castigandos perficiendosque applicare studeto (§. 767.) Quod ut consequaris,

III) Ea agito, quae ad moderandam inferiorem, et ad excolendam superiorem appetendi facultatem necessaria esse (§. 56. 365.) diximus; atque inprimis 1) animi propensiones aversionesque sub potestatem rationis redigere; 2) sensuum et imaginationis licentiam compescere ipsasque affectiones ad virtutem fovendam traducere studeto; proinde 3) omnes sub potestate teneto, *virtuti amicas foveto, inimicas periculosasque* reprimito, aut certe innoxias reddere (§. 768.) conator. Quare

IV) Prospice et fortiter constanterque contendito, ut affectiones inordinatas, primitivas maxime (§. 55. n.) compescas domesque, nempe 1) ut a) inordinatum amorem *sensualis voluptatis*, seu philautiam; b) *propriae excellentiae* cupiditatem, seu superbiam; c) *opum* sitim, seu avaritiam frangas et supprimas: atque etiam 2) *immodicum horrorem* taediumque a) *molestiae sensualis*; b) *propriae imperfectionis physicae*; et c) *inopiae* subigas et extirpes. Quem in finem

V) Has fere teneto *christianae abnegationis exercendae regulas:* 1) pro ratione objecti varia jam fuge, jam cominus pugna, jam abstine, jam moderare, jam declina, jam sustine; 2) per crebros in minimis etiam et in licitis abnegationis actus ad heroicam in arduis quoque te vincendi constantiam animum reprobato; 3) principiis obsta; et inprimis 4) malas affectiones primitivas et vitium *dominans*, veluti ceterorum fontes, ante omnia aggredere, nec desiste, antequam expugnaveris, ita facilius cetera superabis; 5) id enim certum habeto, praestare multum, unum defectum primarium perfecte corrigere, quam contra omnes simul *vago certamine* pugnare; 6) nunquam a studio te abnegandi remittito; sed constanter id fortiterque urgeto, et omnes, quae nunquam deesse possunt, sensualitatis subjugandae occasiones fortiter arripito et constanter usurpato: neque tamen sufficiens putes malas extirpare, ni oppositas iisdem bonas affectiones et virtutes implantes. Quare

VI) Omni conatu id agito ac curato, ut 1) illi (n. IV.) amore inordinato a) *abstinentiam et temperantiam,* b) *modestiam* animi gloriaeque contemtum; c) *animum paucis contentum* substituas atque opponas; 3) horrori autem illi immodico a) *heroicam patientiam* et *fortitudinem* in incommodis quibusque tolerandis suscipiendisque; b) sinceram animi *humilitatem,* c) *perfectam spiritus paupertatem,* et *hilarem inopiae tolerantiam* objicias subjiciasque (§. 145. n. 4. 768.); hasque virtutes 3) indies magis roborare ac perficere nunquam desistas. Demum

VII) Omnia, quae duplici huic culturae obstant, 1) impedimenta interna (§. 697.) et exter-

na (§. 699. sqq.) removere aut enervare; contra 2) *subsidia omnia* (§. 741. sqq.) diligenter, constanter, et rerum personarumque adjunctis convenienter adhibere impigre contendito.

*) *Sensionis religiosae* nomine intelligitur ea mentis animique comparatio, quae inprimis ex sancto quodam coram divina majestate tremore, ex summa animi submissione reverentiaque, ex intimo propriae impotentiae, indignitatis et dependentiae a Deo sensu, et filiali timore Deoque displicendi metu, simulque ex fiduciali erga Deum amore, eique per omnia placendi desiderio propositoque componitur.

§. 794.

3) *De recta corporis et status exterioris cura:*

I) Quum ullum officium negligere sit nefas, vide, 1) ut vitae corporeaeque salutis et perfectionis, famae item et fortunarum curam recto ordine habeas; 2) eam tamen omnem virtuti et moralitati tum negative tum positive ita subordines, ut ea non modo virtuti nil officiat, sed ad hanc potius tendat, eamque promoveat (§. 791. III.). Quare

II) Eatenus solum vitam sanitatemque, ac corporis perfectionem servato ac promoveto, famam item et opes comparato servatoque, quatenus id salva virtute et perfectione morali licet; idque ea intentione solum agito, ut ad liberiorem virtutis exercitationem expeditior fias. Quodsi vero vita ipsa, nedum famae fortunaeve bona servari salva virtute nequeant, ea heroice offerre ac despicere nil dubitato, imo hilariter id facere studeto. Ceterum

III) *Statum externum* muneris, officii, opificii, conditionis, societatis, item convictum, amicitias, varias cum aliis conjunctiones, et re-

liqua, quatenus in potestate sunt, ita determinato, ut *rationalis et moralis activitatis sphaeram* viribus tuis congruentem adhibitis justis mediis tibi compares.

IV) *Praesente conditione* et vocatione tua, quin imprudenter aliam suspires *), aut quid in ea agere velles, inaniter perpendas statuasve, ad te magis usque perficiendum, et ad aliorum moralitatem felicitatemque eo, qui possibilis est, gradu promovendam utere. Vocatione tua digne et perfecte ambula, nec tam, quantum agas aut ad effectum reapse perducas, quam qualis quoad perdurantem moralem *characterem* sis, et qua intentione, qua virium intensione, qua perfectione, qua constantia id, quod vocationi tuae congruens est, agas, attendito. Inprimis per gradus procedito.

V) Atque 1) proin a) initium vitae melioris et perfectioris *cito* facito; b) sanctum perfectae vitae propositum *fortiter* urgeto; et c) *constanter* prosequere: quem in finem 2) quasvis a) *malas* periculosasque propensiones *animose* oppugnato; b) *naturalibus* moderare, iisque ad bonum morale fervidius paragendum, et ad malum generosius adversandum utere; c) sanctis et rationalibus affectionibus *fideliter alacriterque* obsequere, et secundum Christi exemplar ac praescriptum semper, ubique et in omnibus id, *quod*, ideo, *quia*, et eo *modo*, *quo* Deum velle sincere et prudenter credis (§. 144. n. 2.), agere conator: 3) ut autem in bono persistas, a) sine intermissione vigila, ad minima attende, et in his etiam fidelis esto; b) sanctumque propositum saepius renovato; (§. 778. sq.) ac semper c) in perfectius tendito (§. 148.); paucis: d) heroice laborato, he-

roice patere; demum e) semper gaudere et sanctam quamdam animi alacritatem spiritualemque animi laetitiam servare studeto, et pia fiducia fretus, quod labor tuus non erit inanis in Domino, bonum faciens non deficito [8]).

VI) Ut virtutis exercitationem faciliorem, magis jucundam, et gratorum effectuum feraciorem reddas, vera tibi gaudia parias et adversa miliges aut evites, *morali prudentiae* studeto **). Cujus jam quasdam regulas subnectimus.

*) Praestat 1) praesentem *activitatis sphaeram* rite perfecte explere, quam eam ultra vires extendere. 2) Si arctiorem, si praesentem non perfecte explesti, ut quid ampliorem concupiscis? ut quid antiquam mutas? Saepius haec ampliora tenendi cupido inconstantiae, ambitioni, vanae gloriae, habendi cupiditati magis, quam prudenti fervori debetur. Attamen 3) vide, ne ex abjectiori diffidentia, aut ex vili commoditatis otiique amore eam sphaeram nimium coarctes, aut oblatas plura majoraque agendi opportunitates negligas.

**) Equidem ascesis christiana primo et proxime regulas ad virtutis exercitationem pertinentes exponit: quum tamen 1) virtus a) felicitatis studium haud excludat, sed solum moderetur et moralitati subjiciat; imo b) quum moderatum ejus studium rationi consentaneum virtutis exercitationem juvet, commendet, jucundioremque reddat: patet, regulas prudentiales, moralitati subordinatas, ab ascesi haud prorsus excludi. 2) At vero quoniam nimis longum et a proposito alienum foret, speciales omnes velle recensere, aliquas praecipuas notasse sufficiat.

8) I. Cor. XV. 58. Gal. VI. 3.

ARTICULUS III.

§. 795.

Regulae prudentiales generales.

I) Id curato sollicite, 1) ut a prudentia pseudopolitica, a prudentia mundi et carnis summe caveas (§. 145. n. 2.); proinde 2) agendi regulas prudentiales nunquam, nisi virtuti negative saltem subordinatas, sequaris; quin conator, 3) ut secundum prudentiae stricte moralis et christianae regulas semper agas *).

II) Quoniam prudentia in sagaci promtaque semper optima et pro adjunctis singulis aptissima remedia applicandi dexteritate continetur, videto, ut ad omnia ea, quae actionem circumstant: tempus, locum, personas, animum advertas, et eorum notitiam distinctam tum meditationis, tum observationis, tum experientiae ac consultationis ope, et aliis, quae ad hominum cogitationem utilia laudavimus (§. 489.), subsidiis adhibitis tibi compares. Ceterum

III) Quum vitae hujus felicitas partim in honestis gaudiis, partim in immunitate a malis, partim in servata ipsas inter adversitates, quae declinari omnes nequeunt, animi aequitate inprimis posita sit, 1) alias quidem regulas a) *ad paranda vera gaudia;* alias b) *ad mala et adversa praecavenda amoliendaque;* alias c) ad ipsa *adversa aequo animo ferenda* praemeditatas familiaresque habere et rite servare satagito.

*) 1) *Prudentiae* nomine hic intelligitur habitus ac dexteritas subsidia seu media rite excogitata ad finem optime consequendum circumstantiis singularibus aptandi et exequendi; 2) quae quidem a) si quoad finem, quem intendit, ac quoad media, quae adhibet, moralitati negative solum sit subordinata, *prudentia licita*, politica, philosophicaque et moralis latius dicta audit; sin: b) *prudentia mundi, carnis* (§. 145. n. 2.), pseudopolitica, astutia item et calliditas dicitur; c) quodsi vero primario virtutem intendat, omnia felicitatis subsidia virtuti subordinet, ipsamque felicitatem ceu medium subsidiumque virtutis quaerat, *prudentia* stricte *moralis;* quae, si motivo ex religione christiana sumto animetur et secundum legem evangelii exerceatur, *prudentia christiana* appellatur; 3) atque hinc varii generis esse regulas prudentiales intelligimus.

§. 796.

1) *Regulae ad paranda vera gaudia;*

I) Ut *veri gaudii* te capacem dignumque reddas, vere et prorsus *bonus* esse ac usque et usque *melior* fieri contendito; inprimis curato, ut a) stimulus moralitatis ceteris dominetur; ut b) gaudia sensioni morali maxime congruentia quaeras; c) crassiorum sensuum jucunditatibus minime sis affectus, iisque parcissime et solum ex rationis consilio utaris; d) ut gaudia ad morales fines transferas; e) corporea praesertim moralibus reflexionibus interpelles sanctisque motivis nobilites. Quapropter

II) *Summa gaudia in Deo, in virtute quaerito;* reliqua omnia ad Deum et virtutem referto; quapropter praecipua gaudia a) in perfecta omnium tum communium tum particularium officiorum executione; b) in continuo omnium inordinatarum propensionum affectionumque abnegationis

studio, in spiritus libertate; c) in jucunda recti conscientia et perpetua aliis benefaciendi assiduitate; d) in omnimoda tuae ad divinam voluntatem conformatione; e) in plena animi in quibusvis eventibus acquiescentia; demum f) in hilari ac certa futurae retributionis spe reponito *). Ceterum

III) Iis adsuescito contentusque esto gaudiis, quae a) in potestate tua physica ac morali sunt, nec alia, licita etiam, vehementius concupiscito; b) paucis facileque parabilibus et obviis acquiescito; et c) iis etiam, quibus alii aegre carent, carere; iis, quae natura Deusque offert, animum exhilarare discito; d) nulli certae jucunditatis speciei animum affigito; et e) plures, qui gaudendi materiem praebeant, fontes occasionesque nosse et in promtu habere, et, ubi unus deficit, ex aliis honestissima gaudia haurire parareque satagito; f) semper autem praecipuum gaudii fontem et finem in Deo et religione constituere, et ad virtutem promovendam transferre studeto.

IV) Veri gaudii *impedimentis* praecaveto eaque removeto; *adjumenta* autem prudenter adhibeto **). Demum

V) Omnes eas regulas et cautiones, quas alibi de recto gaudiorum delectu usuque tum generatim (§. 375—379.), tum de certis gaudiis (§. 380—387.) speciatim sugessimus, curate, prudenter constanterque servato.

*) 1) Haec *vera gaudia* quaerendi ratio a) ab initio aspera arduaque; b) in progressu facilior; c) in fine beatissima; una tamen d) verorum gaudiorum semita; 2) haec via a) omni hominum generi aperta et patens; b) a paucis trita; c) a plerisque contemta, aut male traducta; d) per nullius tamen, qui

continuo generoseque eam triverat, poenitudinem unquam infamata; imo e) in fine vitae omnibus exoptata; at vero 3) *vana stultaque gaudia* a) initio vehementer alliciunt; b) ardenter concupiscuntur; c) avide a plerisque arripiuntur, abliguriunturque; immoderatius capta d) mentem turbant; e) neque tamen satiant animum, nec tranquillum efficiunt; sed misere devinciunt maculantque, imo veri gaudii incapacem reddunt (§. 9.).

**) Nimirum id genus 1) *impedimenta* sunt a) inordinatae affectiones sensuales, philautia inprimis; b) vitia quaevis; c) indoles animi tetrica, timida, morosa; d) assuetudo et nimia animi ad certas res, personas, loca, indigentias adhaesio; contra 2) *adjumenta* sunt e. g. a) moderatio et abnegatio affectuum; b) libertas spiritus et quaedam a quibusvis rebus creatis veluti independentia animique indifferentia; c) tenerae conscientiae cura; d) animus in quovis eventu hilaris, erectus, sibi constans; e) dexteritas et prudentia ad mala caute praecavenda, minuenda et aequo animo ferenda.

§. 797.

2) *Regulae ad plura mala praecavenda:*

Ex his fluunt regulae quaedam *ad mala plura declinanda* aptae; nimirum

I) *Malorum plerorumque fontes* obturato: a) tolle vitia citoque emenda; b) affectiones inordinatas, inprimis ceteris dominantes, perfecte fortiterque comprime; c) nil vehementius seu cupe, seu time; d) nulli rei tenacius adhaereto, nec ardentius molestias removere adnitere; e) commoditatibus desuescito.

II) *Sensus animumque indura, et assuesce incommodis:* a) pleraque, quae delicatioribus molestias creant, ne in harum quidem numero censeto; b) nulli non homini suas devorandas esse molestias memor, ne ab iis quidem prorsus liber esse cu-

pito; potius c) animum ad varia incommoda, inprimis ad verosimiliter futura, paratum praemunitumque habeto; d) imo heroicae patientiae et fortitudinis exercendae occasiones exopta, aut certe non vehementius abhorreto; interim, e) quae suadet ratio et prudentia, remedia praeservantia adhibeto; eventum tamen Deo provido permittito, et maxime tibi profutura a bono Deo disponenda fore confidito; f) ex alieno consilio erroreve sapere et cavere tibi discito; g) nil inconsiderate agito; demum h) quidpiam remedii periculosi, nedum illiciti, malo cuicunque opponere prorsus abominator.

III) *Officiis tuis perfecte exactissimeque* fungi et *existimationem bonam* servare satagito: quare a) nec pluribus, nec gravioribus, quam queis perfecte exequendis par sis, officiis negotiisve te consecrato; b) conditionis tuae officiis totum te, et ita impendito, ut in iis excellas; c) necessaria utilibus, haec jucundis semper praeferto; nil officii in longum differto, recto ordine omnia agere, et in minimis etiam exactus esse studeto; d) mali vel speciem fugito; e) nec blanditiis, nec minis, nec ullis modis ab officio, imo a perfectione virtutis abstrahi, nedum ad agendum malum, aut ad consentiendum malo judici unquam te sinito; f) propositum constanter, recte, honeste, religiose agendi obfirmatum non solum animo infixum habeto, sed *palam* ita profitere, ut nemo te ad malum sollicitare ausit, nemo de te mali quidpiam possit suspicari; quisque vero optime de te sentiendi causam habeat, inprimis g) bonam mentem promtumque omnibus obsequendi animum non solum foveto, sed vultu etiam, verbis, atque factis maxime declarato: ni-

hilominus falsa politia aut fallacia inanibus promissis alios lactare, aut unquam, quod praestare nolis vel nequeas, promittere caveto; ceterum h) quae te in contemtum jure possint adducere aut fidem suspectam reddere, cautus declinato.

IV) *Circumspecte cauteque et prudenter erga omnes agito:* 1) quare a) nulli temere nimiumque credito aut confidito; nec b) ignotis aut nondum probatis mentis judicia, consilia, aut arcana tua prodito; nedum c) amicitiam cum iisdem jungito; d) nimiam familiaritatem fugito; e) sic erga singulos agito, ut siquis esset inimicus, aut deinceps fieret, tuae cum eo agendi rationis nunquam te poenitere debeat; inprimis f) adulatores assentatoresque et susurrones maxime suspectos habeto et sollicite fugito. Ceterum generatim 2) caveto, ne a) gloriolam, laudes, titulos, proëdriam vane affectes; ne b) te jactando, aut quomodocunque verbis, gestu vel factis fastum, aut aliorum contemtum prodere videaris; ne c) potentiores, sapientiores, superiores praepostera aemulatione excellere ambias; ne d) contradicendi pruritu, judicii pertinacia, loquacitate vel obstinato silentio aut quavis singularitate affectationeve alios tibi infestos reddas; nec e) cuicunque molestiam crees.

V) *Singulis omne non solum, quod debes, sed et decet, aut expedit, officii obsequiique, officiositatis ac humanitatis genus largiter, promte, hilariter praestato.* Igitur 1) *superioribus* aut in dignitate constitutis omnem, quam potes, reverentiam, servili tamen tui abjectione et omni adulationis specie abjecta, semper et ubique coram exhibeto, et, si absint etiam, coram aliis monstrato. 2)

Erga pares nimia familiaritate caute declinata sincerum, modestum, mansuetum, flexibilem, pacis ac officiositatis studiosum, amantem et amabilem non verbis et gestu solum, sed factis maxime ostendito, ut a tua consuetudine nemo abhorreat, omnes eam ambiant. 3) *Erga inferiores* affabilis, benignus, comis et officiosus esto, talemque te exhibeto, ut omnes se a te vere aestimari amarique sentiant. 4) *Erga inimicos et amicos* eo, quo alias (§. 529. sqq. 538.) monuimus, modo te gerito: inprimis vide, ne a) quemquam, etsi tenuissimae sit sortis, tibi inimicum infestumve unquam reddas; potius b) juri tuo cedere, et aliis prudenter indulgere studeto; animo a te alienatos comitate, mansuetudine, beneficiis tibi conciliare satagito; c) inimici absentis virtutes lubens laudato, naevos excusato, ejusque injurias aequo animo ferre, insidias technasque prudenter declinare et innoxias reddere conator.

VI) *Prudentiam sinceritatemque in sermone circumspecte observato.* Igitur a) sermonem personis, loco, tempori prudens accommodato; b) atque nimiam timiditatem, magis multo autem procacitatem, impudentiam, garrulitatem, alios imprudenti interlocutione turbandi licentiam, acerbas crises, querelas, inprimis maledicentiam a collectionibus proscribito; c) de te ipso, nisi necessitate adactus, ne loquaris, nedum magnificentius de praedicato; d) absentibus honorifice et circumspecte, nec unquam male eloquere; e) secretum fideliter tene; et f) vera etiam, quando ea proferre nil prodest, imo nocere potest, reticere, occultare, aut dissimulare memento; cetera g) sincere candideque mentem aperito, nec quidpiam simulate ficteque proferto.

VII) In *omni consuetudine decentiam decorique regulas servato.* Itaque a) ad naturalis conventionalisque decori regulas, et ad decentiam statui tuo consentaneam gestum, incessum, motus, vultum cultumque accommodato; b) nec quidquam in his affectatum, effaeminatum, neque etiam incultum, rusticum, sordidum patere; c) in hac re ad prudentiorum tuae conditionis morem, ad judicium virorum gravium, non ad levium comtulorumque praejudicia aut morem attendito; d) auream ubique hac in re sectare mediocritatem, nec unquam gravitatem conditioni tuae consentientem negligito.

§. 798.

3) *Regulae ad adversa aequo animo toleranda.*

I) Id age studeque, a) ut paucis necessariisque contentus 9) esse discas; inprimis b) ut hilari semper erectoque animo sis [10]); atque c) omnibus rerum adjunctis lubens cedas teque accommodes [11]); maxime d) ut animum ad adversa praepares [12]) cordeque humilis sis. Quare

II) Saepius a) malorum vitae hujus et bonorum brevitatem, et aeternos patientiae fructus perpendito; b) utilitatem, imo necessitatem adversitatum; et c) Dei providi has permittentis consilia (§. 390) ruminator.

III) In ipsa adversitate a) ne, quae non sunt, aut majora diuturnioraque, quam reapse sunt, mala tibi fingas; b) a *praesenti* etiam malo, quantum licet, animum avertito; c) *praeterita*, nisi

9) I. Timoth. VI. 6. 8. Philipp. IV. 11.
10) Eccl. XXX. 21 — 27. Luc. XII. 15.
11) Eccl. IX. 7. 9. I. Thess. V. 16.
12) Eccl. XI. 27. III. 20.

ut de iis exantlatis gaudeas, in mentem non revocato; d) *futura*, nisi ut animum praemunias, haud cogitato, aut certe animum propterea non cruciato; potius e) *in futurum* meliora sperato. Ceterum

IV) Infelicioribus te compara; heroice patientium, inprimis Christi, exempla ob oculos tibi ponito; saepe, breviter fervideque Deum ora; ab eo opem tempore opportuno venturam exspecta; interimque divinae providentiae totum te committito (cf. §. 388—393.).

ARTICULUS IV.

APHORISMI AD ALIORUM MORALITATEM INPRIMIS PROMOVENDAM PERTINENTES.

---

§. 799.

1) ***Requisita et conditiones ad aliorum moralem perfectionem provehendam:***

I) Omnium maxime necessariam *ad alios perficiendos conditionem* putato, a) ut non tantum inculpatus, sed intus forisque vere bonus religiosusque sis; b) ut ex sancto motivo et exclusa gloriae, proprii lucri, commodique cupiditate verum ac maximum aliorum bonum promovere cupias valde, hocque tuum consilium in omni tua actione manifestes et factis comprobes. Quare

II) Id omni conatu molire, ut a) nemo ulla justi specie animo a te alienato esse queat; b) ut singuli potius te optimum erga se alere animum prudenter credere possint, teque *redamandi* sufficientem rationem habeant; ut c) ante, quam

aliis quocunque modo prodesse velis, eorum animos tibi conciliare studeas, atque ita, quae expediunt, iis persuadere eo certius valeas. Proinde

III) Erga omnes totus interius exteriusque summe *benevolus*, *benignus*, *humanus beneficusque* esse et videri etiam studeto, seu omnibus bene velle, de omnibus bene sentire, omnibus decenter aestimationem adhibere, omnibus bene facere, omnibus omnia fieri satagito; atque hoc tuum animi propositum studiumque absque omni ostentatione palam demonstrato.

IV) Simul a) a politia proprii amoris, et a prudentia mundi plane abhorreto; b) *politiam prudentiae* sobrie et parce usurpato; c) *politiam sincerae charitatis* et christianae simplicitatis unam maxime excolito et exerceto *).

V) In promovenda aliorum perfectione a) primo quidem impedimenta perfectionis moralis ab aliis removere aut enervare; deinde b) eorum, quae virtutem alunt, *adjumentorum* usum iisdem persuadere et pro viribus promovere satagito; demum c) *modum* maxime *accommodum*, et *ordinem optimum* hac in re servare conator [13]. Postremo

VI) *Sensionem*, inprimis moralem et *religiosam* aliis excitare, fovere et perficere satagito; quocirca a) de Deo et religione nunquam nisi intimo summae reverentiae sensu et sincera ejusdem significatione graviter suaviterque loquere; b) ad Deum omnia prospera adversaque, ceu boni omnis auctorem, providentissimum eventuum omnium gubernatorem et malorum etiam permissorem referto; c) hosque animi sensus saepe qui-

---

13) Cf. *M. Sailer* Glückseligkeitslehre. II. Th. §. 216. sqq. §. 200—247.

dem, sed gravibus vulgo brevissimisque sententiis, velut aliud agendo, pro re nata exprimito; semper tamen d) religiosam sensionem ad mali moralis horrorem et boni moralis amorem in quovis pro singularibus cujusque indigentiis excitandum firmandumque transferre studeto.

*) Politia, comitas, prudentia (§. 795. n.) alia a) proprium duntaxat commodum respicit, aliisque fere solum ceu propriae felicitatis quomodocunque promovendae mediis utitur; alia b) quidem proxime aliorum bonum non intendit, suum tamen commodum illaeso omni aliorum jure bonoque quaerit; alia denique c) alienum maxime bonum quaerit, et spretis etiam propriis commodis, imo susceptis pluribus incommodis aliorum perfectionem, inprimis moralem, ex sancto religiosoque motivo pro viribus promovere adnititur. Illa a) *politia proprii amoris*, prudentia mundi; altera b) politia *prudentiae licitae*; haec c) *politia charitatis christianae* audit.

§. 800.

2) *Modus et ordo id praestandi.*

Ut rectum tum *modum*, tum *ordinem in aliis perficiendis* serves, has praecipuas regulas praeter dictas sequere:

Inprimis 1) sincere quidem, intrepide et fervide, haud tamen fanatice, violenter, amare aut imprudenter (§. 246.), imo nec cum strepitu bonum aliorum promovere adlaborato; 2) ut salutaria certius persuadeas, magis exemplo, quam verbo; viva virtutis imagine, quam multa verborum copia id efficere conator; 3) bonum non definite ad genii vel ingenii tui amussim, sed accommodate ad cujusvis captum, conditionem, animi indolem, ad rerum adjuncta; item eo,

cujus nunc quidem quisque capax est, *gradu* provehere studeto; 4) neque unquam ab hominibus perfectissima exspectato, sed *humanam* virtutem plantare satagito; proinde 5) si *totum* perficere nequeas, *partem emenda;* si fructum proferre haud valeas, *semina* saltem ponere conator; ceterum 6) imperfecta non quidem indulgenter foveas, attamen, quae adhibito omni conatu corrigere nequiveras, patienter tolerare scias discasve; neque ullis difficultatibus, nec irritis successibus, nec injuriis quibusque a promovendo vero aliorum bono absterreri te sinas. Quam ob rem

II) In hoc negotio 1) ne faciles progressus, nedum grates ab aliis temere sperato: imo vero 2) mille potius impedimenta, incommoda tibi saepius obventura scito, atque non modo animum ad haec omnia toleranda superandaque praemunitum habere contendito; sed et 3) nihilominus irritos hucusque conatus renovare; fortiora remedia adhibere proponito, hocque propositum ac studium exequi fortiter et constanter insistito: ceterum 4) *a solo Deo* benedictionem et laboris fructum praemiumque exspectato, et si omnia feceris, servum inutilem, qui fecerat, quod debuit, sincere vereque te credito [14]).

III) *Ordinem* in aliorum bono promovendo eum teneto, quem rei, hominis et societatis natura exposcit: nimirum 1) a te ipso exordire, teque primo omnium emendare ac perficere, atque ita ad alios perficiendos te aptare adlaborato; 2) a te ad eos, qui *proxime* maximeque tibi juncti sunt, instruendos, emendandos progredere; atque hinc domum, familiam et naturae sanguinis, societatis, patriae religionisque vinculo

14) Luc. XVII. 10. I. Cor. III. 5. sqq.

propius tibi junctos aut curae tuae concreditos (§. 140.) juvato ac perficito; deinceps 3) ad alios te convertito, et in homines per homines agito; attamen paucos potius totos perficere, horumque ope alios emendare, quam plures veluti in superficie tingere conator; ceterum 4) vulgo non tam antiqua, etsi imperfecta, uno veluti ictu destruendo, quam illa pedetentim in meliora mutando felicius te profuturum credito; demum 5) quos perficiendos suscipis, per gradus, quos natura designat (§. 789. n. 4.), bonos primo, tum meliores reddere, et demum *totos* perficere satagito, memor illius: Fit satis cito, quod satis bene; quodsi 6) fors eventus conatibus non responderit, te fructu laboris haud excidisse memento, dummodo in omni conatu ad eum sincere respicias, *qui est primus et novissimus, principium et finis* [15]).

15) Apocal. XXII. 13.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

NUMERUS ARABICUS §PHUM: N. SUBJECTAM NOTAM INDICAT.

A.

D.

E.

G.

I.

M.